PHILOSOPHIA MORALIS SIVE ETHICA,

METHODO SCIENTIFICA PERTRACTATA.

PARS TERTIA,

IN QUA AGITUR DE

VIRTUTIBUS, QUIBUS PRAXIS OFFICIORVM ERGA DEVM ET OMNIS RELIGIO NATURALIS CONTINETUR.

AUTORE

CHRISTIANO L. B. DE WOLFF,

POTENTISSIMI BORRUSSORUM REGIS CONSILIARIO INTIMO, FRIDERICIANÆ CANCELLARIO ET SENIORE, JURIS NATURÆ ET GENTIUM ATQUE MATHESEOS PROFESSORE ORDINARIO, PROFESSORE PETROPOLITANO HONORARIO, ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM PARISINÆ, LONDINENSIS AC BORUSSICÆ MEMBRO.

CVM PRIVILEGIIS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

PROSTAT IN OFFICINA LIBRARIA RENGERIANA

MDCCLII

REVERENDISSIMO AC CELSISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO
ANDREÆ
ZALUSKI,

EPISCOPO CRACOVIENSI,
DUCI SEVERIÆ,
&c. &c. &c.

MECÆNATI ET SCIENTIARUM OMNIUMQUE LITTERARUM PROTECTORI SUMMO.

REVERENDISSIME AC CELSISSIME PRINCEPS EPISCOPE.

Appetitus hominis naturaliter fertur in felicitatem, ſed ut eam conſequamur, intellectus eundem regere debet. Intellectus perficiendus eſt, ut verum a falſo, certum ab incerto, probabile a minus probabili diſcernere poſſit, ſi appetitum rationi ſubjicere debet, ne exorbitet ab itinere felicitatis: perficiendus vero eſt appetitus, ut rationi obſequa-

quatur. Philoſophia moralis ſcientia eſt, quæ viam ad felicitatem monſtrat. Quamobrem ea in duas abit partes, quarum una eſt de intellectu, altera de appetitu perficiendo. Ut intellectus perficiatur, acquirendi ſunt habitus, qui virtutum intellectualium nomine inſigniuntur: ut appetitus perficiatur, comparandi ſunt habitus, qui Virtutes morales appellantur. Pars prior paucis abſolvi potuit, cum ſuppetias ipſi ferat Philoſophia rationalis Logica vulgo dicta, quæ docet rectum intellectus uſum, ſine quo virtutes intellectuales conſequi non datur, atque Jus naturæ, quod ſuggerit normam actiones bonas a malis dividendi, ne intellectus appetitui, qui obedire debet, imperaturus aberret. At pars poſterior ampliorem multo poſtulat tractationem. Cum enim pro varietate actionum humanarum, quarum ingens numerus eſt, varient quoque virtutes morales, atque de his ſingulis agendum ſit in Philoſophiæ moralis parte altera, fieri haud quaquam potuit, ut, quæ de appetitu perficiendo tradenda erant, uno volumine comprehenderentur, quemadmo-

dum ea, quæ de intellectu perficiendo inculcanda fuerant. Quamvis itaque, cum de intellectu perficiendo agerem, de virtutibus intellectualibus una differuerim, obstitit tamen prolixitas, quo minus de appetitu perficiendo agens virtutes quoque morales omnes una explicarem; sed reservanda fuit hæc tractatio peculiaribus voluminibus, quorum nunc primum in lucem prodit. Alteram hanc partem Philosophiæ moralis, quæ modum perficiendi appetitum docet, venerabili Nomini Tuo, REVERENDISSIME ET CELSISSIME PRINCEPS EPISCOPE, sacram esse volui, ut eodem decus & autoritatem ei conciliarem. Quamobrem cum volumen primum, quod modum perficiendi appetitum in genere declarat, gratioso vultu exceperis; nullus quoque dubito fore, ut volumina cetera, ad eandem Philosophiæ moralis partem spectantia, & quæ jam Jure Tuo REVERENDISSIMÆ CELSITUDINI TUÆ debentur, eodem vultu excipias. Quod in præsenti devotissima mente offero, volumen eas virtutes explanat, quibus Deo officia debita

 præ-

præſtantur, & quæ ſunt fons felicitatis veræ ac virtutis omnis reliquæ complementum. Quæ ſequentur volumina, virtutibus ceteris deſtinantur, quibus officiis erga nos & alios ſatisfit. Equidem cum Philoſophus audiam ultra ſphæram rationis *non* progredior; nulla tamen pugna eſt inter rationem ac fidem, ſed hæc ſuperaddit illi impervia & virtutem ad ſublimiorem gradum evehit: id quod Theologis relinquendum erat, qui non modo proſpiciunt felicitati hujus, verum etiam venturi ſeculi. Nemo Te, REVERENDISSIME AC CELSISSIME PRINCEPS EPISCOPE, rectius judicare valet, quænam ſint naturæ, quænam gratiæ partes, & quomodo illius defectum hæc ſuppleat. Quamobrem nec REVERENDISSIMÆ CELSITUDINI TUÆ diſplicebit, ſi ea, quæ ratio nos docet, ſigillatim exponantur, tum quia religio naturalis eſt inſtar pædagogi ad revelatam, quam Chriſtiani profitemur, tum quia pudorem imponit hominibus profanis hujus ſeculi veræ felicitatis fundamentum impio molimine ſubvertere co-

nan-

nantibus. Ceterum vota repeto, quæ, cum volumen primum offerrem, devota mente concepi. Servet Te Deus omnium rerum moderator, REVERENDISSIME AC CELSISSIME PRINCEPS EPISCOPE, ut Te Mecænate ac Protectore in augustissima præsertim Rep. Poloniæ scientiæ ac litteræ omnes majora indies capiant incrementa. Ita constanter vovet

REVERENDISSIMÆ CELSITUDINIS TUÆ

humillimus cultor

CHRISTIANUS L. B. DE WOLFF.

PRÆFATIO.

Poſtquam in parte prima & ſecunda docuimus, quomodo rectus facultatum animæ uſus acquiratur, qui ad virtutum culturam requiritur, nunc progrediendum eſt ad virtutes ipſas explicandas, ut appareat, quomodo habitus iſti morales acquirantur & exerceantur, contrarii autem vitentur, aut dediſcantur. Conſtat ex Jure naturæ, triplicia eſſe hominis officia, quæ immutabili lege iſta præſcribuntur, officia nimirum erga Deum, erga nos ipſos & erga alios. Naſcitur hinc triplex virtutum genus, quarum aliæ reſpiciunt Deum, aliæ nos ipſos, aliæ denique homines alios. In præſenti eas pertractamus virrutes, quæ ad cultum divinum pertinent, ſunt-

que diligentia Deum consideratione potissimum rerum in hoc universo agnoscendi, pietas, obedientia Deo debita, amor Dei atque charitas, timor Dei, reverentia adversus Deum & magnificatio ejus, fiducia in Deo & acquiescentia in providentia divina, celebratio nominis divini, gratitudo & preces, ac religio naturalis: neque enim, ut jam alias monuimus, ultra ea progredimur, quæ lumine naturæ agnoscuntur. Poteramus hasce virtutes vocare theologicas, non sine omni exemplo: ast ne forsan nonnullos offendat appellatio, ab ea abstinere maluimus. In hisce autem virtutibus explanandis ita versati fuimus, ut ostenderemus, quomodo recto facultatum usu comparentur & exerceantur. Equidem non ubivis apposuimus titulos motivi, medii, signi, impedimenti atque remedii; demonstravimus tamen omnia, quæ singulorum rationem habent, ut ab eo facile agnoscantur, qui terminorum istorum notiones distinctas alibi explicatas habet: id quod etiam observabimus in ceteris, quæ suo tempore sequentur. Quamvis enim ostenderimus, in Ethica tradenda esse actionum committendarum & omittendarum motiva specialia, itemque media atque signa rectitudinis actionum in qualibet earum specie;

expo-

exponenda quoque esse impedimenta & demonstrandum modum, quo tolluntur; non tamen ea mens est, quasi ubique ostendendum sit, hoc esse motivum, istud esse medium, vel signum, hoc referendum esse ad impedimenta, istud ad sublationem impedimenti, sed sufficit, ut ea tradantur, quæ hoc, vel istud nomen merentur, quemadmodum in methodo demonstrativa non opus est, ut singula definitionum, axiomatum, postulatorum, theorematum, problematum & corollariorum titulis discernantur, sed sufficit ea observari, quæ de singulis methodus præcipit. Quoniam vero inter virtutes, quæ in præsenti consideramus, datur quidam nexus, vi cujus una ab altera dependet; eo quoque ordine easdem pertractavimus, ut quomodo una in alteram influat appareat. Quamobrem cum omnes istæ virtutes supponant agnitionem Dei veri, hujus mundi Factoris, Conservatoris & Gubernatoris, mundus vero hic a Deo conditus fuit, ut perfectio ejus summa inde agnoscatur; ideo primo loco prolixe ostendimus, quomodo singula attributa divina consideratione hujus universi nobis innotescant juxta ea, quæ in Theologia naturali demonstravimus, quomodo mundus integer & omnia, quæ in eo sunt, vi dependentiæ suæ ab attri-

butis divinis sint specula perfectionum divinarum. Ut vero clarius constaret, quomodo hoc universum sit Liber naturæ, in quo Deus sese nobis revelat; usi sumus notione creationis, quam *Sarasa*, e Societate Jesu, in præclaro opere de Arte semper gaudendi exposuit, nimirum quod singulæ creaturæ sint verbum Dei voce viva prolatum; unde sequitur, ut legere librum naturæ idem sit ac Deum viva voce ad nos loquentem auscultare. Consistit autem auscultatio in consideratione rerum hujus universi & meditatio in collectione attributorum divinorum ex iis, quæ de rebus in hoc universo nobis innotescunt. Multa hinc deduci poterant, quæ non unius sunt usus; sed nostrum jam non est ad talia digredi. Sufficit hinc constare, quodnam pretium statuere debeamus Libro naturæ, qui a plerisque si non prorsus contemnitur, parvi tamen penditur, quamvis ipso verbo scripto, quod divinum esse agnoscimus, vox viva Dei nobis commendetur. Ceterum confido me singulas virtutes, quas brevitatis causa theologicas nunc appellare liceat, ita explicasse, ut earum ratio intime perspiciatur. In his autem consistit cultus divinus, cujus habitus religio est, quam naturalem dicimus, non mo-

do

do quia lumine naturali nobis innotescit, sed etiam quia ex ipsa Dei hominisque natura fluit, ideo perinde immutabilis ac ipsa natura Dei atque hominis, ita ut in religione revelata, quam christiani profitemur, integra subsistat sororio vinculo cum ea copulanda. Quamvis autem religio potissimum in cultu Dei interno, seu prompta officiorum erga Deum & ceterorum erga nos & alios propter Deum præstatione consistat, externum tamen etiam cultum requirit, tum ut in cultum divinum omnium facultatum usus impendatur & homo totus Deum colat, tum ut externo internus promoveatur. Quamobrem quoque ostendimus, qualis esse debeat cultus externus, cujus in interno ratio sufficiens continetur. Atque hic ostendimus religionem ceremoniis carere non posse (a), quarum institutio quamvis arbitrio nostro relicta, iis tamen continetur regulis, quas in parte altera Philosophiæ practicæ universalis demonstravimus. Monuimus vero etiam quod de ceremoniis ex ipsa earundem notione judicium fieri debeat, ut temerarium vitetur, & quomodo Deus ex ceremonia facere potuerit sacramentum. Plurimum

(a) *Augustinus* l. 9. contra *Faustum*: sine externis ceremoniis impossibile est servare religionem.

autem refert, ut religio naturalis penitus perspecta planeque cognita sit nostro præsertim seculo, quo non solum profanorum hominum turba vehementissima contentione animi, ingenii, virium eam tollere conatur, verum etiam aliorum de eadem admodum discrepantia sunt judicia. Aperte satis ostendimus, quod veræ felicitatis, qua frui in his terris potest homo, fons sit religio naturalis: docebit autem Theologus, quod religio revelata ad eam accedere debeat, siquidem sitim explere velimus & felicitati quoque futuri ævi consulere. Nolumus jam commemorare omnem utilitatem, quam religionis naturalis cognitio præstat; sufficit hoc unicum annotasse, quod magnum adjumentum afferat ad religionem revelatam contra hostes defendendam & ad superstitionem eliminandam. Quodsi quis ea, quæ de religione naturali in hoc opere demonstravimus, æqua lance pensitaverit, clarissime perspiciet, quam misere hallucinentur, qui religionem omnem pro invento Politicorum habent, & religionem cum superstitione in unum confundunt, mentis suæ acumine mirifice sibi blandientes, cum manifesto prodant ablepsiam. Patet vero etiam, quam periculosa sint ipsorum molimina, cum nihil aliud agant, quam ut fortissimo felicitatis præsidio

dio

dio genus humanum privent. Nos, qui genus humanum amamus, nihil magis in votis habemus, quam ut vigeat veri Numinis cultus, & homines vera felicitate fruantur intentioni Numinis benignissimi convenienter. Huc sane tendit omnis noster conatus in Philosophia morali accuratius pertractanda, quam hactenus a Philosophis factum, ut omnis virtutis ratio, sine qua nemo mortalium felix esse potest, intime perspiciatur. Patebit vero demonstrationes nostras attente consideranti, nemini adeo novercam esse naturam, ut in statu suo non felix esse possit, modo homines conjunctis viribus, quemadmodum jubet lex naturæ, mutuam beatitudinem promoverent, ac inprimis illi, quos divina providentia Rectores Gentium constituit, officio suo satisfacerent, quemadmodum partim in Jure publico universali, partim in Jure Gentium ostendimus. Clarius adhuc hæc perspicientur, ubi officia cetera hominum in sequentibus Philosophiæ moralis partibus, & officia summorum imperantium in Philosophia civili demonstraverimus. Equidem non dubito fore permultos, qui sibi persuadebunt, me nimis rigidum esse morum censorem, & omnem voluptatem, quæ homines hilarat, ex mundo conatu prorsus irrito exterminare velle. Ast hi erunt qui

re non tota perſpecta judicium deproperant. Quemadmodum enim in Jure naturæ demonſtravimus, voluptatem quoque tranſitoriam, modo ſit innocua, felicitatem noſtram ingredi poſſe; ita quoque in praxi oſtendemus, quomodo voluptate tranſitoria ſit fruendum, ne officiatur felicitati. Si qui vero ſunt, qui objiciant, iſtiusmodi virtutis culturam, qualem nos tradimus, magis optandam, quam ſperandam eſſe; facile me conſentientem habent. Sed Philoſophi eſt veram ad felicitatem viam monſtrare; non vero divinare quot eandem ingredi libuerit, quamvis in votis habet, ut, ſiquidem fieri poſſet, eandem ingrediantur omnes. Halæ, d. 18. Septembris Anno 1751.

PHILO-

PHILOSOPHIÆ MORALIS
SIVE
ETHICÆ
PARS TERTIA
DE VIRTUTIBUS MORALIBUS, QUIBUS PRAXIS OFFICIORUM ERGA DEUM CONTINETUR.

CAPUT I.
De Agnitione Dei.

De necessitate agnitionis Dei ad officia ipsi præstanda.

S*Ine agnitione Dei nullum officium Deo debitum præstari potest.* Officia enim erga Deum, consequenter quæ Deo debentur (§. 226. *part. 1. Phil. pract. univ.*), sunt actiones juxta legem naturæ præceptivam & prohibitivam determinatæ (§. 225. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Naturaliter autem obligamur actiones liberas determinare per mo-

tiva ab attributis divinis desumta (§. 251. part. 1. Phil. pract.), nec in earum determinatione hæc motiva omittere (§. 352. part. 1. Phil. pract. univ.), immo verbis & factis testari, quod attributa ipsius cognoscamus & pro certo habeamus, eadem ipsi convenire (§. 1147. part. 1. Jur. nat.). Quoniam itaque fieri nequit, ut hæc faciamus, nisi attributa divina nobis fuerint cognita atque perspecta, quod per se patet; sine agnitione Dei nullum officium Deo debitum præstari potest.

Determinatio actionum humanarum per motiva ab attributis divinis desumta principium generale est, unde omnia officia erga Deum deducuntur, quemadmodum ex eorum demonstrationibus in parte prima juris naturæ datis abunde elucescit, & ex sequenti tractatione ulterius patebit. Ratio, per quam intelligitur, qualia sint officia erga Deum, & cur eidem debeantur, desumenda est ab attributis divinis. Antequam igitur homo officia erga Deum cognoscere & antequam fieri potest, ut eidem eadem præstare velit, necesse est ut attributa ejus agnoscat. Agnitio Dei basis est officiorum omnium erga ipsum & quia ad ea præstanda obligati sumus, ad agnitionem quoque Dei obligamur, sicque ipsa agnitio Dei inter officia erga Deum referenda atque primum locum in iis occupat. Itaque ab hac exordium totius tractationis ducendum est, & cui curæ cordique fuerit officia Deo debita præstare, nec in iis præstandis a vero tramite aberrare, is quoque ante omnia omnem operam dare debet, ut Deum recte agnoscat, sibique cavere, ne falsas de eodem foveat opiniones. Quamobrem in Ethica demonstrandum, quomodo unusquisque ad certam Dei cognitionem pervenire possit, quantum ad præstandum officia erga Deum sufficit.

§. 2.

§. 2.

Quoniam sine agnitione Dei nullum officium Deo debitum præstari potest (§. 1.); *neglectus agnitionis Dei obstat, quo minus officia eidem debita recte agnoscantur, eidemque præstentur.*

Neglectus officiorum erga Deum impedimentum generale præstandi officia ipsi debita.

Neglectus agnitionis Dei impedit non minus cognitionem officiorum erga Deum, quam eorundem præstationem. Indies hoc experimur. Quam multi sunt, qui didicerunt, Deum super omnia esse amandum; quam pauci vero sunt, quibus satis superque perspectus est amor iste, & qui norunt, quid facere debeant, ut Deum super omnia ament. Quando amor Dei ipsis inculcatur, ejus ratio non redditur, ut per eam intelligerent, qualis sit iste amor & cur ad eundem obligentur. Quodsi cui dicas, Deum velle, aut præcipere, ut supra omnia ametur; hoc saltem facit ad agnoscendam utcunque obligationem ad amorem istum, ipsam vero obligationem non intime perspicit, ideoque nec semper de eadem recte sentit. Quodsi porro dicas, eum esse magis amandum, quam homines quoscunque, aut res quascunque alias sive animatas, sive inanimatas; quacunque demum verborum pompa hoc ipsi inculcaveris, qualis revera sit hic amor nondum agnoscitur. Parum igitur abest, ne amor Dei sit sine mente sonus, nisi quatenus trahitur ad similitudinem cum amore hominum, aut rerum animatarum & inanimatarum, cujus confusam quandam in nobis perceptionem habemus, dum appetitus sensitivus hoc affectu commovetur. Quamobrem non est, quod miremur, quando videmus, amorem Dei vel esse nullum, vel admodum langvescere, vel cedere amori hominum, ac rerum sive animatarum, sive inanimatarum, vel pudenda labe infici, quemadmodum ex inferius demonstrandis clarius elucet, & quotidiana experientia confirmat. Quæ vero de amore Dei dicuntur, eadem

eadem quoque valent de officiis ceteris erga Deum. Fidem oculatam dabimus in sequentibus, quando praxin singulorum erga Deum officiorum demonstraturi sumus. Ceterum notanter dico, sine agnitione Dei officia eidem debita non recte agnosci. Nisi enim Deum recte agnoveris, fieri nequit, ut de singulis actibus ad eadem pertinentibus, vel inde fluentibus recte sentias, ne labe quadam inficiantur actiones, ad quas v. gr. te impellit amor Dei, aut ne prorsus committas actiones studio placendi Deo vel officio cuidam erga ipsum satisfaciendi animo, quæ ipse maxime abominatur.

§. 3.

Necessitas diligentiæ in agnitione Dei.

Quia sine agnitione Dei nullum officium Deo debitum præstari potest (§. 1.); *cui praxis officiorum erga Deum curæ cordique est, is omnem diligentiam ad agnitionem Dei conferre debet* (§. 751. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Et quoniam ad agnitionem Dei obligamur (§. 1129. *part. 1. Jur. nat.*); *ad diligentiam quoque in agnitione Dei obligamur.*

Quanta diligentia ad agnitionem Dei afferenda sit, ex sequentibus mox elucescet. Consideramus hic eandem tanquam medium præstationis officiorum erga Deum; quoniam vero homo obligatur Deum agnoscere (§. 1129. *part. 1. Jur. nat.*), & officium est omnis actio juxta legem naturæ determinata (§. 225. *part. 1. Phil. pract. univ.*); diligentia in agnitione Dei ipsa quoque officium est. Quamobrem non arbitrii nostri est, utrum diligentiam ad agnitionem Dei conferre velimus, nec ne, sed necesse est ut conferamus (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*): qui non confert, peccat (§. 440. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Absonum vero non est, ut officium aliquod sit medium præstationis aliorum officiorum. Etenim officia omnia constituunt seriem veritatum ita inter se connexarum, ut aliæ ad alias se habeant

beant per modum medii ad finem & finis continuo fiat medium finis ulterioris, quemadmodum in ferie contingentium effectus causæ fit iterum causa alterius effectus (§. 83. *Cosmol.*).

§. 4.

Diligentia in agnitione Dei virtus moralis est. Etenim ad diligentiam in agnitione Dei ipsa lege naturæ obligamur (§. 3.). Quamobrem cum diligentia consistat in actionibus certo fine committendis (§. 751. *part. 1. Phil. pract. univ.*): omnes illæ actiones, quarum complexu diligentia in agnitione Dei habenda absolvitur, sunt actiones juxta legem naturæ determinatæ, consequenter qui diligentiam ad agnitionem Dei confert, actiones suas juxta legem naturæ determinat. Enimvero habitus actiones suas legi naturæ conformiter dirigendi virtus est (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*) cumque sic agere velit, qui ita libere agit (§. 941. *Psych. empir.*), virtus moralis (§. 547. *part. 1. Jur. nat.*). Diligentia igitur in agnitione Dei virtus moralis est. *An diligentia in agnitione Dei sit virtus moralis.*

Agnitio Dei non confundenda est cum diligentia, quæ in ea comparanda habenda. Agnitio Dei ad scientiam pertinet (§. 594. *Log.*), aut ad communem sensum reducta defectum scientiæ supplet (§. 422. *part. 1. Eth.*): ast diligentia in agnitione Dei habenda, cum actus ad eam requisiti (§. 751. *part. 1. Phil. pract. univ.*), a voluntate determinentur, virtus moralis est (§. 547. *part. 1. Jur. nat*). Sunt nimirum motiva, per quæ determinatur volitio eliciendi actus facultatum cognoscendi ad agnitionem Dei necessarii. Et quatenus voluntas tendit ad eos eliciendos, diligentia virtus moralis est. Non obstat, quod actus, quibus cognitio Dei comparatur, sint facultatum cognoscendi, & quod supponantur habitus istarum facultatum, ut nullus in agni-

tione Dei notetur defectus: etenim virtutes morales intellectuales præsupponunt, & harum exercitium a moralibus dependet. Mutua datur facultatum cognoscendi & appetendi ac aversandi a se invicem dependentia, & inde venit mutua virtutum intellectualium atque moralium a se invicem dependentia. Ad hanc qui animum advertit, facile discernet, quid ad morales sit referendum.

§. 5.

Idem in genere evincitur.

Immo diligentia omnis, quæ ad se statumque suum perficiendum, aut ad actiones suas legi naturæ convenienter dirigendas affertur, virtus moralis est. Cum ad nos statumque nostrum perficiendum obligemur lege naturæ (§. 167. *part. 1. Phil. pract. univ*), aut ad actiones omnes legi naturæ convenienter dirigendas (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*); omnis diligentia, quæ ad se statumque suum perficiendum, aut ad actiones suas legi naturæ convenienter dirigendas affertur, consistit in actionibus legi naturæ convenienter determinatis (§. 751. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Patet igitur, ut ante (§. 4.), diligentiam omnem, quæ ad se statumque suum perficiendum, aut ad actiones suas legi naturæ convenienter dirigendas affertur, virtutem moralem esse.

Diligentia spectatur vel in habitu acquirendo, vel in eodem exercendo. Si quis artem quandam addiscere debet, in eam addiscendam diligentiam conferre potest. Ubi arte pollet, in eadem exercenda se quoque diligentem præstare potest. Moralitas, quæ habitui inhæret, inde in diligentiam derivatur, ut virtutis moralis naturam induat. In utroque casu, sicuti habitus & per consequens ejus exercitium legi naturæ convenit, ita eadem quoque diligentia præcipitur. Negligentia, quæ in omissione diligentiæ consistit (§. 757. *part. 1. Phil. pract. univ.*), lege naturæ prohibita est

est (§. 301. part. 1. Jur. nat.). Diligentia igitur eadem lege præcepta. Qui enim diligentiam non omittit, eandem in id, quod agere debet, confert. Facile autem patet, diligentiam latissime extendi ad omnia, quæ nobis agenda sunt, & ad rectitudinem actionum apprime necessariam esse (§. 79. part. 1. Phil. pract. univ.).

§. 6.

An negligentia agnoscendi Deum aut faciendi, quæ facienda sunt, sit vitium.

Negligentia agnoscendi Deum, aut in genere faciendi, quod facere obligamur, vitium est. Negligentia enim in omissione diligentiæ consistit (§. 757. part. 1. Phil. pract. univ.). Quoniam itaque diligentia in agnitione Dei (§. 4.) & in genere faciendi, quod facere obligamur, virtus moralis est (§. 5.), consequenter habitus actiones suas legi naturæ conformiter dirigendi (§. 321. part. 1. Phil. pract. univ.); negligentia Deum agnoscendi, aut in genere faciendi, quod facere obligamur, est habitus actiones suas contraria ratione dirigendi, quam lege naturæ præscribitur. Quamobrem cum habitus actiones suas contraria ratione dirigendi, quam lege naturæ præscribitur, vitium sit (§. 322. part. 1. Phil. pract. univ.); negligentia agnoscendi Deum, aut in genere faciendi, quod facere obligamur, vitium est.

Negligentia diligentiæ opponitur tanquam vitium virtuti: dantur enim non minus vitia negativa, quam positiva, quemadmodum facta vel positiva, vel negativa sunt. Inhæret autem hoc vitium noluntati, ita ut Deum agnoscere, vel ea facere nolis, quæ facere debes. Quemadmodum itaque nolitio non est, nisi nuda volitionis omissio (§. 884. Psych. empir.); ita quoque negligentia non denotat privationem diligentiæ, sed respectu animæ aliquid positivi est, quamvis respectu actionis committendæ, cum ea cesset, vitium privativum dicatur. Quodsi ergo actio cesset, quæ committenda erat, deficiente motivo,

motivo, quo voluntas ad agendum determinanda; hoc vitio minime tribui potest. Enimvero si adsit motivum, quo noluntas determinatur, ut facere nolis, quod faciendum erat, id demum vitio imputandum. Ita vitio caret noluntas, si quis ignorat dari Deum, ideoque nec de eo agnoscendo ulla cogitatio animum subit. Ast si quis novit dari Deum, nec ignorat eum esse colendum, ideoque agnoscendum, agnitioni tamen Dei tempus nullum impendere vult, ne id aliis negotiis quibuscunque subtrahatur, ei utique negligentia imputanda, quæ vitium est. Quando negligentia vitium est, quod faciendum esse novimus, facere nolumus, ideoque in non existentiam facti, seu non usum facultatum influit noluntas & subinde quoque ea mediante voluntas: ast si culpa fuerit, non usus facultatum vel ab ignorantia, vel errore vincibili, vel a causis aliis attentionem in se trahentibus dependet. Quamobrem patet, negligentiam qua vitium non eodem modo imputari qua culpam, cum tunc proprius ad dolum accedat & naturam eius participet. Atque hinc ulterius liquet, non fine ratione demonstrari diligentiam esse virtutem moralem, negligentiam vero vitium: id quod vulgo non advertitur, quia diligentia in omni habitu acquirendo & exercendo locum habet, consequenter omni virtuti accedit, præsertim cum diligentia quoque abusu in vitium vertatur, quando quis ad actiones malas eandem confert, quatenus in actibus mere physicis consistit.

§. 7.

De scientia Dei ad agnitionem ejus necessaria.

Qui Deum agnoscere vult, scientiam Dei acquirere studeat necesse est. Operam enim dare debet homo, ut certa sit Dei, quam habet, cognitio (§. 1140. *part. I. Jur. nat.*). Enimvero certam rei cognitionem habet, qui scientia instructus est (§. 595. *Log.*). Quamobrem qui Deum agnoscere vult, scientiam Dei acquirere studeat necesse est.

Qui

Qui in Logica peregrinus & hospes non est, abunde novit, quicquid cognoscimus, id vel certo cognosci, vel saltem probabiliter, ideoque vel ad scientiam, vel ad opinionem esse referendum. Scientia non admittit nisi vera; opinio autem tam erronea, quam vera esse potest. Qui Deum agnoscere vult, is omnino certus esse debet ea Deo convenire, seu vera esse, quæ ipsi tribuit, ita ut agnitio Dei arceat omnes erroneas opiniones, nec subsistere debeat in persuasione saltem opinione, non vero usque ad veritatem. Quodsi quis cognoverit ea, quæ de scientia demonstravimus, cum in parte prima Ethicæ de virtutibus intellectualibus ageremus; is inde intelliget, quanta diligentia in agnitione Dei sit habenda.

§. 8.

De virtutibus intellectualibus ad agnitionem Dei requisitis.

Quoniam qui Deum agnoscere vult, scientiam Dei acquirere tenetur (§. 7.), scientia autem virtus intellectualis materialis est (§. 402. *part. 1. Eth.*), & ad eam omnes virtutes intellectuales formales concurrunt (§. 415. *part. 1. Eth.*); *qui Deum agnoscere vult, virtutibus omnibus intellectualibus formalibus & ex materialibus scientiæ*, cumque ante intelligentiæ operam dare debeamus, quam ad scientiam adspiramus (§. 403. *part. 1. Eth.*), *intelligentiæ operam navare debet.*

De virtutibus intellectualibus tam formalibus, quam materialibus non alio fine egimus in parte prima Ethicæ, quam ob usum, quem præstant in virtutibus moralibus acquirendis & exercendis. Demonstrandum itaque erat, quænam virtutes intellectuales serviant agnitioni Dei. Ad rectitudinem actionis humanæ concurrere debet usus omnium facultatum, quemadmodum alias ostendimus. Idem igitur etiam requiritur ad agnitionem Dei, ne quid in ea desideretur. Multas dari erroneas & confusaneas de Deo opini-

ones, nemo est qui nesciat. Omnes autem istæ opiniones non usui & abusui facultatum debentur, non tollendæ, aut emendandæ nisi ope virtutum intellectualium. Quodsi ergo curæ cordique fuerit agnitio Dei, ne sit infructuosa, vel cultum Dei pariat vacillantem, virtutibus intellectualibus operam navare debet, quantum præsenti scopo sufficit.

§. 9.

Unde scientia Dei haurienda. Quia scientiam Dei acquirat necesse est, qui eum cognoscere vult (§. 7.), scientia autem hauriri nequit nisi ex libris methodo demonstrativa conscriptis, &, si in quibusdam supponuntur, quæ in aliis pertractantur, nisi ante diligenter perlectis iis, quæ in hisce traduntur (§. 409. *part. 1. Eth.*), atque in Theologia naturali doctrina de Deo traditur (§. 1. *part. 1. Theol. nat.*); *ex Theologia naturali methodo demonstrativa pertractata haurienda est scientia Dei*, & quoniam Theologia naturalis principia petit ex Ontologia, Cosmologia & Psychologia (§. 11. *part. 1. Theol. nat.*), *antequam ad eandem accedas, Ontologiæ, Cosmologiæ ac Psychologiæ studio incumbendum, quantum ad principia ista cognoscenda sufficit.*

Non alio sane fine Theologiam naturalem methodo demonstrativa pertractavimus, quam ut inde scientia Dei hauriri possit, eidemque præmisimus Ontologiam, Cosmologiam ac Psychologiam, ne quid in Theologia naturali occurrat, quod non satis intelligatur, nec in demonstrationibus supersit aliquod dubium, quod assensum remoretur. Non est, quod existimes, nimis operosum esse, si hoc modo Deum agnoscere debeas: obligamur enim ad omnem diligentiam in agnitionem Dei conferendam (§. 3.). Nemo igitur jure conqueritur de nimia diligentia in agnitione Dei, cum alia ad scientiam Dei via non detur. Neque porro est,

est, quod objicias, Deum ab omnibus hominibus esse agnoscendum, viam autem istam ab omni homine calcari minime posse. Etenim mox ostensuri sumus, quomodo consulendum sit iis, quibus aditus ad scientiam non datur. Si qua praeterea dubia moveri possunt, ea in sequentibus evanescent. Nemo obligatur ad ea consequenda, quae in potestate sua non sunt (§. 176. *part. 1. Jur. nat.*): cui tamen amplior est facultatum usus & auxilium aliorum majus, is ad plura praestanda obligatur, quam alter (§. 177. *part. 1. Jur. nat.*). Qui igitur ad scientiam Dei pervenire potest, modo suam in se diligentiam desiderari non patiatur; is negligentiam suam in agnitione Dei nullo modo excusare potest, praesertim si argumenta persuasoria, quae nullam vim demonstrationis unquam expertis satisfaciunt, ipsius mentem in dubitationum fluctus conjiciunt.

§. 10.

De compendiis eo fine condendis.

Quoniam scientia Dei ex Theologia naturali methodo demonstrativa pertracta haurienda est, & antequam ad eandem accedatur, principia Ontologiae, Cosmologiae ac Psychologiae addiscenda sunt, quae in demonstrationibus Theologiae naturalis tanquam cognita praesupponuntur (§. 9), ad scientiam vero promovendam conducit, si in quolibet scientiarum genere condantur systemata brevia inter se connexa (§. 412. *part. 1. Eth.*) atque in iis a nimio rigore in demonstrando abstinendum (§. 413. *part. 1. Eth.*); *ad scientiam Dei promovendam conducit, si systemata brevia Ontologiae, Cosmologiae, Psychologiae & Theologiae naturalis inter se connexa condantur, atque in iisdem a nimio rigore in demonstrando abstineatur, vel etiam institutiones Theologiae naturalis, in quibus ea inseruntur suis locis, quae ex Ontologia, Cosmologia & Psychologia tanquam principia sumenda sunt, ad eam*

B 2 *for-*

formam compositæ, qua Institutiones Juris naturæ & Gentium concinnavimus.

Utilitatem istiusmodi compendiorum jam alias demonstravimus (§. 411. *part. 1. Eth.*) & qua cautione hic sit utendum, ne magis noceant, quam prosint, monuimus (*not.* §. 412. *part. 1. Eth.*). Prosunt istiusmodi compendia non modo iis, qui ad systemata majora progressuri ampliorem & magis exasciatam Dei scientiam acquirere student, verum etiam ceteris, quibus ultra ista progredi non datur. Agnitio Dei cum omnibus necessaria sit, & cum unusquisque tantum operæ dare debeat, quantum potest (§. 209. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ut certam habeat Dei cognitionem (§. 1140. *part. 1. Jur. nat.*), nec in dubitationem se adduci patiatur (§. 417. *part. 2. Theol. nat.*); omnibus quoque, quocunque fieri potest, modo consulendum est. In re autem maxime ardua vires suas probe explorare debet, qui istiusmodi laborem in se suscipere vult, ne plus sperans de facultatibus suis, quam in iis est, aliis, quibus prodesse vult, aut saltem velle debet, magis noceat, quam profit. Neque enim se tuebitur pervulgato isto: si desint vires, tamen est laudanda voluntas; præsertim si jam alii eodem labore rectius persuncti fuerint, quo in commodum suum ipse uti poterat ac debebat.

§. 11.

De reductione eorum quæ in Theologia demonstrantur, ad sensum communem.

Similiter quia scientia Dei ex Theologia naturali methodo demonstrativa pertractata haurienda est (§. 9.), reductio autem veritatum universalium ad sensum communem defectum scientiæ supplet, si hominibus demonstrationem capere nescientibus scitu necessariæ sunt (§. 422. *part. 1. Eth.*); *quæ de Deo in Theologia naturali demonstrantur, immo ipsæ demonstrationes in gratiam eorum, qui demonstrationes capere nequeunt, ad sensum communem reducendæ sunt.*

Cum

Cum agnitio Dei unicuique maxime necessaria sit, immo unusquisque Deum agnoscere obligetur, scientiam tamen Dei vi demonstrationum non omnes sibi comparare possint, nostrum esse arbitramur ostendere, quomodo dogmata de Deo, & inprimis argumenta, quibus eadem probantur, ad sensum communem reducenda sint.

§. 12.

Qua via ad certam existentiæ Dei agnitionem perveniatur.

Qui ex contemplatione hujus universi existentiam Dei certo agnoscere vult; ex contingente existentia hujus universi rerumque naturalium eam colligere tenetur. Mundus enim integer & quicquid in eodem existit, quatenus contingens est, ab existentia Dei dependet (§. 800. *part.* 1. *Theol. nat.*), & quoad contingentiam speculum existentiæ Dei necessariæ est (§. 799. *part.* 1. *Theol. nat.*). Quoniam itaque ens unum ab altero dependet, quatenus ratio ejus, quod ipsi inexistit, in altero continetur (§. 851. *Ontol.*), & ens unum speculum est entis alterius, si per ea, quæ ipsi insunt, colligitur quid insit alteri (§. 784. *part.* 1. *Theol. nat.*); existentiæ contingentis hujus mundi & rerum in eodem existentium ratio quærenda est in Deo, seu ipsius existentia necessaria, atque hæc existentia necessaria colligenda est ex contingente existentia hujus universi rerumque naturalium. Quamobrem qui ex contemplatione hujus universi existentiam Dei certo agnoscere vult, ex contingente existentia hujus universi rerumque in eodem existentium seu naturalium eandem colligere tenetur.

Probe notandum est, Deum existere non concludi ex eo, quod mundus existit, sed quod contingenter existit. Si enim sumamus tanquam a posteriori cognitum, mundum existere, inde saltem inferri potest, eum existere vel necessario, ita ut impossibile sit, ipsum non existere, ideo-

que vi propria, vel contingenter, ita ut etiam non repugnet, eum non existere, consequenter ut ratio existentiæ ejus quærenda sit in ente alio ab ipso diverso (§. 70. *Ontol.*). Inde autem non deciditur, utrum horum verum sit. Qui alterutrum sine ulteriori probatione sumit tanquam verum, id precario sumit & quascunque tandem quæsiverit rationes probabiles ad incrustandam opinionem suam, ut ad certam cognitionem perveniat, fieri nequit. Quilibet autem pro modulo intellectus sui sibi persuadet opinionem suam: ast qui acutior est, dubitationum fluctibus immersus hæret, nec ex iis emergere valet, ignorans cuinam sententiæ assensum præbere debeat. Necesse igitur est, ut in contingentiam existentiæ convertatur attentio, qua cognita demum decidi potest quæstio, utrum Deus detur, nec ne. Atque hæc ratio est, cur nos in parte prima Theologiæ naturalis, quam methodo demonstrativa adornare voluimus, quemadmodum exigit systematis ratio, contingentiam mundi & animarum nostrarum demonstraverimus, ac inde tandem collegerimus existentiam Dei. Qui aliam viam ingredi voluerit, is semper deprehendet, tacite supponi, quod erat demonstrandum, nimirum existere ens a mundo diversum, a quo mundus integer & quicquid in eo existit existentiam suam habet. Disertius de hoc ipso jam dudum dixi in libello, quod sub titulo Rationis Prælectionum Wolfianarum in Mathesin & Philosophiam universam A. 1718. edidi, sect. 2. c. 3. §. 40. *& seqq.* quæ hic repetere nolo, sed quæ ibidem legi possunt. Equidem non defuerunt, qui hunc ausum ægre tulerunt, & ut aliorum quoque odium in me magnum concitarent, quod ipsi in me habebant, propterea labem atheismi nomini meo adspergere non verebantur, quod rejicerem argumenta, quæ ad evincendam existentiam Dei omni tempore a præstantissimis Theologis atque Philosophis pro fortissimis fuerint habita, sicque ipsis eripere tela adversus atheos; pudendam tamen ignorantiam in omni historia literaria arguit hæc criminatio, nisi malitiam potius,

tiur, quam ignorantiam confiteri maluissent, cum omni tempore, quo philosophia aristotelico-scholastica in scholis fuit recepta, unanimiter inculcatum fuerit, varias illas vias, per quas ex demonstrationibus a posteriori exactior divinæ existentiæ notitia nobis ingeneratur, non esse æque efficaces, cum quædam ex illis moralem saltem ingenerent certitudinem, & quædam magis, quædam minus urgeant, quædam pluribus, quædam paucioribus atheorum objectionibus exposita sint, nec omnes Theologos & Philosophos in eo consensisse, quænam via alteri sit præferenda, seu quodnam argumentum ad convincendum maxime idoneum sit. Immo non minus pervulgatum est, omni isto tempore notitiam existentiæ divinæ vulgarem, quæ minus accurata contemplatione universi comparatur, ab exactiori, quæ vi demonstrationis prævia accuratiori consideratione universi acquiritur, distinctam & ex Theologia naturali proscriptam fuisse.

§. 13.

An argumentum a posteriori, an alterum a priori sit præferendum.

Argumentum a posteriori præferendum est argumento a priori in existentia Dei demonstranda. Etenim argumentum a posteriori consideratione mundi eruit contingentem ejus & eorum, quæ in ipso sunt, existentiam & inde existentiam Dei concludit, quemadmodum ex parte prima Theologiæ naturalis perspicitur: argumentum vero a priori supponit tanquam sumtam notionem entis perfectissimi, cujus ante possibilitas evincenda, quam existentia inde concludi possit, quemadmodum ex parte altera Theologiæ naturalis apparet. Possibilitatem entis perfectissimi evincere utique difficilius est, cum ex notionibus maxime abstractis procedat demonstratio, quam contingentiam rerum in hoc universo. Quamobrem cum demonstrationes faciliores difficilioribus sint præferendæ, præsertim in rebus maxime ardu-

arduis, qualis est existentia Dei; argumentum a posteriori præferendum est argumento a priori in existentia Dei demonstranda.

Cum utramque demonstrationem de existentia Dei dederimus, demonstrationem nimirum a posteriori in parte prima, demonstrationem vero a priori in parte altera Theologiæ naturalis, quilibet ipse utramque legendo in se experiri poterit, quænam earum captu facilior ipsi sit, & ideo quoque fortius ad assensum compellat. Nullus autem dubito fore, ut demonstrationem a posteriori alteri a priori præferat, &, si vel maxime hanc negligi nolit, illam tamen huic præmittendam esse statuat. Si quis enim integram Theologiam naturalem, quam in parte prima fusius pertractavimus, quam ab aliis huc usque factum est, animo comprehenderit; is multo facilius demonstrationem a priori capiet, quæ in parte altera continetur. Ipsa Dei definitio, quod sit ens perfectissimum, in numero illarum notionum est, quas se satis intelligere quilibet putat, quam primum eas auditu percipit, ubi tamen magis distincte eas explicare debet, tot tantisque nebulis obfuscatur animus, ut se nescire quid sit, quod optime a se intelligi putabat, ultro confiteatur, nisi scire videri velit, quod nescit. Quot, quæso, sunt qui demonstrationem *Cartesii* amplexi eamque acriter defenderunt, de eo autem ne quidem cogitarunt, quale ens per perfectissimum intelligatur & quid perfectionis nomine hic veniat? Neque ideo mirari debemus, quod de possibilitate ejus demonstranda nulla cogitatio animum ipsorum subire potuerit. Unde porro contigit, ut admodum jejune locuti fuerint, quando ea, quæ aliunde ipsis de Deo innotuerant, ex ista notione deducere voluerunt. Quodsi vero consideraveris, quomodo nos confusam notionem, quæ verbis ens perfectissimum vulgo jungitur, ad distinctam & determinatam revocavimus, illico videbis, eam resol-

resolvi in notiones simplices admodum abstractas ac inprimis requiri, ut realitates a phænomenis discernere valeas, quod quam difficile, si non prorsus impossibile accidat plerisque noto notius est. Quamvis itaque *Cartesianis* facillima videatur demonstratio existentiæ divinæ ex notione entis perfectissimi; si tamen penitius eam consideres, quemadmodum fieri debet; quod ad paucissimorum sit palatum nullo negotio deprehendes. Equidem non defuerunt, qui *Dei* existentiam a priori demonstrari posse negarunt: cum tamen vocabulum demonstrationis in sensu aristotelico restrictiori sumant, non vero in eo, quem cum *Euclide* Mathematici eidem tribuunt, & nos tribuimus, atque in Logica exposuimus, & ad quam *Suarezius* contrariam sententiam amplexus respexisse videtur; nobis revera non contradicunt; nec quicquam contra nos probant. *Euclides* sumit triangulum æquilaterum esse, quod tria latera æqualia habet, & per constructionem ejus possibilitate evicta ex eo, quod sumserat, demonstrat ea, quæ triangulo æquilatero conveniunt. Eodem prorsus modo sumitur, Deum esse ens perfectissimum, formata scilicet notione Dei, quemadmodum trianguli æquilateri per arbitrariam determinationem, & evicta notionis realitate, seu entis perfectissimi possibilitate; inde colligitur existentia Dei necessaria. Demonstrationes autem a priori recte dicuntur, quando ex primo entis conceptu, quem possibilem esse constat, deducuntur ratiocinando cetera, quæ eidem conveniunt.

§. 14.

An argumentum a priori ad sensum communem reduci possit. *Argumentum pro existentia Dei a priori ad sensum communem reduci nequit.* Etenim si argumentum pro existentia Dei a priori ad sensum communem reduci deberet, notiones eorum, quæ idem ingrediuntur, per ideas rerum sensibilium, in vulgus notarum ob similitudinem animo ingenerari deberent (§. 242. *part. 1. Eth.*). Quamobrem non

non modo insinuanda esset differentia inter realitates & phænomena (§. 5. 6. *part. 2. Theol. nat.*), perfectionisque summæ possibilitas (§. 12. 13. *part. 2. Theol. nat.*); verum etiam inseparabilitas existentiæ necessariæ a perfectione summa (§. 20. 21. *part. 2. Theol. nat.*). Enimvero nihil datur in rerum natura, quod similitudinem quandam cum ente perfectissimo habeat, & quod in vulgus notum ideas eorum, quæ diximus, animæ ingenerare possit, quod nemo in dubium vocare poterit, modo animum ad ea, quæ diximus, satis attendat eademque intelligat. Quamobrem argumentum pro existentia Dei a priori ad sensum communem reduci nequit.

Probe perpendenda sunt, quæ de reductione veritatum universalium ad sensum communem in parte prima Ethicæ tradidimus, ne inanes difficultates facessat, qui quid sibi velit reductio argumenti pro existentia Dei a priori ad sensum communem non satis intelligunt. Qui enim nodos nectere solent, quos solvere nequeunt, de rebus nondum intellectis judicium sibi sumunt. Quodsi argumentum quæstionis ad sensum communem reducere velis, necesse est ut provoces ad rem in rerum natura existentem atque in vulgus notam, in qua continetur notio huic propositioni, ens perfectissimum necessario existit, respondens (§. 520. *Log.*), ut ab eo, qui vi mentis pollet, inde abstrahi, a ceteris vero infirmioribus intuendo ideam rei sensibilis attentio in eandem dirigi possit. Istiusmodi rem in natura dari, nemo asseverare potest, multoque minus talem reperiet, quæ in vulgus nota sit.

§. 15.

De circulo in demonstratione Dei vult; *Qui aliunde, quam a contingentia mundi & rerum, quæ in eo sunt, consideratione hujus universi existentiam Dei demonstrare vult; tacite supponit Deum existere.* Etenim mundus integer &

& quicquid in eodem exiſtit eſt ſpeculum exiſtentiæ Dei *a poſteriori* neceſſariæ quoad contingentiam (§. 799. *part. 1. Theol. commiſſo. nat.*) & quoad eandem ab exiſtentia Dei neceſſaria dependet (§. 800. *part. 1. Theol. nat.*), quoad cetera vero, quæ rebus vel in ſe ſpectatis, vel ad ſe invicem relatis inſunt, ſpeculum eſt eorum, quæ Deo inſunt, & ab his dependet (§. 801. *part. 1. Theol. nat.*). Quemadmodum *itaque* ex contingente exiſtentia agnoſcitur exiſtentia Dei *neceſſaria* (§. 12.); ita ex ceteris colliguntur ea, quæ Deo conveniunt (§. 784. *part. 1. Theol. nat.*). Quodſi vero oſtenditur, Deo hoc vel iſtud convenire attributum, quia tales ſunt res in mundo exiſtentes, aut talis eſt ipſe mundus integer; utique ſupponitur, mundum eſſe a Deo factum cum omnibus, quæ in eo ſunt, conſequenter Deum exiſtere: neque enim aliter argumentamur, quam Deo hoc convenire, quia quod fecit tale eſt. Quamobrem qui aliunde, quam a contingentia mundi & rerum, quæ in eo *exiſtunt*, conſideratione hujus univerſi exiſtentiam *Dei demonſtrare vult*; tacite ſupponit Deum exiſtere.

Non ex quovis quidvis colligi poteſt. Sicuti ex eo, quod mundus contingenter exiſtit, non ſequitur, Deum eſſe ſapientem, vel bonum; ita quoque ex eo, quod in mundo unum ſit propter alterum, ſeu unum inſerviat alteri, colligi nequit, Deum exiſtere. Aſt ſi ſupponas Deum exiſtere & mundum hunc ab ipſo eſſe factum; tum demum agnoſcitur inde ſapientia & bonitas Dei, quemadmodum ex ſequentibus clarius eluceſcet. Atque hinc intelligitur, quod argumentorum iſtorum, quacunque tandem verborum pompa proferantur, nullam in ſe vim ſentiant athei, qua ad aſſenſum compellantur, quam ipſis tribuunt qui neſciunt, unde vim perſuadendi in ipſis habeant hæc argumenta. Nimirum cum a primis ungviculis

ipsorum menti insinuata fuerit notio Dei & attributorum ejusdem, quæ consideratione rerum in mundo existentium illustrantur, tum hæ spectantur tanquam effectus Dei, sique ea, quæ de Deo edocti sunt, confirmari videntur, assensus eorundem in affirmationem existentiæ divinæ trahitur, sicque argumento tribuunt vim extorquendi assensum, quam per se non habet. Athei vero accusant præjudicium a prima infantia ingenitum, a quo se liberare non potuerunt, & qui ipsis acutiores fuerunt, argumentis istis tribuerunt non alium effectum quam moralem certitudinem, quemadmodum ante monuimus (*not.* §. 12.), quatenus scilicet advertunt, non certo inde inferri existentiam Dei, se tamen in iis, quæ de Deo agnoverunt, ita confirmari sibi videntur, ut ab ea sententia, quæ Deum existere affirmat, sibi discedendum esse necesse non videatur. Quo vero quis fuerit imperitior, eo major ipsi videtur vis argumenti, præsertim si appetitus sensitivus, quod plerumque fieri solet, immo etiam haud raro aversatio sensitiva in assensum simul influit, eundemque stimulat. Nostro seculo inprimis opus est, ut omnia accurate discutiantur, ne veritati præjudicium fiat. Ad convincendum sufficit argumentum unum, quod rei dubiæ facit fidem: coacervatio argumentorum infirmorum ad probandum, quod dubium est, id certum non reddit.

§. 16.

Quomodo ex opere artificioso colligatur existentia artificis.

Ex opere artificioso non colligitur existentia artificis, sed ejus ars: existentia artificis colligitur ex operis existentia. Etenim si quis contemplatur opus artificiosum, is observat, quale sit, ac inde colligit, qua arte fuerit factum. Quamobrem cum ipsi aliunde jam certum sit, istiusmodi opus nonnisi arte humana parari posse; artem, qua factum esse agnoscit, artifici tribuit. Atque ita ex opere artificioso ars artificis colligitur. *Quod erat primum.*

Pona-

Ponamus vero aliquem videre opus arte humana paratum, ſed ignorare, quod iſtiusmodi opus arte humana parari poſſit. Ecquis ſibi perſuadebit, ipſum inde illaturum, quod extiterit homo, qui arte ſua idem paravit. Ex opere igitur artificioſo non colligitur exiſtentia artificis. *Quod erat ſecundum.*

Enimvero ſi aliunde novit, opera iſtiusmodi, quale videt, non aliter, quam arte humana parari poſſe, veluti ſi videat ædificium aut horologium; cum agnoſcat effectum exiſtere non poſſe, niſi cauſa effectus exiſtat, ex operis exiſtentia colligit exiſtentiam artificis. *Quod erat tertium.*

Opus exiſtentiam artificis probat, quatenus exiſtit; artem autem artificis, quatenus tale eſt. Ex eo autem, quod opus tale eſt, exiſtentia artificis nullo ratiocinio concluditur. Ut vero ex operis exiſtentia artificis exiſtentia inferri poſſit, conſtare utique debet, iſtiusmodi opus non neceſſario exiſtere, ſed cœpiſſe, cum antea non exiſteret, aut, quod perinde eſt, non eſſe ens a ſe, ſed ab alio. Ita ex ædificio, quod conſpicimus non colligitur exiſtentia architecti, quia ædificium tale, ſed inde potius infertur, quod ſumitur, ædificium ſine arte architecti excitari non poſſe. Immo in genere antequam ex effectus exiſtentia concludi poſſit exiſtentia cauſæ, conſtare debet rem, quam videmus, eſſe effectum alicujus cauſæ, unde deinceps porro ex qualitate effectus concluditur, qualis fuerit cauſa. Hæc ſatis manifeſta ſunt, modo attentionem ſufficientem afferre velis, ne cogitationem tuam effugiant, quæ per præcipitantiam non obſervantur. Inde ſane eſt, ut ex rei artificialis cujuscunque exiſtentia, ſive artificioſa fuerit, ſive minus, agnoſcatur exiſtentia hominis, qui eam fecit, nulla prorſus habita ratione artis, qua ea facta fuit. Quamvis vero hæc vulgaria videantur, quæ attentionem nullam mereantur;

 mox

mox tamen patebit, quam parum ejus memores sint viri etiam alias eruditi, quando maxime memores esse debebant. Sæpius jam me monuisse memini vulgarium meditationem contemtum sui vindicare.

§. 17.

De argumento pro existentia Dei a comparatione mundi cum operibus artificiosis petito.

Quoniam ex opere artificioso non colligitur existentia artificis, quatenus artificiosum, seu tale est, sed quatenus existit (§. 16.); *qui comparatione mundi cum operibus artificiosis existentiam Dei probare conantur, magno verborum apparatu nihil dicunt quod ad rem facit.*

Quamvis hoc argumentum nonnullis maxime urgens videatur ad arguendum atheorum absurditatem; si tamen id penitus inspicias, merito ad vulgaria refertur, quæ ex Theologia naturali eliminanda sunt (*not.* §. 12.), cum multa tacite supponantur, quibus sumitur, quod probandum est, sicque circulus committatur maxime vitiosus. Opera artis esse entia ab alio, cuivis exploratum est, nec probatione indiget, sed in comparatione eorum cum mundo sumitur (*not.* §. 16.). Ast mundum non esse ens a se, sed ab alio, demonstrandum: id quod aliunde quam ex eo, quod contingenter existat, demonstrari nequit (*not.* §. 15.). Qui igitur sic argumentantur: opus artificiosum arguit existentiam artificis, Ergo mundus, aut opus quoddam naturale isto multo exellentius arguit existentiam creatoris, consequenter Dei, aut, si mavis, ita: Opus artificiosum existere nequit, nisi existat artifex, qui facit. Ergo mundus magis artificiosum opus existere non potuisset, nisi extitisset ens quoddam, quod eundem fecit, hoc est, Deus; non a pari argumentantur, sed a dispari, consequenter argumentatio nulla est. Quodsi tibi & aliis persuadere velis te ita argumentari: Si opus minus artificiosum sine artifice existere nequit, multo minus opus magis artificiosum sine artifice

fice existere non potest; angvis latet in herba, nec hæc argumentatio a priori diversa, immo eadem magis vitiosa. Artificiosum enim dicis, quod arte factum est, consequenter tacite supponis opus artificiosum esse ab alio factum. Quando igitur opus artis humanæ cum opere naturæ, aut mundo comparas; de opere artis humanæ recte sumis id non posse esse ens a se, sed præsupponere artificem, qui facit, de mundo autem vocabulum artificiosum non eodem sensu accipitur, nisi tacite quoque supponere velis, istiusmodi ens, quale mundus est, sine factore existere non posse, consequenter nisi sumas, quod probandum est. Et quamvis certum sit, opera naturæ; quorum admiranda est structura, produci a suis causis, quarum sunt effectus; non tamen ideo recte sumitur, dari causam primam, a mundo diversam, seriei causarum secundarum autorem, sine quo hæc existere non potuisset, sed hoc ipsum est, quod probari debet. Sunt autem notiones aliæ deceptrices, quæ tacite ingeruntur vi imaginationis, ut acumen obtundatur. Nimirum quando sumis, rem admirandæ structuræ supponere autorem, qui eandem excogitavit, & juxta ideam mente conceptam opus formavit, non modo sicuti ante ad similitudinem cum operibus artis humanæ opera naturæ effingis; verum etiam falsa inventionis (§. 292. 293. *part. 1. Theol. nat.*) & essentiarum arbitrariarum notio supponitur (§. 191. *part. 1. Theol. nat.*). Quodsi jam porro artificia oratoria adhibeantur, quibus imaginatio multis peregrinis perceptionibus onerata attentionem in alia trahit, quam ad quod afferenda erat, ac præterea appetitus sensitivus stimulatur, ut non uno modo influat in assensum; mens tantis nebulis velatur, ut quid valeat argumentatio cernere nequeat. Habet hoc argumentum usum suum in reductione agnitionis attributorum divinorum ad sensum communem, ast nullum habet in evincenda existentia Dei. Talia ostendi, nemo ægre ferre potest, nisi velit Philosophum obli-

gati-

gationi naturali, quæ certam urget agnitionem Dei (§. 1140. *part. 1. Jur. nat.*), satisfacere non debere. Ipsius nimirum est ostendere, quomodo ad certam Dei cognitionem perducamur. Quodsi vero quidam imbecilliores sint, quam ut veritatem capere possint; illi cernant suis oculis & veritatem sibi persuadeant ficulneis quibusvis argumentis, modo ipsis videantur urgentia, quæ in se vim urgendi nullam habent. Præstat tamen argumenta vera, quantum datur, ad captum illorum accommodari, quam istiusmodi argumentis uti, quæ nihil probant, & in se vitiosa sunt, ut tanto minus verendum sit, ne opinio sua ab aliis suspecta ipsis reddatur. Legenda hic sunt, quæ de genuino usu literarum elegantiorum & artis inprimis oratoriæ usu demonstravimus & in annotationibus uberius explicavimus (§. 135. 136. *part. 1. Eth.*). Ars oratoria non convertenda est in Sophisticam, quæ fallacibus conclusiunculis adversarium irretire docet, ut quæ falsissima aut fallacissima sunt, verissima esse videantur. Ecquis, quæso, dixerit Sophisticæ locum esse in doctrina tam ardua, qualis est agnitio Dei. Veritas tanti momenti ut persuadeatur, si quis ad convincendum fuerit minime idoneus, fallaciis istius artis deceptricis non indiget. Sed ars oratoria adminicula suppeditat, quæ abunde sufficiunt. Facilis tamen lapsus est ab arte oratoria in sophisticam, nisi quis veritatem vel scit, vel ab aliis eandem fuerit edoctus.

§. 18.

De necessitate principii rationis sufficientis ad demonstrandum existentiam Dei.

Sine principio rationis sufficientis existentia Dei a posteriori demonstrari nequit. Cum in parte prima Theologiæ naturalis demonstrationem existentiæ Dei a posteriori dederimus; propositionis præsentis veritas in oculos incurrit, si demonstrationem attenta mente perlegimus (§. 24. & *seqq. part. 1. Theol. nat.*). Patebit nimirum, totam demonstrationem

onem principio rationis sufficientis niti, cum ea deducatur ex entis necessarii existentia, quam principium urget.

Ostendi tamen præsens propositio potest hoc modo. Ostendimus nimirum in anterioribus, si quis ex contemplatione hujus universi existentiam Dei certo agnoscere velit, ex contingente existentia hujus universi rerumque naturalium eam colligendam esse (§. 12.), & qui aliunde quam a contingentia universi eandem demonstrare vult, eum tacite supponere, quod demonstrandum erat, Deum scilicet existere (§. 15.), consequenter existentiam Dei consideratione hujus universi aliunde quam ex contingentia mundi & rerum in eodem ex istentium certo agnosci non posse. Enimvero quod ex contingente rerum existentia certo agnoscatur existentia Dei, non alia ratio est, quam quod contingentia in mundo non habeat rationem sufficientem actualitatis suæ in serie successivorum, sed in ente alio extra seriem istam constituto, eoque necessario (§. 90. *Cosmol.*), consequenter entis necessarii a mundo diversi existentia sine principio rationis sufficientis non agnoscitur (§. 70. *Ontol.*). Cumque non sufficiat ad demonstrandam existentiam Dei, ut demonstretur, dari ens necessarium a mundo diversum, a quo mundus dependeat in existendo, sed ostendendum quoque sit, quale sit hoc ens, cum determinata quædam notio vocabulo respondere debeat, ne fingatur Deus, qui non est, talia vero prædicata Deo tribuenda sint, ut per ea intelligatur, cur mundus hic adspectabilis cum animabus nostris potius existat, quam alius (§. 115. *part. 1. Theol. nat.*), consequenter ens istud necessarium, universi autor tale concipiendum sit, ut in eo ratio sufficiens deprehendatur, cur tale sit hoc univer-

ſum (§. 56. *Ontol.*); ſine principio rationis ſufficientis exiſtentia Dei ſufficienter non agnoſcitur. Quamobrem patet ſine principio rationis ſufficientis exiſtentiam Dei a poſteriori demonſtrari minime poſſe.

Leibnitius neceſſitatem admittendi principium rationis ſufficientis in Philoſophiam, ejusque inprimis utilitatem oſtenſurus monuit absque reſtrictione ſine principio rationis ſufficientis exiſtentiam Dei demonſtrari non poſſe. A mente vero ejus abberrarunt, qui ſibi perſuaſerunt, quod hoc argumento principium rationis ſufficientis probare voluerit. Veritas enim hujus principii inde non cognoſcitur, quod ad demonſtrandum exiſtentiam Dei eodem opus habeamus. Tantus defectus acuminis tanto viro minime tribuendus. Sumit is principium rationis ſufficientis tanquam notionem communem, exemplo *Euclidis*, ut probatione nulla ipſum indigere videatur. Ne vero objiciatur, exiſtentiam Dei a priori demonſtrari poſſe absque principio rationis ſufficientis; placuit propoſitionem reſtringere ad demonſtrationem exiſtentiæ Dei a poſteriori, non modo quod oſtendi poſſit, eam menti *Leibnitii* obverſatam fuiſſe, cum aſſereret neceſſitatem principii rationis ſufficientis ad demonſtrandum exiſtentiam Dei, verum etiam quia nos in præſenti propoſitione hac non indigemus, niſi quatenus demonſtratio exiſtentiæ divinæ a poſteriori principium rationis ſufficientis exigit, quemadmodum mox videbimus, cum argumentum a priori ad ſenſum communem reduci nequeat (§. 14.), nobis vero in præſenti negotium ſit cum reductione argumenti pro exiſtentia Dei ad ſenſum communem. Quamobrem neceſſe non eſt, ut inquiramus, num & quatenus principium rationis ſufficientis ingrediatur demonſtrationem exiſtentiæ divinæ, aut quinam ſit ejus indiſpenſabilis uſus, ſi ſyſtema Theologiæ naturalis vi demonſtrationis a priori condere velimus. Hiſce igitur in præſenti immorari nolumus.

§. 19.

§. 19.

De reductione principii rationis ſufficientis ad ſenſum communem.

Quoniam ſine rationis ſufficientis principio exiſtentia Dei a poſteriori demonſtrari nequit (§. 18.), demonſtratio autem exiſtentiæ divinæ a poſteriori in gratiam eorum, qui demonſtrationem capere nequeunt, ad ſenſum communem reducenda (§. 11.); *principium* quoque *rationis ſufficientis ad ſenſum communem reducendum, ſi demonſtratio exiſtentiæ divinæ ad eundem reducenda.*

Paradoxum forſan videbitur nonnullis, principium rationis ſufficientis ad ſenſum communem reduci debere, cum modo monuerimus, quod ſit notio communis, quam propterea *Leibnitius* abſque probatione ſumere potuit (*not.* §. 18). Notionem enim, quæ ſit omnium hominum communis, quaſi natura menti ipſorum inſitam eſſe, nec demum opus eſſe, ut eadem vi rerum aliarum cuilibet notarum ingignatur (§. 242. *part.* 1. *Ethic.*). Enimvero qui ita ſentiunt, quid ſibi velit principium rationis ſufficientis nondum ſatis intelligunt. Multi ſunt, qui hoc principium defendunt, quid vero ſit ratio ſufficiens non capiunt, a *Leibnitio* definitione non explicata, cum ſyſtematice non ſcripſerit, nec ſyſtema quoddam condere ſibi propoſuerit, quamvis ſubinde eandem inſinuare videatur. Hinc etiam videas, multos rationem ſufficientem cum cauſa confundere. Multo minus igitur exiſtimandum eſt, vulgarem notionem, quæ confuſa eſt, & quam communem duximus, ſufficere ad principium iſtud intelligendum, nec indigere reductione ad ſenſum communem, quando demonſtratio exiſtentiæ divinæ ad ſenſum communem reducenda. Ratio ſufficiens ſaltem efficit, ut, cur aliquid ſit, intelligibili modo explicari poſſit (§. 321. *Ontol.*). Atque ad hoc potiſſimum attendendus animus, quando principium rationis ſufficientis ad ſenſum communem reducendum.

§. 20.

Quomodo principium rationis sufficientis ad sensum communem reducatur.

Si principium rationis sufficientis ad sensum communem revocare volueris, non modo doceri debet per exempla rerum maxime vulgarium, quod nihil fieri posse admittatur, nisi aliquid ponatur, per quod intelligere quis sibi videtur, quod id fieri possit; verum etiam danda est opera, ut proferantur exempla, ubi etiam vulgus revera intelligit, quomodo id, de quo quæstio est, fieri possit & hæc cum istis comparanda, ut differentia appareat, quæ est inter ea, per quæ quis sibi intelligere videtur, cur quid fiat, & per quæ revera intelligit. Usui quoque hic est mundus fabulosus, in quo per nudam voluntatem hominis determinantur ea, quæ fiunt. Etenim si quis animum attendit ad exempla rerum maxime vulgarium, quæ proferuntur, & observat, se non admittere, quod quid fieri possit, nisi aliquid admittatur, per quod sibi intelligere videtur, quod id fieri possit; notio principio rationis sufficientis respondens, quod scilicet nihil esse possit sine ratione sufficiente (§. 70. *Ontol.*), hoc est, nisi aliquid ponatur, per quod intelligitur, cur potius sit, quam non sit (§. 56. *Ontol.*), per ideas rerum præsentium, seu animo obversantium ingeneratur. Quamobrem cum ita veritas quædam universalis ad sensum communem reducatur (§. 242. *part. 1. Eth.*); si quis per exempla rerum maxime vulgarium docetur, quod nihil fieri posse admittat, nisi aliquid ponatur, per quod intelligere sibi videtur, quod id fieri possit, principium rationis sufficientis ad sensum communem reducitur. *Quod erat primum.*

Enimvero cum intersit, ut quis etiam norit differentiam, quæ intercedit, quando sibi per aliquid, quod ponitur, tantummodo intelligere videtur, quod fieri possit, & quando revera intelligit, si principium rationis sufficientis,

entis, quod efficit, ut, cur aliquid sit, intelligibili modo explicari possit (§. 321. *Ontol.*), recte intelligere velit; opera porro danda est, ut etiam proferantur exempla, ubi ipsum vulgus intelligit revera, quomodo id, de quo quæstio est, fieri possit, & hæc exempla cum anterioribus de quibus *n. 1.* diximus, comparanda. *Quod erat secundum.*

Sublato principio rationis sufficientis mundus verus *abit in* mundum fabulosum, in quo voluntas hominis stat pro ratione eorum, quæ sunt (§. 77. *Ontol.*). Cum igitur in illo figmento omnia fiant, quæ ut fiant fieri vult homo & quia fieri vult; quam absurdum sit, si ponatur sine ratione sufficiente fieri ea posse, quæ fiunt, inde statim quilibet capit, & per consequens necessitas rationis sufficientis simul inde elucet. Quamobrem cum mundo huic fabuloso adhæreat notio principii rationis sufficientis, quatenus in ea observatur deficere ratio sufficiens, & propter hunc defectum in oculos incurrit absurditas eorum, *quæ finguntur*; mundus fabulosus, in quo per nudam voluntatem hominis determinantur ea, quæ fiunt, in reducendo principio rationis sufficientis ad sensum communem usui esse potest. *Quod erat tertium.*

Nemo non novit, si libra ponderibus æqualibus utrinque onusta fuerit, neutrum pondus descendere, ast si pondus alterutrum augeatur, gravius descendere, levius vero ascendere. Haud difficulter animadvertet, etiamsi principiorum staticorum fuerit imperitus, in casu priori nullam adesse rationem cur dextrum potius, quam sinistrum descendere debeat, cum utrobique omnia, quæ super libra reflectendo cognoscuntur, eodem prorsus modo sese habeant, aut, si mavis, paria sint, ast in posteriori adesse rationem, cur alterutrum descendat, quia pondus gravius fortius trahit li-

bram deorſum, quam levis. Videt itaque, ſine ratione ſufficiente fieri non poſſe, ut pondus unum deſcendat, alterum aſcendat, atque ita exhibetur notio principio rationis ſufficientis reſpondens in re, quæ in vulgus nota eſt. Similiter ſi quis ſibi repræſentat vas cupreum aqua repletum ſuper igne collocatum & aliud ſimile ſuper ligno non accenſo; aquam in priori ebullire debere affirmabit, in poſteriori negabit. Haud difficulter ipſum docebis, ideo prius affirmari, poſterius negari, quia in caſu priori adeſt id, per quod intelligere ſibi videtur, aqua quod ebullire debeat, in poſteriore autem id minime adeſt, conſequenter hic quid fieri poſſe affirmat, quia ratio ſufficiens adeſt, & fieri poſſe negat, quia deeſt ratio ſufficiens. Ecquis non videt, omnes effectus naturales, ſeu quicquid in rerum natura contingit, eodem prorſus modo reductioni principii rationis ſufficientis ad ſenſum communem adhiberi poſſe. Nimirum quando quis experientia edoctus fuerit, hoc poſito poni etiam aliud, tunc intelligere ſibi videtur, cur aliud ponatur, atque hoc ſufficit, ut neceſſitas rationis ad determinandum exiſtentiam rei agnoſcatur, utut penitus nondum perſpiciatur principium rationis ſufficientis, quatenus nondum perſpicitur, per id, quod ponitur, alterum quod propter ipſum ponitur, intelligibili modo explicari poſſe. Provocare etiam licet ad facta noſtra perpendendo, cur potius fecerimus, quam non fecerimus, & contra. Dedimus jam exemplum cum de principio rationis ſufficientis in philoſophia prima ageremus (§. 56. *Ontol.*), ad cujus ſimilitudinem alia quæcunque facta urgeri poſſunt. Et ut conſtet, nihil admitti, niſi adſit per quod intelligatur, cur quid potius ſit, quam non ſit, & notio ſufficientiæ rationis menti ingeneretur; provocandum eſt ad exempla parentum, qui ex libris quærunt, cur hoc fecerint, quod facere non debebant, nec acquieſcunt in qualibet reſponſione, nec dictis fidem habent, niſi per id, quod proferunt, intelligant, ipſorum voluntatem

ad

ad agendum hac ratione determinari potuisse. Inprimis etjam hic attendendum est, quod quærant rationes rationum, manifesto indicio, quod rationem sufficientem se nondum nosse putent, nisi rationes rationum fuerint perspectæ. De mundo fabuloso, insulso omnino figmento, ad quem in præsenti propositione provocamus, & qui tabulis æneis incisus plebi imperitæ, quæ absurdis & risum moventibus delectatur, venditur, , diximus alias & ejus usum in principio rationis sufficientis ad sensum communem reducendo uberius declaravimus (*not* §. 77. *Ontol.*), ut in præsenti plura addi necesse minime videatur. Restat tamen adhuc aliquid, quod silentio non prætereundum. Definivimus reductionem veritatum universalium ad sensum communem per actum intellectus, quo notiones eorum, quæ a sensu remota sunt, per ideas rerum sensibilium in vulgus notarum ob similitudinnm animo ingenerantur (§. 442. *part.* 1. *Eth.*): in præsenti autem propositione, quæ præcipiuntur, videntur potius facere ad evincendum, quod principium rationis sufficientis ad notiones communes sit referendum, & ad ostendendum modum notionem eidem respondentem ab exemplis abstrahendi, cum notio menti ingignenda per se insit rebus sensibilibus, quæ considerantur, non vero ob similitudinem cum rebus aliis, quarum notio ingignenda, quemadmodum notio effectus verbi divini prædicati in animis hominum inest fructificationi seminis in agro in parabola Christi de seminante & notio animi ab omni vindictæ cupidine alieni in eo, qui dextra maxilla percussa præbet percutienti etiam alteram (*not.* §. 242. *part.* 1. *Eth.*). Tenendum itaque in reductione veritatum universalium ad sensum communem necesse non esse, ut duo singularia prorsus diversa inter se comparentur, & quod uni inest captu difficile intelligibile reddatur per id, quod alteri inest atque in vulgus notum, sicuti prædicatio verbi divini & seminatio in parabola seminantis res a se invicem prorsus diversæ

versæ sunt; sed sufficere, ut id quod a sensu remotum est captuque in abstracto difficile reflectendo super re in vulgus nota intelligibile reddi possit, quemadmodum animus ab omni cupidine vindictæ alienus revera inest ei, qui percussa dextra maxilla præbere fingitur percussori etiam sinistram: neque enim reductione ad sensum communem aliud intenditur, quam ut ea, quæ supra vulgi captum sunt, ad eundem reducantur, ut ab eo intelligantur, sicque ad convictionem parum aptis, nec certum ab incerto distingvere valentibus veritas persuadeatur (*not* §. *cit.*

§. 21.

Quomodo argumentum pro existentia Dei a posteriori ad sensum communem reducatur.

Argumentum pro existentia Dei a posteriori ad sensum communem reducitur, si ostendatur, quod unusquisque per continuam generationem descendens ab aliis rationem sufficientem existentiæ suæ in hac serie non habeat, sed tandem supponendum sit aliquod ens extra seriem ab homine prorsus diversum, quod primis hominibus utriusque sexus existentiam alio modo, quam per generationem largitum est; quod idem obtineat in quocunque animali & quocunque vegetabili, quocunque tandem modo propagetur, immo simile quid obtinere in quocunque effectu naturæ, facta comparatione causarum a se invicem quoad existentiam dependentium cum parentibus & majoribus nostris in linea recta. Inprimis autem urgendum est, nisi quis hebetior fuerit, quam ut hoc capere possit, ens istud primum tale esse debere, ut per ea, quæ ipsi insunt, intelligatur, quomodo ens primum in aliqua contingentium serie vi ipsius ad actum perduci potuerit. Etenim argumento pro existentia Dei a posteriori existentia Dei concluditur ex contingente existentia universi, seu mundi hujus adspectabilis, rerumque in ea existentium (§. 12.). Nititur autem hoc principio, quod contingentia in mundo non habeat rationem sufficientem actualitatis suæ in serie successivorum, per quam actus

actus in mundo contingentium determinatur (§. 89. *Cosmol.*), ſed in ente alio extra ſeriem iſtam conſtituto, eoque neceſſario (§. 90. *Cosmol.*). Quamobrem cum ſeriem iſtiusmodi contingentium repræſentet linea recta, in qua per continuas generationes quilibet homo deſcendit; ſi ſupponamus, principium rationis ſufficientis ad ſenſum communem fuiſſe redactum (§. 20.), & conſideratione hujus ſeriei doceamus, admittendum eſſe aliquod ens extra hanc ſeriem conſtitutum, a quo homo primus alio modo quam per generationem exiſtentiam accepit, & vi principii rationis ſufficientis illud ens tale eſſe debere, ut per ea, quæ ipſi conveniunt, intelligatur, quomodo homo primus in ſerie ad exiſtentiam perduci potuerit; argumentum pro exiſtentia Dei a poſteriori ad ſenſum communem utique reducitur (§. 242. *part. 1. Eth.*). Quodſi vero ulterius oſtendatur, idem obtinere quoad exiſtentiam cujuscunque animalis atque vegetabilis, cujus actualitas per ſimilem prorſus ſeriem determinatur, per qualem exiſtentia hominis determinatur; argumentum iſtud magis adhuc ad ſenſum communem reducitur, tandemque omnem ſuam amplitudinem nanciſcitur hæc reductio, quam habere poteſt, ſi ad exiſtentiam effectus naturalis cujuscunque extenditur, quæ determinatur per cauſarum ſeriem, quæ continuo a ſe invicem dependent ut effectus a ſua cauſa (§. 83. *Cosmol.*). Nimirum ubivis apparet, non poſſe admitti exiſtentiæ entis cujuscunque, aut effectus naturalis rationem ſufficientem, niſi tandem ſubſiſtamus in aliquo ente extra ſeriem conſtituto ab iis, quæ in ſerie conſtituta ſunt, diverſo ac iſtiusmodi qualitatibus veſtito, per quas intelligitur, cur ens in qualibet ſerie primum exiſtere potuerit, ſeu ejus vi ad exiſtentiam perduci.

Ne modus demonſtrandi, quo hic utimur, forſitan confundat aliquos, pauca quædam monenda ſunt, antequam ad ipſam propoſitionem uberius explicandam & illuſtrandam progrediamur. Conſtat, ſi problema demonſtrandum eſt, id eſſe convertendum in theorema, ſumtis iis, quæ in reſolutione præcipiuntur, loco hypotheſeos, quod vero fieri debet pro theſi, ideoque ex illis hoc concludi, demonſtrando nimirum factis iis, quæ in reſolutione præcipiuntur, fieri quod faciendum erat. Ita nimirum proceditur in methodo ſynthetica. Enimvero poteſt quoque analytice ex eo, quod faciendum, concludi quid faciendum ſit, tuncque problema ita convertitur in theorema, ut hypotheſeos loca ponatur quod faciendum eſt, & loco theſeos ponantur, quæ facienda ſunt, ut illud fiat. Via hac analytica incedimus in demonſtratione propoſitionis præſentis, quemadmodum quoque alias ſubinde jam fecimus, hic vero monendum eſſe duximus, ne quis exiſtimet nos minus recte, ſeu contra ordinem genuinæ demonſtrationi convenientem procedere. Quodſi cui libuerit, demonſtratione ſynthetica uti; is analyticam, quam dedimus, nullo negotio in eandem convertet, modo in demonſtrando fuerit verſatus. Præſtat autem haud raro demonſtrationem analyticam præferre ſyntheticæ, quia clariorem lucem affundit menti & ad captum ejus, qui convincendus, magis accomodata eſt. Sed redeamus ad propoſitionem noſtram. Nemo non admittit ſe non exiturum fuiſſe, niſi extitiſſet pater ſuus. Idem vero de patre dicendum, reſpectu avi & ita porro de quolibet majorum ſuorum in linea recta conſtitutorum, quousque cogitando progredi libuerit. Enimvero hinc ſaltem naſcitur notio ſeriei cauſarum, per quam actus rei contingentis in natura rerum determinatur. Quodſi ergo porro quæſiveris, an exiturus fuiſſes, ſi pater tuus extitiſſet, non vero te generaſſet; utique ultro reſpondebis, te ideo exiſtere, quia pater te generavit. Atque inde naſcitur notio rationis, ſine qua quid

eſſe

esse nequit, scilicet quod semper aliquid adesse debeat, per quod intelligitur, cur quid potius sit, quam non sit, simulque notio causæ, quod rationem ejus, quod fit, continere debeat. Enimvero cum jam porro eodem modo intelligatur, patrem tuum ab avo tuo per generationem descendisse, atque idem valere in tota majorum serie, quousque tandem cogitando progrediaris; si in aliquo eorum subsistere & seriem terminare volueris, dubium supererit, quomodo primus in serie existere potuerit. Atque ita patebit, generationem per seriem continuatam non esse rationem sufficientem, sed admittendum esse alium modum, quo primus homo existere cœpit, consequenter requiri ens a genere humano diversum, cujus vi primus in serie homo aliter quam per generationem existentiam suam accepit. Defectum sufficientiæ rationis in serie contingentium omnium clarissime arguit quæstio veterum: an gallina extiterit ante ovum, an ovum ante gallinam. Cum enim ovum existere nequeat, nisi præexistat gallina, quæ ovum ponat, gallina autem nequeat existere, nisi præexistente ovo, ex quo excludatur; clarissime conspicitur, in hac contingentium serie non dari rationem sufficientem existentiæ gallinæ, consequenter eam quærendam esse in ente alio extra seriem constituto. Quodsi jam reliquas etiam series contingentium ad quas provocavimus in demonstratione, considerare volueris; non est quod dubites fore, ut demonstratio existentiæ Dei per contingentem existentiam rerum in universo ad sensum communem reducatur, cum ea, quæ in isto argumento maxime abstracta deprehenduntur, quasi manibus palpentur. Ex hactenus vero dictis apparet, quod in una contingentium serie non satis clare percipitur, idem clarius percipi in alia. Quamobrem in propositione præsente suasimus, ut non in uno genere contingentium acquiescamus. Ut vero etiam menti insinuetur notio generalis, qua concipiendum sit ens extra seriem constitutum, a quo dependet existentia ejus, quod in serie primum est, nimirum ut id, quod in illo

continetur, rationem in ferie contentam reddat fufficientem, ne in infinitum repetenda fit eadem quæftio, ratione ex ferie defumta menti non fatisfaciente; probe perpendendum eft, nos tanquam rationem non admittere, nifi nobis certum fit, ea pofita poni id, quod propter eam effe dicitur, veluti filium quoad exiftentiam a patre dependere per generationem, confequenter nifi intelligere nobis videamur, pofito hoc alterum poni debere.

§. 22.

De cautione in ufu reductionis iftius adhibenda.

Quoniam alius argumento minus evoluto fibi perfuadere poteft, & opinione faltem perfuafi fibi ad veritatem perfuafi videntur, quemadmodum a pofteriori fatis exploratum eft; *fi nobis cum certo quodam fubjecto negotium fuerit, cujus gratia argumentum pro exiftentia Dei ad fenfum communem reducendum, ex qualitate fubjecti dijudicandum, quænam ex iis, quæ de reducendo argumento ifto ad fenfum communem præcipiuntur* (§. 21.), *potiffimum urgenda fint, & quomodo urgeri debeant, & fi qua præjudicia fe produnt, quæ mentem obnubilant, quo minus notionem abftractam in rebus fenfibilibus perfpicere poffit, ea fimili reductione ad fenfum communem eradicanda.*

Quemadmodum lux nimis oculos confundit, & noctuæ ac vefpertiliones ferre nequeunt lucem diurnam, præfertim meridianam; ita quoque accuratior argumentorum difcusfio plurimorum aciem animi obtundit, ut, quæ citra ipfam certa iisdem videbantur, in dubitationem adducantur, aut prorfus non capiantur. Non jam inquirimus, undenam fit ea ingenii humani diverfitas, quæ præter rationes naturales alias ex accidente fupervenientes habet, cum harum difcusfio nimis procul ab inftituto noftro nos abduceret. Quomodo autem præjudicia, quæ mentem obnubilant, reductio-

ne

ne ad ſenſum communem ſint eradicanda, ex ſequentibus elucеſcet. Iſtiusmodi præjudicium eſt, quod fovent athei nonnulli de ſtatu mundi a præſenti diverſo, in quo alio modo quam per generationem homines naſci potuerint, de quo deinceps dicemus.

§. 23.

Quomodo intellectus divinus ex contemplatione mundi agnoſcatur.

Qui conſideratione mundi intellectum divinum agnoſcere vult, inquirere tenetur in ſtructuram ejus & corporum organicorum, tum etiam modum compoſitionis corporum aliorum quorumcunque & quomodo rationes actionum & paſſionum in eadem contineantur atque ceterorum quorumcunque, quæ ipſis conveniunt, vel convenire poſſunt. Etenim mundus hic adſpectabilis & quicquid in eodem exiſtit quoad eſſentiam ſuam dependet ab intellectu divino (§. 801. *part. 1. Theol. nat.*) & ſpeculum eſt intellectus divini per eſſentiam ſuam (§. 802. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem ex eſſentia mundi & rerum in eo exiſtentium intellectus divinus cognoſcitur (§. 784. *part. 1. Theol. nat.*). Enimvero corporis organici ſtructura eſſentia ejusdem eſt (§. 276. *Coſmol.*), corpuſculorum mixti mixtio & corporis mixti modus, quo corpuſcula mixti inter ſe junguntur (§. 257. *Coſmol.*), & in genere modus compoſitionis, quo partes tales ſic, non aliter junguntur, eſſentia corporum quorumcunque (§. 140. *Coſmol.*), in eſſentia autem entis cujuslibet continetur ratio eorum, quæ præter eam eidem vel conſtanter inſunt, vel ineſſe poſſunt (§. 167. *Ontol.*). Quamobrem ſi quis conſideratione mundi intellectum divinum agnoſcere vult, inquirere tenetur in ſtructuram ejus & corporum organicorum, tum etiam modum compoſitionis corporum aliorum quorumcunque & quomodo rationes ceterorum quorumcunque, quæ ipſis con-

conveniunt, vel convenire possunt, ideoque etiam actionum & passionum, in eodem contineantur.

Sicuti ex artificiosa structura operis artificialis cognoscitur intellectus artificis; ita etiam ex admiranda structura systematis mundi & corporum organicorum modoque compositionis inorganicorum agnoscitur intellectus divinus. Quemadmodum enim ibi supponitur, operis artificialis autorem esse artificem (§. 16.), ita hic quoque supponitur systematis mundi & rerum omnium in eo existentium autorem esse Deum (*not.* §. 15.). Artifex fecit opus juxta ideam, quam animo concepit: non minus autem idea rerum omnium in intellectu divino existunt (§. 181. *part.* 1. *Theol. nat.*). Immo intellectus divinus est distincta & simultanea omnium possibilium repræsentatio (§. 164. *part.* 1. *Theol. nat.*). Quamobrem qualis sit intellectus ex rerum essentiis & ceterorum, quæ rationem in eadem agnoscunt, colligitur. Qui negant essentias rerum naturalium a nobis cognosci posse, negare quoque debent nos ex illis intellectum divinum agnoscere posse. Enimvero hi sunt, qui quid essentiæ nomine significare debeant, ipsimet ignorant, in philosophia prima prorsus hospites & alieni aliisque præjudiciis mentem occæcatam habentes. Quodsi vocabulum essentiæ in eodem significatu accipiant, quem nos eidem tribuimus recepto in philosophia usui loquendi convenienter, circa propositionem præsentem litem nullam movere nobis possunt, nisi logomachias ament. Si vocabulum ipsos offendat, ab illo abstineant, rem eodem indigitatam, quam negare non possunt, teneant: veritas enim propositionis a vocabulo minime dependet.

§. 24.

Quod historiæ naturali, Astronomiæ

Quoniam intellectus divinus agnoscitur ex structura mundi & corporum organicorum & modo compositionis rerum

rerum naturalium quarumcunque, inquirendo praeterea, quomodo rationes actionum & passionum, ac in genere ceterorum quorumcunque, quae rebus vel actu conveniunt, vel convenire possunt, in eo contineantur (§. 23.), res vero naturales & quae iisdem conveniunt ex historia naturali, systema mundi ex Astronomia & rationes eorum, quae rebus conveniunt, atque inprimis actiones ac passiones eorundem ex scientia rerum naturalium, seu Physica cognoscuntur, quod per se patet, *Historiae naturali*, *Astronomiae atque Physicae sedulam operam navare debet intellectum divinum consideratione hujus universi agniturus.* *& Physicae ideo opera navanda.*

Si historia naturalis recte tractetur, non modo inde cognoscitur multitudo rerum naturalium & admiranda earundem varietas; verum etiam ea addiscuntur, quae rebus naturalibus conveniunt, quae ab ipsis proficisci, quae iisdem accidere possint. Ad eandem quoque referendae sunt observationes microscopicae, quibus historia naturalis mirifice locupletatur, & maximum adjumentum affertur ad intellectum divinum agnoscendum. Pertinet huc etiam Anatomia, quae structuram admirandam & prorsus imperscrutabilem corporum organicorum manifestat, praesertim si in iis, quae sensui nudo obvia non sunt, observationes microscopicae non negligantur. Etsi enim verum sit, quemadmodum *Stablius*, Medicus nuper in Academia nostra non incelebris, contendit, anatomiam subtilem nulli usui esse in Medicina, in quo tamen per omnia ipsi minime assentimur; maximo tamen usui est in intellectu divino agnoscendo, ut, qui cum *Aristophane* ridet Philosophos & ignominioso anatomicorum pulicum nomine traducunt, ipsi deridendi sint, dum philosophos aliis deridendos propinare student. Quantum Astronomia contulerit ad veram systematis mundi cognitionem, nemo est qui nesciat, nisi in omni *Astronomia* recentiori fuerit plane hospes ac peregrinus, ut ne quidem histo-

hiſtoricam quandam eorum, quæ Aſtronomorum diligentia & ſagacitate detecta ſunt, cognitionem habeat. Fertur equidem *Alphonſus X*, Caſtellæ & Legionis Rex, ob Philoſophiæ & Aſtronomiæ peritiam ſapiens cognominatus, qui quadraginta millia aureorum tabulis aſtronomicis inſtaurandis impendit, dixiſſe, ſe longe melius ordinaturum cœleſtia, quam Deus feciſſet, ſi ad ſe illa cura pertinuiſſet, quod ſyſtema mundi intellectui divino parum convenire putaret: aſt ſuppoſuit ille ſyſtema Ptolemaicum, in quo anomalias motuum cœleſtium conſequi non valebat, nec fieri poteſt, ut quis conſequatur (§. 593. *Elem. Aſtr.*). Quodſi ipſi perſpecta fuiſſent, quæ noſtro ævo de corporibus cœleſtibus & ſyſtemate mundi detecta ſunt, ſyſtema mundi intellectui divino, qualem demonſtramus in Theologia naturali & ex ſcriptura ſacra deſcribunt Theologi, optime convenire agnoviſſet. Legerat *Alphonſus* tota ſacra Biblia decies, & quater cum ipſius gloſſis, dictisque ſcripturæ fidem habens inde hauſerat notionem intellectus divini, cui omnino ſyſtema Ptolemaicum, præſertim cum tunc temporis totus mundus ex octo orbibus cryſtallinis compoſitus crederetur, parum reſpondebat. Cum Chymia mixtiones materiæ in corporibus detegat, ſaltem inveſtigare debeat, mixtionis autem notitia faciat ad cognitionem eſſentiæ mixtorum ac inde petenda ſit ratio eorum, quæ mixto qua mixto conveniunt; quin hæc quoque ſymbolam ſuam conferat ad intellectum divinum conſideratione rerum naturalium agnoſcendum dubitandum non eſt. Aſt noſtrum in præſenti non eſt inquirere, quantum huc usque profecerit Chymicorum induſtria & num ipſorum inventa eum præſtent in eſſentiis rerum naturalium intimius ſcrutandis uſum, qui vulgo prædicatur, cum intellectus divinus ſatis ſuperque agnoſcatur ex natura rerum, ſi vel maxime ad materiæ mixtionem non deſcendatur. Immo hic nobis ſufficit pauca cognoviſſe, quæ certa ſunt: quomodo vero ea, quæ incerta adhuc videntur,

dentur,

dentur, ipsa quoque influant in agnitionem intellectus divini, mox videbimus. Quod denique Physicam attinet, ea quidem ex rerum naturalium essentia atque natura rationem reddere debet eorum, quæ in rerum natura contingunt, &, si systema Physicæ omnibus suis numeris absolutum prostaret, intellectus divini agnitionem mirifice amplificaret; ultro tamen fatendum est, istiusmodi systema adhuc in desideratorum numero esse, nec spem ejus propinquam videri, si vel maxime hanc non prorsus abjicere velimus, ac denegare posteris, quæ nobis speranda non sunt. Ast negari tamen non potest, postquam rerum naturalium scrutatores observationibus & experimentis Physicam promovere studuerant, & adhuc student, immo etiam Medicorum solertia Physiologia multum fuit exculta & hodienum ulterius excolitur, Physicam quoque ab historia naturali sejunctam instituto nostro servire, quamvis hypothesibus, quarum in Physica usum alias inculcavimus (§. 127. *Disc. prælim.*), in præsenti non alium concedamus locum, quam incertis reliquendum esse ostendemus.

§. 25.

De magnitudine intellectus divini.

Intellectus divini magnitudo agnoscitur, si perpendatur immensitas spatii mundani, in quo existunt corpora mundi totalia, numerus & varietas corporum partialium, & spatii ac temporis in partes incomprehensibiliter exiguas divisibilitas, quam produnt observationes microscopicæ. Ex Astronomia constat, circa Solem revolvi Mercurium, Venerem, Tellurem cum suo satellite Luna, quæ circa ipsam movetur, inde porro Martem, Jovem cum quatuor satellitibus, sive Lunis in diversis ab eo distantiis circa eundem motis, atque Saturnum cum quinque satellitibus sive Lunis, quæ circa ipsum revolvuntur (§. 630. *Astron.*). Est autem Solis substantia ignea

ignea (§. 431. *Astron.*), Luna vero nostra (§. 487. *Astron.*), Saturnus, Jupiter, Mars, Venus & Mercurius, nec non Saturni ac Jovis Satellites sunt corpora Telluri simillima (§. 524. 525. *Astron.*). Juxta recentissimas Astronomorum Gallorum observationes distantia media Mercurii a Sole est 8514, Veneris 15906, Terræ nostræ 22000, Martis 33582, Jovis 114400, & Saturni 209836. semidiametrorum terrestrium, qualis una est 860. milliarium Geographicorum, seu juxta Gallorum dimensionem 1432½ milliarium (§. 906. *Astron.* & §. 43. *Geogr.*). Quamobrem spatium, quod occupat systema nostrum planetarium a centro Solis usque ad centrum Saturni Planetarum primariorum maximi spectari potest tanquam sphæra, cujus diameter est 209836. diametrorum terrestrium, quarum una juxta Astronomos Gallos est 2865. milliarium. Considerandum vero porro est, stellas fixas ultra Saturni sphæram a Terra distare (§. 1110. *Astron.*), nec eodem intervallo ab ea remotas esse (§. 1114. *Astron.*), distantiam vero proximarum minimum 608608000. semidiametrorum terrestrium esse (§. 1116. *Astron.*). Cumque sint totidem Soles (§. 1120. *Astron.*), Sole nostro non minores (§. 1121. *Astron.*), circa quos moventur perinde ac circa Solem nostrum planetæ, seu corpora mundi totalia opaca, quæ ipsarum lumine illustrantur, calefiunt & fœcundantur (§. 1122. *Astron.*); vastitatem spatii mundani immensam, quæ omnem imaginandi vim excedit, inde perspicimus. Ea autem magis adhuc patescit, si cogitemus ingentem fixarum numerum, quas in Catalogo suo recenset *Flamsteedius*, primum in Historia cœlesti Britannica locum occupante (§. 244. *Astron.*), & quod numerus stellarum nonnisi per telescopia observandarum eundem multum excedat perpendamus

damus (§. 1113. *Aſtron.*). Quodſi jam porro oculos convertamus in corpora partialia, quæ in globo noſtro terraqueo deprehenduntur, Hiſtoria naturalis docet, quantus ſit hominum Terram inhabitantium numerus, quanta ſit rerum varietas & quanta in quolibet genere multitudo, tum in regno animali, tum vegetabili, tum minerali. Cumque omnes planetæ ſint Terræ ſimiles, non minor varietas corporum partialium in iisdem obvia eſſe debet, quam in Terra a nobis inhabitata, nec minor, ſed potius in nonnullis major earundem numerus, cum magnitudine ſuperent noſtram, aut eidem æquales ſint, ſi Mercurium & Martem excipias. Et quoniam circa unamquamque ex fixis, tanquam totidem Soles, ut circa Solem noſtrum etiam ſint planetæ, qui recte Telluri aſſimilantur, varietas & multitudo corporum partialium tantum non in infinitum multiplicatur. Abſit vero ut exiſtimes hoc modo omnem corporum partialium varietatem atque multitudinem, quantum nobis aſſequi datur, animo comprehendi: reſtat enim ut oculum quoque armatum convertamus in particulas ſpatii, in quas natura idem actu diviſit, & non minus animalculorum viventium habitaculum fecit, quam rebus aliis exornavit. Solus *Antonius van Leeuwenhœk* in operibus ſuis ſufficere nobis poteſt, ſi ex ejus obſervationibus microſcopicis hanc diviſionem eruere velis. Nos in præſenti ſaltem provocamus ad obſervationem *Franciſci Tertii de Lanis* & ad aliam, quam idem commemorat, *Euſtachii Divini.* Narrat ſcilicet *F. T. de Lanis* in Magiſterio naturæ & artis Tract. 1. lib. 1. c. 1. obſerv. 1. ſ. 1. ſe non ſemel obſervaſſe ſupra folia hypericonis vermiculi cujusdam albiſſimi genus, quod per microſcopium corpus 27000000. vicies augente, granum hordeaceum

 ex-

excedere non apparebat, duplici serie pedum instructum & velocissime incedens. Unde patet, si granum hordeaceum in 27000000. partes dividatur, unam eorum capere posse animal, quod corpore organico instar majorum gaudet. *Eustachius* vero *Divinus*, prout ille refert observ. 2. t. 2. per microscopium, quod corpora 294207. vicibus augebat, minutissima arenæ granula observans vidit vermiculum multipedem, candido & spumoso dorso, sed adeo exiguum, ut cum arenæ granula nuci magnitudine æqualia viderentur, ipse non appareret major, quam nudo oculo unum ex istis arenæ minutissimæ granulum. Inde vero colligitur, si minutissimæ arenæ granulum in partes 294207. dividatur, magnitudinem unius posse esse receptaculum animalis viventis, cujus corpus non minus artificiosum deprehenditur, quam animantium maximorum. Atque hinc satis intelligitur, in quam exiguas partes spatium actu divisum sit in rerum natura. Quoniam vero in mundo continuæ mutationes contingunt, & per has singulis momentis status universi mutatur, ita ut alius a priori videatur mundus, saltem idem continuo sub alio schemate appareat; porro quoque considerandum est, in quam exiguas particulas natura tempus actu dividat. Faciunt huc denuo observationes microscopicæ, præsertim de incessu animalculorum microscopicorum. Hoc modo *Delisle* in Historia Academiæ Regiæ scientiarum Parisinæ A. 1711. collegit, vermiculum microscopicum intervallo unius minuti secundi pedem millies movisse, consequenter natura tempusculum unius minuti secundi, quæ est pars 3600ma unius horæ, in mille partes actu dividi, ideoque horam in 3600000. partes actuales. Cum hoc universum, sive Mundus, sit series entium finitorum tam simultaneorum, quam

quam ſucceſſivorum (§. 48. *Coſmol.*), ſi perpendantur ea, quæ diximus, idea quædam hujus mundi formari poteſt, & pro modulo intellectus noſtri intelligi ejusdem amplitudo, ut, ſi inprimis ad ea quoque animum attendamus, quæ Phyſica inſinuat, pateat, quanta non modo rerum notitia, verum etiam ſcientia in eadem contineatur. Quoniam itaque in Deo continuo exiſtit idea hujus mundi (§. 181. *part. 1. Theol. nat.*), quoad ſtatum omnem præſentem (§. 939. *part. 1. Theol.*), & quæ præteritum & futurum (§. 940. *part. 1. Theol.*), atque in eadem continentur, omnia diſtincte (§. 156. *part. 1. Theol. nat.*), ac ſimul (§. 160. *part. 1. Theol. nat.*), una cum omnibus veritatibus univerſalibus cognoſcit (§. 162. *part. 1. Theol. nat.*); magnitudo intellectus divini, quantum nobis datur, inde agnoſcitur. Quamobrem patet, eundem conſideratione hujus univerſi agnoſci, ſi perpendamus immenſitatem ſpatii mundani, in quo exiſtunt corpora mundi totalia, numerum & varietatem corporum partialium, & ſpatii ac temporis in particulas incomprehenſibiliter exiguas diviſibilitatem, quam obſervationes microſcopicæ produnt.

Equidem jam alias demonſtravimus, ſi multitudinem rerum in univerſo, quibus ſpatium & tempus omne repletur, ad animum quantum datur revoces, ſpatii mundani non modo vaſtitatem, verum etiam ejus perinde ac temporis in partes admodum exiles diviſibilitatem cogites, intellectus divini magnitudinem quodammodo intelligibilem effici (§. 177. *part. 1. Theol. nat.*): quoniam tamen hic docendum erat, quomodo conſideratione hujus univerſi magnitudo intellectus divini cognoſcenda, idem paulo enucleatius erat proponendum. Patet autem hiſce contemplationibus potiſſimum inſervire Aſtronomiam, Hiſtoriam natura-

 tura-

turalem & Micrographiam, itemque Physicam tam experimentalem, quam dogmaticam. Quo magis itaque in his disciplinis quis fuerit versatus; eo lucidior quoque evadet idea mundi ad magnitudinem intellectus divini repraesentandam. Equidem Astronomia geometrica ad captum paucissimorum est, neque omnibus vacat tantum temporis huic studio impendere, quantum requiritur, si quis eam scientiam sibi comparare voluerit; ad praesens tamen institutum sufficit historica saltem cognitio eorum, quae de corporibus mundi totalibus, eorundum magnitudine atque distantiis & motu tam vertiginis, quam circa Solem Astronomi prodiderunt. Et legi inprimis meretur *Christiani Hugenii* Cosmotheoros, sive Tractatus de Terris coelestibus earumque ornatu. Quamvis vero immensitas intervallorum inter Solem & Planetas ex dimensione illorum per semidiametros Terrae, praesertim si Terrae semidiameter in mensura pedum nobis nota detur, intelligi possit; ad sensum tamen communem magis reducitur, si cogitemus, quanto annorum intervallo globus ex majore tormento emissus ex Terra ad Solem veniret. Docuit *Hugenius* in Cosmotheoro lib. 2. globum hunc, qui singulis horae secundis scrupulis, sive arteriae pulsibus centum circiter hexapedas gallicas vi experimentorum a *Mersenno* in Balisticis commemoratorum conficit, si ex Terra ad Solem tanta illa celeritate continue feratur, fere annos viginti quinque esse insumturum antequam iter hoc peragat, a Jove autem ad Solem 125, a Saturno 250. annis opus habere. Tellurem esse planetam cum Marte medio loco inter ceteros planetas collocatum, & in Mercurio, Venere ac Marte instar planetae videri, seu eodem modo fulgere, quo nobis illi fulgent, demonstratum est, utut propter exilitatem suam in Jove & Saturno conspici minime possit, nec minus demonstratum est, planetas omnes tam primarios, quam secundarios esse Telluri simillima corpora, per se opaca, sed a Sole illuminata

nata, cujus reflexo lumine perinde ac in diſtantia remotiori Tellus fulgent. Quod vero de corporibus partialibus in Planetis exiſtentibus dictum probabiliter ſaltem oſtenditur oſtendique poteſt, argumento inprimis ab analogia deſumto, quod quanti ſit ponderis in rerum naturalium cognitione ipſa Aſtronomia docet, in qua habemus exempla eorum, quæ cum eſſent per analogiam probata, ſucceſſu temporis demonſtrata veritati conſentanea deprehendimus. Nimirum quamvis Aſtronomi, qui norunt quid interſit inter demonſtrationem & probationem, quæ veri ſimilitudinem ſaltem evincit, ultro fateantur, ea pro certis venditari non poſſe; probationes tamen ipſorum multo majus pondus habent, quam probationes aliorum eruditorum, quas pro demonſtrationibus habent, aut quibus eam vim tribuunt, quæ certam rei ſcientiam parit. Non vero diffitemur, corpora partialia in diverſis planetis a noſtris differre poſſe, quemadmodum videmus animalia in aliis regionibus differre ab iis, quæ in noſtra ſunt, ac idem valere de plantis. Immo nullus dubito fieri poſſe, ut hujus differentiæ varia detegamus, ſi in eam inquirere ſollicitius vellemus. Abſonum omnino videtur ſtatuere, quod Planetarum maximi, Saturnus quinque & Jupiter quatuor Lunas habens, vaſta omnino corpora, ſint omni ornatu orbata, eumque in ſolam Tellurem adeo exilem, ut in ſyſtemate noſtro planetario nonniſi puncti rationem habeat, collatum fuiſſe omnem, totque Soles, quos fixas ſingulas eſſe conſtat, fruſtra lucere ac miniman eorum partem a terricolis, oculo præſertim nudo, nocturno tempore videri. Nullus dubito fore, ut, ſi quis in uno planetarum fuiſſet & quænam ſint in eodem corpora partialia, qualis ſit ejus ſuperficies vidiſſet, ultro fateatur, talia quoque corpora in ceteris planetis eſſe debere, eorumque ſuperficiem ſimilem eſſe ſuperficiei illius. Aſt ſumus nos in uno planetarum ejusque ſuperficiem & quæ in eo ſunt corpora partialia propius conſpicimus. Quidni igitur a Tellure hac in parte ad Planetas ceteros valeat argumentatio?

tatio? Ad Historiam naturalem referuntur etiam, quæ Itinerariorum scriptores ad Geographiam physicam, quæ vulgo dicitur, populorum diversos terrarum tractus incolentium mores narrant, modo fuerint in observando satis circumspecti, nec narrent nisi experta: ingens enim cognoscibilium multitudo in genere humano continetur, & abyssus quidam scientiæ in eodem latet. Deo cum aperta sint omnia, tectum nihil (§. 180. *part. 1. Theol. nat.*); consideratione hominum per totum terrarum orbem dispersorum idea, quam de magnitudine intellectus divini formamus, multum ampliatur, præsertim si cognitio humani generis in Tellure nostra acquisita producitur ad planetas ceteros, tam eos, quos certo extare novimus, quam innumeros reliquos, quorum existentiam conjectando assequimur. Observationes microscopicæ, per quas nobis innotescit rerum sine oculo armato minime conspicuarum existentia, novum quasi mundum invisibilem nobis revelant, quem in infinitum abire non minus ex defectu intellectus conjectando assequimur, quam idem de mundo visibili ex sensuum defectu colligitur. Quæ hic dicuntur, minime obscura sunt ei, cui differentia inter mundum sensibilem & intelligibilem perspecta est, alibi a nobis satis distincte explicata (§. 203. *part. 1. Theol. nat.*). Physica experimentalis revera pars est historiæ naturalis, quatenus in ea experimenta describuntur, consequenter experimentator narrat, quæ ipse fecit & concursu suo natura, sine quo id minime contigisset. Quod enim mere historicum est, ideoque ad facta nostra atque facta naturæ unice spectat, accurate discernendum ab eo, quod beneficio intellectus inde colligitur ad Physicam dogmaticam referendum, ne vitium subreptionis in experiundo committatur (§. 668. *Log.*). Physica dogmatica non modo tradit propositiones universales, quas ex observatione singularium eruimus (§. 708. *Log.*); verum etiam, in quo potissimum occupari debet, rationes reddere tenetur eorum, quæ per corpora fieri possunt (§. 59. 31. *Disc. præalim.*).

Acqui-

Acquiescendum hic nobis est in caussis proximis, ut contenti esse debeamus, si phænomena ex phænomenis explicare valeamus, veluti rationis loco allegantes gravitatem, etsi ignoremus, quidnam corpora efficiat gravia, cum nulla nobis spes relicta sit, ut ad rationes ultimas in elementis rerum materialium contentas (§. 191. *Cosmol.*) perveniamus. Quid hic dandum sit conjecturis, cum somniis tamen minus recte philosophantium, imaginationis abortu, non confundendis, alio loco rectius explicabitur. Ducit nos Physica dogmatica ad mundum rationalem (§. 258. *part. 1. Theol. nat.*), qui cum intellectus divini objectum sit (§. 262. *part. 1. Theol. nat.*), quicquid nobis ad eundem referendum innotescit, ad intellectus divini ideam ampliandam utique conducit. Quoniam denique homo quoad animam non minus, quam quoad corpus ad hoc universum spectat; Psychologia quoque & pendentes inde disciplinæ ceteræ eodem facere possunt. Immo addi poterant multa adhuc alia, sed quæ ad paucorum forsan sunt palatum, ceteris vero facile innotescunt, si quæ de intellectu divino in utraque parte Theologiæ naturalis demonstrata sunt animo comprehenderint. Plura igitur addere nolumus.

§. 26.

De incomprehensibilitate intellectus divini agnoscenda.

Incomprehensibilitas intellectus divini consideratione hujus universi agnoscitur, si perpendamus multitudinem cognoscibilium in idea mundi contentam. Etenim si multitudinem cognoscibilium in idea mundi contentam perpendamus, cum Deus omnia cognoscat distincte, nihil prorsus confuse (§. 156. *part. 1. Theol. nat.*), atque simul (§. 160. *part. 1. Theol. nat.*), ex adverso autem experiamur, nostras rerum ideas ex confusis coagmentatas esse, & eas nonisi successive in anima nasci, una alteri succedente, quomodo fieri possit, ut Deus omnia sibi prorsus distincte & simul repræsentare valeat,

nobis minime repræsentare possumus. Quoniam itaque nobis incomprehensibile est cognoscibile, si modum, quo est vel fieri potest, nobis minime repræsentare valemus (§. 170. *part. 1. Theol. nat.*); si perpendamus multitudinem cognoscibilium in idea mundi contentam, consideratione hujus universi incomprehensibilitas intellectus divini agnoscitur.

Quomodo multitudo cognoscibilium in idea mundi contenta nobis innotescat ipsius consideratione, abunde patet tum ex demonstratione propositionis præcedentis, tum ex iis, quæ ad eandem annotavimus. Plura igitur addere nolumus.

§. 27.

De inscrutabilitate intellectus divini.

Consideratione mundi agnoscitur, intellectum divinum nobis inscrutabilem esse, si perpendamus stupendam multitudinem eorum, quæ ad notitiam nostram pervenire nequeunt, quod ea, quæ cognoscimus, plura involvant nobis investigabilia, quam quæ a nobis investigari possunt, quod denique nimis arctis limitibus scientia rerum naturalium contineatur. Quam multa in mundo sint, quæ ad notitiam nostram pervenire nequeunt, clarissime perspicitur, si consideremus, quod innumera sint corpora totalia, quorum ne quidem existentia nobis innotescere potest, & quod longe major adhuc sit multitudo corporum partialium tam in planetis nobis notis, quam ignotis, ad quorum notitiam omnis nobis præclusus est aditus: id quod adhuc luculentius apparet, si exilitatem Telluris respectu systematis nostri planetarii, nedum totius mundi perpendamus, atque cogitemus, quam multa sint in exili hoc globo terraqueo, quæ ignoramus, & quod ad intus latentia nulla pateat via, ut a superficie usque ad

ad centrum iter peragere nobis concedatur. Hæc satis manifesta sunt ex iis, quæ de vero mundi systemate & natura corporum mundi totalium in anterioribus allegavimus (§. 25.). Porro dum sentimus anima sibi repræsentat substantiarum simplicium mutationes intrinsecas, sed in unum confusas (§. 98. *Psych. rat.*), & nihil, quod rebus materialibus inest, prorsus distincte sensu percipitur, nec natura rerum sensui pervestigabilis (§. 102. *Psych. rat.*). *Qui* ergo novit, quomodo ideæ rerum materialium confusæ nascantur ex confusione confusarum in unam & animum ad divisionem spatii actualem, quam produnt microscopia optimæ notæ, attendens perpendit, tam multiplici idearum confusione opus esse, antequam resultet idea rei sensibilis, quam habemus, ut numerum confusionum inire minime valeamus, & reipsa experitur, quod in resolutione idearum non longe progregredi nobis detur, sed statim subsistendum sit in confuse perceptis aliunde jam notis; is abunde intelligit, ea, quæ de corporibus partialibus in Tellure nostra cognoscimus, si vel maxime ea ad sensum saltem referantur, nec extra mundum sensibilem in intelligibilem penetrare velimus, plura involvere nobis investigabilia, quam quæ de iis investigari possunt. Quod denique scientia rerum naturalium nimis arctis limitibus contineatur, Physica abunde docet, quæ rationes eorum reddere debet, quæ observamus: sit ita, qnod saltem phænomena ex phænomenis explicemus. Nihil itaque hic sumitur, ut inde agnoscatur, intellectum divinum nobis inscrutabilem esse, quod non tanquam verum admitti possit. Enimvero si quis perpendat stupendam multitudinem eorum, quæ ad notitiam nostram pervenire nequeunt, quod ea, quæ co-

gnoſcimus, plura involvant nobis inveſtigabilia, quam quæ a nobis inveſtigari poſſunt, quod denique nimis arctis limitibus ſcientia rerum naturalium contineatur; quod idea mundi, qualis in intellectu divino exiſtit (§. 181. *part. 1. Theol. nat.*), innumera contineat, quæ a nobis inveſtigari minime poſſunt, ſatis ſuperque intelligit. Quamobrem cum intellectus divinus inſcrutabilis dicatur, quatenus comprehendit nobis inveſtigabilia; conſideratione mundi eundem nobis inſcrutabilem eſſe agnoſcimus, ſi perpendamus ſtupendam multitudinem eorum, quæ ad notitiam noſtram pervenire nequeunt, quod ea, quæ cognoſcimus, plura involvant nobis inveſtigabilia, quam quæ a nobis inveſtigari poſſunt, quod denique nimis arctis limitibus ſcientia rerum naturalium contineatur.

Differt inſcrutabilitas intellectus divini ab ejus incomprehenſibilitate, de qua dictum eſt in propoſitione præcedente. Incomprehenſibilis nimirum dicitur intellectus divinus, quatenus nobis minime repræſentare valemus modum, quo idea univerſi tantam rerum multitudinem continens & ſingula diſcernibilia uno quaſi obtutu comprehendenda exhibens, ab intellectu divino formari poſſit, ita ut nihil inſit in mundo intelligibili atque rationali, cujus Deus ſibi non ſemper ſit conſcius. Aſt inſcrutabilis dicitur intellectus divinus, quatenus ideæ mundi, quæ in intellectu ipſius exiſtit, innumera inſunt, quæ a nobis inveſtigari minime poſſunt. Stupendam prorſus horum multitudinem ut agnoſcamus, cogitanda quoque eſt continua rerum in univerſo mutatio. Cum enim idea mundi, qualis in intellectu divino exiſtit, quemadmodum jam ante monuimus (§. 25.), mundum repræſentet quoad omnem ſtatum quovis momento variantem; repræſentationes iſtæ, quibus ſtatus mundi continuo variatur (§. 725. *Ontol.*), non minus in numerum inveſtigabilium referenda ſunt, quam ea, quæ in mundo

&

& rebus in eodem existentibus tanquam fixa spectantur. Poterat hic quoque urgeri, quod in omni mundo materiali nec eodem tempore, nec diverso existant duo corpora similia (§. 246. *Cosmol.*), immo omnia elementa rerum materialium, substantiæ simplices (§. 182. *Cosmol.*), quarum aggregata sunt corpora (§. 176. *Cosmol.*), sint dissimilia (§. 195. *Cosmol.*) & unumquodque eorum contineat seriem nutationum, quæ diversa est a serie alterius cujuscunque (§. 198. *Cosmol.*), ideoque quovis momento status unius elementi differat a statu elementi alterius cujuscunque (§. 201. *Cosmol.*), immo idem elementum quoad modificationes etiam a se ipso (§. 197. *Cosmol.*). Ast ad ea descendere in præsenti nolumus, quæ ad paucissimorum sunt palatum, ab eo autem facile supplentur, qui in operibus nostris anterioribus versatus industriam suam in se desiderari passus non fuit. Plurimum vero conducit, ut differentiam inter mundum sensibilem & intelligibilem (§. 203. *part. 1. Theol. nat.*), & utriusque a rationali probe cognitam perspectamque habeamus (§. 258. & *seqq. part. 1. Theol. nat.*). Ex præsenti autem propositione patet, quomodo etiam ea, quæ a nobis vel prorsus non, vel non certo cognosci possunt, influant in agnitionem intellectus divini, quatenus nobis investigabilia sunt, immo quod investigabilia esse debeant, si consideratione mundi intellectus divinus a nobis agnosci debet, qualis sit. Et hoc modo etiam experimur, vera esse omnia, quæ de intellectu divino in Theologia naturali demonstrantur, dum consensus rationis & experientiæ redditur manifestus.

§. 28.

De potentia Dei agnoscenda.

Potentia Dei consideratione mundi agnoscitur, si perpendamus totum hunc mundum a Deo esse factum. Etenim si perpendimus, totum hunc mundum a Deo esse factum; Deum eundem ad existentiam perduxisse intelligimus, cum

antea ejus nihil extaret, ſed ejus ſaltem idea in intellectu divino exiſteret (§. 181. *part. 1. Theol. nat.*), vi cujus tantummodo poſſibilis erat (§. 192. *part. 1. Theol. nat.*). Quoniam itaque inde patet, Deo poſſibile eſſe ut ad actualitatem perducat ea, quæ in ſe ſpectata tantummodo intrinſece poſſibilia ſunt, poſſibilitas vero ad actualitatem perducendi ea, quæ intrinſece ſaltem poſſibilia ſunt, potentia Dei eſt (§. 222. *part. 1. Theol.nat.*); potentia Dei utique agnoſcitur conſideratione mundi, ſi perpendamus totum hunc mundum a Deo eſſe factum.

Oſtenditur etiam hoc modo. Mundus & quicquid in eo eſt quoad actualitatem ſuam dependet a potentia Dei (§. 803. *part. 1. Theol. nat.*) & quoad actualitatem ſuam eſt ſpeculum potentiæ divinæ (§. 804. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem ex eo, quod mundus a Deo ad exiſtentiam perductus eſt, colligitur potentia ipſius (§. 784. 222. *part. 1. Theol. nat.*). Quodſi ergo perpendamus totum hunc mundum a Deo eſſe factum, potentia ipſius agnoſcitur.

Qui potentiam Dei agnoſcere vult, utique ſupponere debet, quod Deus exiſtat & mundum hunc fecerit. Hæc igitur ante cognoſcenda ſunt, quam ad potentiam Dei agnoſcendam accedas. Faciunt vero huc, quæ de exiſtentia Dei ex contingente exiſtentia hujus univerſi rerumque naturalium colligenda (§. 12.) & de argumento pro exiſtentia Dei a poſteriori ad ſenſum communem reducenda ſupra demonſtravimus (§. 14.). Sed cum nemo non ultro admittat, potentiam Dei ex eo agnoſci, quod mundum hunc fecerit, alias non extiturum; non opus eſt, ut hiſce diutius immoremur. Quoniam vero mundus a Dei potentia non dependet niſi quoad actualitatem ſuam; ideo quoque eadem aliunde

niſi

nisi ex hac dependentia a posteriori agnosci potest potentia divina, nimirum ex eo, quod Deus eandem ad actualitatem perduxit. Sicuti enim potentia artificis agnosci nequit nisi ex opere, quod fecit; ita quoque potentia Dei non aliter agnosci potest, nisi ex opere ab ipso facto, qui est mundus. Ex eo, quod quis facit, colligitur, quod facere potest.

§. 29.

De magnitudine potentiæ divinæ agnoscenda.

Magnitudo potentiæ divinæ agnoscitur, si consideremus multitudinem & magnitudinem corporum mundi totalium, multitudinem & varietatem corporum partialium & magnitudinem immensam totius mundi. Cum enim potentia consistat in possibiliate ad actualitatem perducendi ea, quæ intrinsece possibilia sunt (§. 222. *part. 1. Theol. nat.*); quicquid ad actum perducitur, id potentiam producentis arguit, consequenter quo majus id est, & quo plura & a se invicem diversa ad actum perducuntur, eo major quoque intelligitur potentia producentis. Enimvero Deus fecit mundum & ipsa elementa rerum materialium (§. 758. *Part. 1. Theol. nat.*), & quanta sit tam corporum mundi totalium, quam partialium multitudo & varietas, in superioribus jam inculcavimus, cum de intellectus divini magnitudine agnoscenda ageremus (§. 25.). Magnitudo autem corporum totalium ex dimensionibus Astronomorum patet. Nimirum Terra nostra ex recentissimis Gallorum observationibus est 12310523801. milliarium cubicorum, cui Venus æqualis est. Et quamvis Luna saltem sit pars quinquagesima, Mercurius vigesima septima, Mars quinta Telluris; satis tamen adhuc vastæ moles sunt, si comparentur cum magnitudine corporum partialium in Tellure, veluti elephantis & ceti, aut magnitudine ædificiorum maximorum. Dantur

Dantur tamen etiam planetæ Terra noſtra majores: etenim Saturnus 980. Jupiter 1170. vicibus ſuperat Tellurem, ut ideo in eo ſpatio, quod occupat Saturnus, 980. in eo autem, quod Jupiter replet, 1170. Terræ noſtræ æquales collocari poſſent, ſi in unum volumen compingerentur. Sol autem, qui Terram noſtram illuminat & calore ſuo fovet atque fœcundat, millioneſimes, ſeu millies millies ſuperat eandem. Conſtat ex ſuperioribus (§ 25.), omnes fixas eſſe totidem Soles & circum eas perinde ac circa noſtrum revolvi planetas. Unde facile conjectando aſſequimur corporum quoque iſtorum magnitudinem. Quodſi itaque multitudinem & magnitudinem corporum mundi totalium, multitudinem & varietatem partialium & immenſam magnitudinem totius mundi perpendamus; ecquis dubitare poterit, inde magnitudinem potentiæ divinæ agnoſci?

Quoniam Deum conſideratione hujus mundi agnoſcere volumus, fieri aliter haud quaquam poteſt, quam ut nobis ad animum revocemus ea, quæ de mundo ab Aſtronimis detecta fuerunt, nec in iis acquieſcamus, quæ ſolis oculis eum adſpicientibus patent. Equidem non ignoro, cum pauci admodum ſint, qui ſcientiæ aſtronomicæ ſibi comparandæ ſtudent, fore longe plurimos, qui, quæ ex Aſtronomia ſumimus, in dubitationem adducunt, atque pro incertis & fallacibus opinionibus, immo pro ſuavibus ſomniis habent; horum tamen præcipitatum judicium, quod de re non ſatis intellecta ferunt, nos minime morari debet. Ut vero agnoſcant, non temerarie eſſe rejicienda, quæ quomodo inveniri potuerint ignorant; in memoriam ipſis revocandæ ſunt prædictiones eclipſium Solis atque Lunæ, quas minime fallaces eſſe ipſimet experiuntur, utut ignorent, quomodo Aſtronomi talia præſcire poſſint. Quodſi ergo hoc modo convincantur, Aſtronomis datum eſſe, ut

ſciant

sciant a cognitione nostra procul remota & aliis impervia; cur in aliis, quæ experientiæ non subjacent, fidem ipsis denegare velint, ratio nulla suadet. Neque enim est quod provoces ad prædictiones calendariographorum astrologicas, quæ rectius ex calendariis exulare deberent, quemadmodum Astronomi in suis Ephemeridibus nullum ipsis locum relinquunt. Astrologia non confundenda est cum Astronomia: hæc enim scientia de motibus siderum est, quæ simul ducit ad naturam & magnitudinem siderum atque mundi totius systema cognoscendum; illa vero ars divinatrix de effectibus siderum in natura sublunari ad superstitionem ortum suum referens & scientiam astronomicam in abusum vertens, ut ideo *Keplerus* in præfatione ad Tabulas Rudolphinas f. 4. Astronomiam appellet matrem sapientissimam pauperculam, Astrologiam vero filiam stultam, quæ quæstu non ab omnibus probato matrem alit & sustentat, propterea quod tunc temporis adhuc ex constructione thematum genethliacorum quæstum faciebant Astronomi, qui simul Astrologiam profitebantur, cum Astronomo pro omni suo labore immenso ne obulum quidem solvat ullus, nisi Regum munificentia sustentetur. Ad Astrologorum insulsa commenta nos nunquam provocabimus, ubi de Deo consideratione hujus universi agnoscendo agitur. Non est, quod objicias, Astronomos summos in determinandis siderum magnitudinibus atque distantiis mirum quantum inter se dissentire, consequenter ex tanto ipsorum dissensu patere, incerta esse omnia, quæ ab ipsis ea de re dicuntur. Qui enim Astronomiæ & progressus ejusdem peritus est, ei ratio tanti dissensus non ignota est, neque etiam is ignorat, quænam tanquam certiora ceteris minus certis sint præferenda. Omnis rerum astronomicarum cognitio ab observationibus Astronomorum dependet, ut vero observationes sint accuratæ, non sola sufficit Astronomorum diligentia, sed magnam in iis partem sibi vindicant instrumen-

at, quibus utitur observator, & ipsius acumen excitant scientiæ astronomicæ incrementa. Obtinet hoc inprimis in observationibus minutissimorum, quales requiruntur ad distantias siderum eorumque magnitudines definiendas, quemadmodum videre potest, qui instrumenta veterum cum recentioribus & hæc cum recentissimis atque modos observandi diversos inter se conferre voluerit. Quodsi in observationibus unius, vel alterius scrupuli secundi differentia deprehendatur, inde in magnitudinibus & distantiis planetarum determinandis magna differentia resultat. Quod vero observationibus recentissimis magis sit fidendum, quam anterioribus, etiam Astronomiæ imperitus facile concedet, modo norit, Astronomos uti instrumentis & modis observandi, quibus minutissima, quæ antea observari non poterant, observare possunt. Atque hæc ratio est, cur distantia planetarum a Sole & magnitudo Solis atque planetarum multo major prodeat ex observationibus recentissimis, quam recentioribus atque antiquis. Tenendum præterea est, quæ de natura planetarum & ineffabili numero fixarum novimus, ea telescopicis observationibus deberi. Constat autem telescopium demum initio seculi superioris fuisse inventum & ad observationes astronomicas adhibitum, deinceps vero ulterius successive magis magisque perfectum, ac hodienum perfici. Non igitur mirum, quod majores nostri ignoraverint, quæ nobis jam notissima sunt. Accedit, quod nostro ævo publico sumtu alantur Astronomi, cum longe rarissimi sint *Hevelii*, qui propriis sumtibus Astronomiam per observationes promovere possunt. Hæc non alio fine commemoramus, quam ut fidem conciliemus assertis Astronomorum, quibus utimur ad agnitionem Dei amplificandam. Cum enim omnes credant artifici in arte sua; ut credant Astronomo, saltem ipsis persuadendum est, eos esse artifices, ne cum nugantium Astrologorum turba eodem loco habeantur, quorum superstitiosa commenta Ca-

lendariographi nostri propagant, ut Calendaria placeant vulgo imperito, quod decipi vult.

§. 30.

An materia in se spectata contineat rationem existentiæ.

Si materia tanquam massa uniformis spectatur, rationem existentiæ sufficientem in se non continet. Etenim si materia tanqum massa uniformis spectatur, in ea non concipitur nisi extensio, divisibilitas & mobilitas. Enimvero ex eo, quod *quid* sit extensum, divisibile ac mobile, seu quod de loco uno in alium moveri possit, minime intelligitur, quod existere debeat. Quamobrem cum per rationem sufficientem intelligatur, cur aliquid potius sit, quam non sit (§. 56. *Ontol.*); si materia tanquam massa uniformis spectatur, rationem existentiæ sufficientem in se non continet.

Plerique, immo tantum non omnes, materiam spectant tanquam massam uniformem, cujus partes, quantæcunque sumantur, sunt sibi invicem similes, itidemque toti massæ similes, cum in imaginariis subsistere soleant, nec phænomena a realibus distingvant phænomeni inprimis substantiati nullam habentes notionem, quale materia est (§. 380. *Cosmol.*). Quoniam consideratione hujus mundi adspectabilis Deum agnituri ultra phænomena non progredimur, etsi idea Dei & attributorum ipsius multum amplificetur, si ad fontem usque phænomenorum descendamus, & qui existentiam Dei aut cetera, quæ ipsi attribuuntur, impugnant in phænomenis subsistunt, ac inde arma sua petunt; in præsenti sufficit, ut sciamus, si materia uniformis tanquam existens sumatur, in ea tamen rationem sufficientem existentiæ non contineri, consequenter ipsam non esse ens necessarium (§. 309. *Ontol.*). Qui novit differentiam inter mundum intelligibilem & sensibilem

H 2 (§. 203.

(§. 203. *part.* 1. *Theol. nat.*); ei quoque perspectum est, materiam instar massæ uniformis in unum volumen compactam, cum sit ens imaginarium, existere non posse, nec unquam existere potuisse. Istiusmodi massa est *Chaos*, quam dixere veteres & *Ovidius* per rudem ac indigestam molem explicat.

§. 31.

Deum non formasse mundum ex materia sibi ab æterno coexistente.

Quoniam materia tanquam massa uniformis spectata rationem sufficientem existentiæ in se non continet (§. 30.), absque ratione sufficiente autem nihil existere potest (§. 70. *Ontol.*); *si quis sumit, materiam tanquam massam uniformem extitisse, is quoque admittere tenetur, præextitisse ens aliud, quod eidem existentiam largitum est,* consequenter *falsum est, quod Deus ex materia sibi ab æterno cöexistente formaverit hunc mundum adspectabilem.*

Quicquid faciunt homines arte sua, id faciunt ex materia præexistente, nec natura quicquam producit nisi ex materia præexistente. Sive igitur potentiam hominum, sive potentiam naturæ consideres, qua ad actum perducuntur, quæ antea non erant; non aliam inde notionem potentiæ exsculpes, quam quod potentia sit possibilitas producendi rem corporalem ex materia præexistente, ut ideo corporis productio semper supponat materiæ præexistentiam, quæ in certam formam digerenda, ut existat corpus, quod antea non existebat. Atque hæc ratio est, cur quidam in eam prolapsi sunt sententiam, quasi Deus ex materia ab æterno ipsi coëxistente produxerit mundum, alii vero sibi persuaserint, Deum ab initio produxisse materiam & ex hac deinceps formasse mundum. Priores sumunt, materiam necessario existere, quod tamen nec probant, nec probare possunt (§. 30.); posteriores autem tacite supponunt, impossibile esse,

esse, ut corpus aliquod ad actum perducatur, antequam præexistat materia, ex qua formari possit, in quo etiam priores sibi consentientes habent, qui propterea necessariam materiæ existentiam sumunt. Errant autem, qui sic sentiunt. Verum equidem est, quod experientia docet, homines & naturam nullum facere posse corpus nisi ex materia præexistente; sed cum inde non sequatur, impossibile esse ut corpus aliter producatur quam ex materia præexistente, precario utique hoc sumitur. Condonandi sunt istiusmodi judicii lapsus hominibus plebejis, qui ultra sensus non sapiunt; ast in hominibus eruditis, qui vulgo altius sapere debent, præsertim iis, qui supra omnes sapere sibi videntur, ferendi non sunt, propterea quod in Logicam & Philosophiam peccant sua culpa.

§. 32.

In quantum potentia Dei consideratione mundi agnoscatur.

Consideratione mundi hujus adspectabilis non acquiritur notio potentiæ divinæ; ad ejus tamen diversitatem a potentia naturæ atque hominum agnoscendam manuducimur. Etenim in hoc mundo non producuntur corpora, quæ antea nondum existebant, nisi ex præexistente materia, sive fuerint artificialia, sive naturalia, ut non minus natura, quam homines divisione materiæ forment partes aliter figuratas easque alio modo conjungunt, quam antea connectebantur, ut ita omnis operatio naturæ ac omne factum humanum, quo corpora producuntur, tandem redeat ad variationes figurarum materiæ & situs partium, vel particularum materiæ divisæ: constat enim naturam dividere materiam in particulas incomprehensibiliter exiguas ad faciendum novam compositionem, arte vero humana partes fiunt magnæ, pro diversitate corporis faciendi mole variata. Quamobrem patet consideratione mundi hujus adspectabilis possi-

 bili-

bilitatem corpori nondum exiſtenti exiſtentiam largiendi, ſeu idem ad actum perducendi non aliter concipi niſi variatione figurarum ac ſitus materiæ præexiſtentis. Enimvero Deus non fecit mundum ex materia præexiſtente (§. 31.). Quamobrem notio potentiæ faciendi corpus conſiſideratione mundi hujus adſpectabilis acquiſita Deo minime convenit, conſequenter conſideratione mundi non acquiritur notio potentiæ divinæ. *Quod erat unum.*

Quoniam tamen conſtat Deum non formaſſe hunc mundum ex materia præexiſtente, ſed ipſam quoque materiam ab eo fuiſſe productam (§. 31.), inde intelligitur, quod Deus ad actum perducere poſſit per ideas ſuas poſſibile (§. 192. *part. 1. Theol. nat.*), etiamſi nihil extra ipſum exiſtat, quod quomodocunque in productionem ejus influat. Quamvis itaque notionem poſſibilitatis ad actum perducendi id, cujus nonniſi ideam habemus, nullam habeamus; intelligimus tamen potentiam Dei prorſus diverſam eſſe a potentia naturæ atque humana, *per demonſtrata n. 1.* Quamobrem patet, conſideratione mundi hujus adſpectabilis nos manuduci ad agnoſcendam diverſitatem potentiæ divinæ a potentia naturæ atque hominum. *Quod erat alterum.*

Habemus notionem potentiæ in genere conſideratione mundi acquiſitam, ſcilicet quod ſit poſſibilitas ad actualitatem perducendi intrinſece poſſibile. Et hæc notio tam potentiæ divinæ, quam humanæ ac potentiæ naturæ convenit. Enimvero notio hæc generalis ſaltem facit ut intelligamus, quid nomine potentiæ denotetur, nondum vero intelligitur, qualis ſit iſte actus, quo ad actualitatem perducitur, quod poſſibile eſt. In hunc igitur ſi inquiramus, videmus naturam atque homines materiæ præexiſtenti novas

ſaltem

ſaltem inducere figuras & ſitum partium ad ſe invicem variare. Et ſic poſitivam quandam notionem potentiæ naturæ atque humanæ habemus. Dum vero porro edocti ſumus, Deum non feciſſe mundum ex materia præexiſtente, nec hunc actum producendi corpora Deo convenire agnoſcimus. Unde patet diverſitas potentiæ naturæ atque hominum & potentiæ divinæ. Aſt quia ignoramus, quomodo fieri poſſit, ut corpus quoddam producatur, nulla materia præexiſtente; potentiæ quoque divinæ nullam notionem poſitivam habemus, quæ differentiam ipſius a potentia naturæ atque hominum determinat, ſed negative ſaltem novimus, eam non conſiſtere in poſſibilitate materiæ præexiſtenti inducendi novas figuras & variandi partium ſitum. Atque hinc patet, cosmoogeniam *Carteſii* eſſe confictam ad ſimilitudinem potentiæ hominum atque naturæ: id quod etiam faciunt alii, qui ortum mundi imaginabili modo explicare volunt. Quodſi dicas, potentiam Dei eſſe poſſibilitatem producendi aliquid ex nihilo, potentiam vero hominum atque naturæ poſſibilitatem aliquid producendi ex materia præexiſtente; obſcurius ſaltem nec ſufficienter determinantum dicitur, quod jam clarius diximus & magis determinavimus: productio enim ex nihilo non explicatur, quantum ſufficit ut intelligatur, nec actus, quo ex materia præexiſtente corpus fit, determinatur, qualis ſit. Diverſitatem potentiæ divinæ a potentia naturæ atque hominum alias jam demonſtravimus (§. 776. *part. 1. Theol. nat.*), atque oſtendimus, eam eſſe ipſi propriam (§. 767. *part. 1. Theol. nat.*), nec enti ulli a Deo communicari poſſe (§. 775. *part. 1. Theol. nat.*). Quæ vero hic de diverſitate potentiæ Dei atque hominum & naturæ ex contemplatione eorum, quæ in mundo fiunt, derivantur, alias demonſtrata confirmant. Quamvis vero potentiæ divinæ notionem completam non habeamus, cum ſaltem nobis notum ſit genus, differentia autem ſpecifica ignoretur; non tamen propterea negari

negari potest potentia divina creatrix, quam diximus in Theologia naturali. Sufficit nimirum nos agnoscere, quod Deo competat potentia, quæ specifice differt a potentia naturæ atque hominum, ut de realitate ejus constet.

§. 33.

De sapientia divina agnoscenda.

Sapientia divina agnoscitur, si perpendamus nexum universalem omnium cum omnibus, quatenus nimirum unum intelligitur esse propter alterum, tum si considerentur coexistentia, tum si animum advertamus ad successiva. Etenim mundus hic adspectabilis a sapientia divina dependet quoad nexum universalem omnium cum omnibus (§. 805. *part. 1. Theol. nat.*) & quoad eundem speculum est sapientiæ divinæ (§. 806. *part. 1. Theol. nat.*). Nexus hic nobis innotescit, si consideremus, quomodo unum sit propter alterum, veluti Sol, ut terram faciat habitabilem ab animalibus & hominibus, gramina & herbæ, ut sint pabulum auimalium, res innumeræ aliæ, ne desint homini ad vitam conservandam eamque commode ac jucunde transigendam necessaria. Pertinet huc porro, quod eorum, quæ sequuntur, ratio contineatur in iis, quæ præcedunt, ita ut sequentia existere non possent, nisi præextitissent præcedentia, ideoque hæc præexistere, ut illa ad actum perduci possint vi naturæ aut arte humana. Quoniam itaque hinc colligitur sapientia Dei (§. 784. *part. 1. Theol. nat.*); sapientia divina agnoscitur, si perpendamus nexum universalem omnium cum omnibus, quatenus nimirum unum intelligitur esse propter alterum, sive coëxistentia, sive successiva spectemus.

Sapientia divina elucet non modo ex mundo universo, verum etiam ex quovis corpore partiali, quantumvis minimo,

nimo. Quicquid enim in hoc universo deprehenditur, si ad alia existentia, vel successiva referatur, aut partes unius referantur ad se invicem, sapientiam Dei manifestant. Hoc universum itaque magnificum theatrum sapientiæ divinæ prorsus inexhaustæ est, quæ non minor deprehenditur in minimis, qualia sunt insecta minima, veluti microscopica, quam in maximis. Multum autem ad hanc contemplationem confert anatomia tam cadaverum humanorum, quam animalium quorumcunque, vilissimorum quoque insectorum, quantum datur, atque observatio usus, quem viventia faciunt, organorum suorum. Idem dicendum est de anatomia plantarum, quæ nostro ævo excoli cœpit, etsi adhuc admodum imperfecta sit.

§. 34.

De sapientia divina ex finibus rerum agnoscenda.

Quoniam sapientia divina agnoscitur, si perpendamus, quomodo unum est propter alterum tam in serie coëxistentium, quam successivorum (§. 33.), ex quibus seriebus conjunctim constat mundus (§. 55. *Cosmol.*), consequenter quomodo unum usui est alteri (§. 646. *part. I. Theol. nat.*), usus autem reum cum naturalium (§. 648. *part. I. Theol. nat.*), tum artificialium (§. 649. *part. I. Theol. nat.*), atque omnes fortunæ tam adversæ, quam secundæ effectus sunt fines a Deo intenti (§. 651. *part. I. Theol. nat.*); *sapientia Dei ex finibus rerum naturalium potissimum agnoscenda*, cumque essentiæ & natura rerum sint media, quibus Deus fines a se intentos consequitur (§. 645. *part. I. Theol. nat.*), *ad sapientiam divinam agnoscendam conducit, si essentias & naturam rerum naturalium scrutemur & inde ratio eruatur, cur una alteri usum quendam præstare possit* (§. 678. *Psych. rat.*).

Sapientia in genere agnoſcitur ex finium determinatione, ac mediorum electione & ſubordinatione (§. 678. *Pſych. rat.*). Quamobrem ex hisce quoque agnoſcenda eſt ſapientia divina, ideoque fines rerum naturalium ſcrutari debemus. Ne vero noceat præjudicium *Carteſii*, fines rerum ad arcana Dei referentis & propterea ex Phyſica eliminantis, ideo oſtendimus, uſus rerum omnium eſſe fines a Deo intentos (§. 648. *& ſeqq. part. 1. Theol. nat.*). Cumque in rebus artificialibus uſus diſtingvatur a fine, quem artifex intendit, atque ideo nonnullorum animos occupavit præjudicium, quaſi etiam in rerum natura uſus a fine ſit diſtingvendus, quia res hunc uſum ſaltem habere poſſunt propter eſſentiam & naturam ſuam, ex qua neceſſario conſequuntur, finis autem ab agente libere intenditur; præjudicium hoc jam alias removimus (*not.* §. 645. *part. 1. Theol. nat*). Eo igitur fine peculiarem Phyſicæ partem fecimus *Teleologiam*, quæ fines rerum naturalium explicat, & cujus aliquod ſpecimen dedimus in ſecunda & tertia parte Phyſicæ ſermone vernaculo conſcriptæ, quarum prior de finibus rerum naturalium, poſterior de uſu partium in corpore humano & brutorum atque vagetabilibus inſcribitur. Quodſi tantummodo cognoſcere ſtudeamus machinam corporis noſtri & in uſus ſingularum partium inquiramus, & qui concurrente eorum uſu obtineantur fines conſideremus, ac tandem finem hominis, cui ceteri ſubordinantur, perpendamus; ſapientiam Dei ex eadem abunde cognoſcemus. Argumentum igitur a finibus rerum petitum facit ad probandum ſapientiam, non vero ad probandum exiſtentiam Dei. Neque enim ex uſu, quem partes ſingulæ corporum organicorum habent & res naturales ſibi invicem præſtant, ante colligitur, dari fines in rerum natura, quam demonſtratum fuerit, exiſtere Deum, qui illorum cauſa mundum fecit, eumque ſic & non aliter ordinavit, & has potiſſimum res, non alias in eodem exiſtere voluit, quemadmodum ſi ponamus horologium

gium necessario existere, nec ab artifice fuisse factum, effectus ejus, qui in tempore indigitando consistit, pro fine haberi nequit; sed ideo intelligitur esse finis, quia certum est, artificem temporis indicandi causa horologium construxisse, neque etiam usus singularum partium, quibus concurrentibus finis totius horologii obtinetur, pro finibus particularibus ultimo subordinatis haberi possunt, nisi quatenus nobis exploratum est, artificem singulas partes sic, non aliter fecisse, quam quia hoc modo horologium aptum efficitur ad finem intentum consequendum. Sane si contra eum, qui Deum existere & mundum ob finem quendam ultimum produxisse negat, a finibus rerum argumentum petitum urgere velis nihil efficies, cum non agnoscat dari finem, ubi non datur causa intelligens, quæ propter finem quid facit. A finibus itaque rerum naturalium qui existentiam Dei demonstrare vult, sumit quod probandum est, existere scilicet Deum, qui mundum fecit, & fines istos creando mundum intendit. Quamvis autem argumentum a finibus rerum desumtum nullam habeat vim in demonstranda existentia Dei, non tamen dignitati ejus ullo modo derogatur: habet enim usum amplissimum in agnoscenda sapientia Dei, cujus agnitio non minus necessaria est, quam existentiæ Dei. Quid juvat nosse dari Deum, nisi noveris quænam sint attributa ipsius, ut eum rite colere possis. Patebit autem ex inferioribus, quantum influat in cultum divinum sapientiæ divinæ agnitio. Hæc ideo monemus, ut reprimamus injustas querelas vociferantium, sibi eripi fortissimum argumentum adversus atheos, quando audiunt argumentum pro existentia Dei a finibus petitum ad circulum, quem Logici vocant, vitiosum referri. Non minus necessarium est, ut demonstretur Deum esse sapientem, quam ut evincatur, eum existere: qui enim sibi persuadent, demonstrata existentia Dei, quem tanquam creatorem cœli & terræ concipiunt, simul demonstratam esse sapientiam

 Dei,

Dei, demonstrata esse cetera ejusdem attributa, imbecillis admodum sunt judicii, quod nullam attentionem meretur. Ignorant quid sit genuina demonstratio, cumque Logicæ verioris præcepta vel ignorent, vel minimum vim ac potestatem verborum non intelligant, oleum & opera perditur, si adversus eos disputare volueris, præsertim cum indociles sint, aut opinionum, quibus imbuti sunt, pertinaces defensores, ut in luce meridiana cœcutire malint, quam veritati victas manus dare. Istud hominum genus merito contemnendum.

§. 35.

De finium subordinatione agnoscenda.

Subordinatio finium agnoscitur, si consideremus usum singularum partium in corpore humano, aut animali quocunque alio, & quomodo ab usu unius dependeat usus alterius, usu autem omnium simul sumto obtineatur finis quidam ultimus, veluti conservatio totius corporis. Eadem porro manifesta evadit, si consideremus finem ultimum, ob quem Deus mundum fecit, & aptitudinem mundi, ut per eum finis iste obtineatur. Etenim si consideremus usum singularum partium in corpore humano, aut animali quocunque alio, & quomodo ab usu unius dependeat usus alterius, usu autem omnium simul sumto obtineatur finis quidam ultimus, veluti conservatio totius corporis, cum usus omnes sint fines a Deo intenti (§. 648. *part. 1, Theol. nat.*), fines particulares sibi invicem ita subordinari animadvertimus, ut finis partis unius se habeat per modum medii finis alterius (§. 937. 851. *Ontol.*), & omnes tandem fines particulares simul sumtos esse medium finis ultimi (§. 937. *Ontol.*). Hoc igitur modo subordinationis finium idea animæ ingignitur, per quam eadem agnoscitur (§. 630. *part. 1. Theol. nat.*) & quatenus in nostro corpore aliisque deprehenditur, subordinationem finium

finium in rerum natura dari agnoſcimus. *Quod erat unum.*

Enimvero patefactio ſummæ Dei perfectionis eſt finis ultimus, quem Deus per exiſtentiam hujus univerſi intendit (§. 629. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem ſi ea perpendamus, quæ in præſenti inculcantur de exiſtentia Dei ejusque attributis conſideratione hujus mundi adſpectabilis agnoſcendis; totum mundum & omnia, quæ in eo ſunt, talia eſſe deprehendimus, qualia eſſe debent, ut exiſtentia Dei & attributa ejus inde agnoſci poſſint. Quamobrem patet totum mundum & omnia, quæ in eodem ſunt, ſeſe habere per modum medii, quo finis ultimus, ob quem omnia facta ſunt, obtinetur (§. 937. *Ontol.*), conſequenter hoc modo agnitio ſubordinationis finium, quam conſideratione corporis noſtri conſecuti ſumus, *per demonſtrata n. 1.* quantum requiritur ad ſapientiam ſummam agnoſcendum (§. 689, *Pſych. rat.*), promovetur. *Quod erat alterum.*

Docemus hic ſaltem, quomodo ſubordinatio finium in rerum natura agnoſcatur: id quod in Ethica ſufficit. Nemo autem a nobis requiſiverit, ut ſubordinationem finium in rerum natura obviam doceamus, ita enim non modo præſens propoſitio, verum etiam ceteræ, quæ de Deo conſideratione hujus mundi agnoſcendo agunt in volumina integra verterentur. Diximus jam ante, in Teleologia explicandos eſſe fines rerum naturalium & modum, quo ſibi invidem ſubordinantur, cujus pars quædam eſt doctrina de uſu partium in corpore humano. Ecquis ergo a nobis requiſiverit, ut integrum Tractatum, quem de eo conſcripſimus (*not.* §. 34.), huc tranſcribamus? Quæ alibi dicta vel dicenda ſunt in Ethica ſupponuntur. Et ſi vel maxime nondum fuerint detecta, ſufficit hic demonſtrari, quæ detegenda

da sint, ut agnitionem Dei magis magisque promoveamus atque in eadem confirmemur. Apparet etiam hinc, quam sit necesse, ut Teleologia hactenus propemodum deserta atque inculta, si ea excipias, quæ de usu partium Medicorum industriæ debemus, excolatur. Quo minus autem ea fuerit pro dignitate exculta, impedimento fuit vana ista opinio, quasi omnia facta sint propter hominem, homo vero propter Deum. Ideo nimirum tantum solliciti fuerunt homines de usu, quem res naturales sibi præstare possunt, quasi Deus non alium nisi hunc intendisset, parum solliciti, utrum etiam res una inserviat usui alterius, ac propter eandem quoque sit, nec ne: ut vero in usum partium corporis humani inquirerent, necessitas Medicos impulit, quia cognitione ejusdem in arte sua carere nequeunt. Neque ullus dubito, eandem opinionem genuisse insulsa commenta Astrologorum de influxu siderum in hæc sublunaria ipsumque hominem. Cum enim sumerent, ea propter hominem facta esse, omnia, quorum causæ manifestæ non erant, a sideribus tanquam effectus derivarunt. Falsa ista opinio ortum traxisse videtur ex systemate mundi *Ptolemaico*, quod & plebejum appellari solet hodie, nimirum quod Terra sit in medio mundi collocata, atque sola ab hominibus, creaturis rationalibus, habitata, circa eam vero revolvantur sol cum planetis atque fixæ superficiei sphæræ ultimæ affixæ. Hujus systematis falsitas postquam fuit demonstrata, atque nobis innotuit, planetas omnes esse Terras suosque habere incolas, fixas a Terra inæquali intervalllo remotas esse totidem Soles & suos quoque habere planetas, corpora Terræ nostræ simillima, atque innumera dari corpora mundi totalia, quorum ne quidem existentia nobis innotescit, ut de partialibus nihil dicamus; absurdam istam opinionem esse haud difficulter agnoscimus. Et cum jam constet, in mundo omnia inter se connexa esse, quoad maxima minima, sive seriem coexistentium, sive successivorum spectes; inde

inde porro intelligitur, in ipsa quoque Tellure non omnia esse propter nos, *sed* alia quoque propter alia, si vel maxime nostro quoque usui inservire possint. Dum vero prosunt aliis, nobis quoque prodesse possunt, quatenus ad agnoscendam sapientiam divinam faciunt, & sic finem ultimum totius mundi propius attingunt (§. 629. *part. 1. Theol. nat.*). Quoniam subordinatione finium quoque opus habemus in moralibus, cum sine ea vita moralis perfecta non concipiatur (§. 52. *part. 2. Phil. pract. univ.*); ad eam intimius perspiciendam faciunt, quæ de eadem demonstravimus (§. 39. *& seqq. part. 2. Phil. pract. univ.*), & exempla inde petita haud parum eandem illustrant.

§. 36.

De incomprehensibilitate sapientiæ divinæ agnoscenda.

Incomprehensibilitas sapientiæ divinæ agnoscitur, si perpendamus multitudinem finium in hoc universo tam in serie successivorum, quam simultaneorum, sive coexistentium sibi invicem subordinatorum, & consideremus rerum omnium essentias tales esse, ut ista subordinatio obtineri potuerit, & tandem vi hujus universum integrum evadat medium finis ultimi, quem Deus per creationem mundi intendit. Etenim ex finibus rerum naturalium (§. 34.) eorumque subordinatione (§. 35.), & ex rationibus in essentiis rerum contentis, per quas intelligitur, cur unum alteri usum, in quo finis a Deo intentus consistit (§. 648. *part. 1. Theol. nat.*), præstare possit (§. 34.), sicque mundus perfectionem Dei summam repræsentat, cujus patefactio est finis ultimus a Deo per existentiam hujus universi intentus (§. 629. *part. 1. Theol. nat.*), sapientia divina agnoscitur (§. 35.). Quamobrem cum totum universum sit plenum finibus a Deo intentis (§. 660. *part. 1. Theol. nat.*); si cogitemus ineffabilem numerum rerum, quarum unaquæque per se est speculum quoddam sapientiæ divinæ,

tum

tum etiam in relatione ad alias cum coexistentes, tum sibi succedentes, numerum finium sibi invicem subordinatorum per modum medii finis ultimi multo majorem esse intelligimus numero rerum sive eodem tempore in diversis spatii mundani partibus, sive tempore diverso existentium. Quoniam vero usus isti, quos fines a Deo intentos esse novimus (§. 648. *part. 1. Theol. nat.*), rationem sufficientem in natura & essentiis rerum, ex quibus consequuntur, habent (§. 167. *Ontol.*); Deus, qui fines istos omnes sibi invicem ita subordinavit, ut universum integrum esset medium finis ultimi per creationem mundi intenti, non modo rerum omnium essentias & naturam intime perspectas habere debet, verum etiam omnes usus exinde consequentes in rerum ordinatione prævidisse intelligitur. Quamobrem cum concipere minime valeamus, quomodo Deus omnia ista, quæ in idea hujus universi continentur, perspicere potuerit, incomprehensibile vero sit cognoscibile, si modum, quo est, nobis minime repræsentare valemus (§. 170. *part. 1. Theol. nat.*); si perpendamus multitudinem finium in hoc universo tam in serie successivorum, quam simultaneorum sibi invicem subordinatorum, atque consideremus rerum omnium essentias tales esse, ut ista subordinatio obtineri potuerit, & tandem vi illius universum integrum evadat medium finis ultimi, quem Deus per creationem intendit, sapientiam divinam incomprehensibilem esse agnoscimus.

Nemo est, qui nesciat, numerum rerum naturalium, quæ ad notitiam nostram perveniunt, aut pervenire possunt, admodum exiguum esse, si comparetur cum numero eorum, quæ nos latent. Immo si ea ad animum revocemus, quæ in anterioribus passim de numero rerum in universo conten-

tentatum prorſus ineffabili dicta ſunt, quantacunque rerum multitudo a nobis cognoſcatur, cum tamen reſpectu rerum omnium in hoc univerſo contentarum infinite parvum eſſe perſuaſiſſimi ſumus. Quodſi jam porro cogitemus, illarum rerum, quas cognoſcimus, uſus omnes ne quidem reſpectu noſtri, nedum rerum aliarum nobis cognitos eſſe, immo plurimarum ne quidem ullum nobis innoteſcere, multo minus autem nos aſſequi rationes, cur habeant hunc uſum, ex eſſentiis rerum derivandas; quam parva ſit humana ſcientia in hoc genere agnoſcimus. Quoniam tamen hæc omnia intime perſpecta eſſe debent ei, qui ſapientiam Dei comprehendere voluerit; eam tantam eſſe videmus, ut a nobis comprehendi minime queat, cumque nullo modo capere poſſimus, quomodo Deus omnia illa in idea univerſi, quæ in intellectu ipſius exiſtit (§. 181. *part. 1. Theol. nat.*), perſpicere potuerit, dum conſilium creandi mundi inivit, quæ tamen perſpicere debebat, ſapientiam divinam in ſe talem eſſe agnoſcimus, quæ omni intellectui limitato, quantumcunque humanum ſuperare fingatur, incomprehenſibilis ſit. Aſt removendum hic eſt præjudicium aliquod, quod contra ſapientiam divinam urgeri poterat. Oſtendimus finem ultimum, quem Deus per exiſtentiam hujus univerſi intendit, eſſe patefactionem ſummæ perfectionis ſuæ (§ 629. *part. 1. Theol nat.*). Jam vero conſtat, hominem eſſe, cui perfectionem ſuam per mundum patefacere voluit. Quoniam itaque pleraque in hoc univerſo hominem latent; & ipſi prorſus inacceſſa ſunt, immo ex paucis iis, quæ cognoſcit, abunde intelligit, non minus incomprehenſibilitatem, quam inſcrutabilitatem perfectionis divinæ; ſuperfluus videtur tantus rerum apparatus, qui nihil confert ad agnitionem numinis. Ipſi autem notioni ſapientiæ repugnat, ut ſapiens aliquid faciat fruſtra (§. 678. *Pſych. rat.*), & per ambages finem intentum conſequi ſtudeat, quem breviori conſequi poterat (§. 686. *Pſych. rat.*). Quamobrem mundus, in

 quo

quo est tantus rerum superfluarum apparatus, sapientiæ divinæ potius repugnare, quam eandem patefacere videtur. Non nego, dubium hoc ad speciem esse compositum, immo etiam non sine fiducia urgeri posse per modum veritatis adversus systema mundi verum, quod novum dici suevit, ab iis, qui Ptolemaicum defendunt, quando iisdem objicitur, hoc esse minime aptum ad repræsentandum Deum autorem suum. Dubium vero hoc protinus evanescit, modo cogitemus, judicium de perfectione mundi, utrum scilicet sit medium aptum ad consequendum finem per creationem ejus intentum, nec ne, non esse hominis, aut alterius cujuscunque, siquidem datur, creaturæ, sed ipsius Dei. Quando sapiens eligit medium, ut finem sibi propositum ex asse consequatur, ipse judicat, num medium tale sit, quale ad hoc requiritur, non vero de eodem statuit ex opinione aliorum, quibus satisfacere poterat medium aliud quodcunque. Sane si artifex construere debet horologium, is eidem tribuit omnem perfectionem, quam concipere potest, ut sibi satisfaciat, atque ideo certus sit, se nihil prætermisse, quod defectum quendam arguere possit, non vero de eo sollicitus est, num qui horologio a se constructo sit usurus minus perfecto contentus sit. Eodem igitur modo quoque Deus talem fecit mundum, ut suo judicio nihil in eodem desiderari possit, si eum consideret tanquam medium patefaciendi perfectionem suam summam, ut, si per impossibilie supponatur, dari adhuc ens aliud ejusdem cum ipso perfectionis, quod de opere ipsius judicium ferre potest in relatione ad finem, cujus gratia factum est, id nihil in eodem desiderare valeat, sed hanc sententiam ferre teneatur, meliorem modum patefaciendi perfectionem summam concipi non posse. Considerandum quoque hic est, mundum non esse theatrum sapientiæ divinæ Terricolarum causa, sed etiam Marticolarum, Jovicolarum & incolarum in planetis ceteris quibuscunque tam Solem nostrum, quam fixas singulas

gulas, totidem soles, ambientibus, quorum existentiam ut admittamus ipsa sapientia divina urget, quæ obstat, quo minus statuamus, Deum in iis condendis nullam prorsus rationem habuisse finis, propter quem mundum hunc condidit, cum nemo non ultro confiteri debeat, ex fine mundi dijudicandum esse, qualis is esse debeat. Qui objiciunt, non esse hominis præscribere Deo, quomodo se hominibus patefacere debeat, sed hominem contentum esse debere eo modo, quo Deus se ipsi patefacere voluit; minime intelligunt, quid de Deo sciri possit, quid vero ut sciatur impossibile sit. Quæ enim ex notione Dei, quam habemus, necessaria consequentia deducuntur, Deo utique tribuenda sunt, seu de eodem affirmanda, & per lumen rationis ab eodem nobis revelata recte dicuntur. Absonum igitur est in his profiteri ignorantiam suam, quæ Deus nos scire voluit.

§. 37.

De inscrutabilitate sapientiæ divinæ.

Sapientiam divinam nobis inscrutabilem esse agnoscimus, si perpendamus ineffabilem numerum finium in stupenda rerum multitudine, quæ ad notitiam nostram pervenire nequeunt, immo in his ipsis, quæ eidem non subducuntur, latentium, quod eorum subordinatio tam in serie simultaneorum, quam successivorum, sit investigabilis, & quod nimium arctis limitibus circumscribatur scientia nostra, ubi rationem reddere volumus ex rerum essentiis, cur sint medium fines istos consequendi. Quanta sit multitudo eorum, quæ ad notitiam nostram pervenire nequeunt, ex iis patet, quæ superius dicta sunt, cum inscrutabilitatem intellectus divini demonstraremus (§. 27.). Rerum vero, quæ a nobis ut cognoscantur impossibile est, fines quoque innotescere non posse per se patet. Quod vero fines rerum nobis notarum non sint perspecti omnes, cum

 qui,

quilibet earum usus sit finis a Deo intentus (§. 648. *part. 1. Theol. nat.*), unusquisque in seipso experitur, sive res ad se, sive ad res alias referat, vel etiam structuram corporum organicorum contempletur. Quodsi fines omnes nobis non fuerint cogniti atque perspecti; multo minus fieri potest, ut, quomodo sibi invicem subordinentur, cognoscamus (§. 678. *Psych. rat.* & §. 630. *part. 1. Theol. nat.*). Quam manca sit scientia nostra, si demonstranda sunt ea, quæ ex essentiis rerum fluunt, quomodo inde fluant, nemini ignotum est, qui scripta Physicorum evolvit & certa ab incertis, probabilia ab improbabilibus discernere didicit, nec commenta pro veritate sibi obtrudi patitur. Sua igitur culpa cœcutit, qui videre nequit, quam arctis limitibus circumscribatur scientia nostra, ubi ex rerum essentiis rationes reddere volumus, cur sint medium consequendi finem iis præscriptum. Quoniam itaque sapientia inscrutabilis, si fines ab agente intentos, vel media, quæ ad eosdem consequendos eligit, vel finium quoque subordinatio penitus non fuerint nobis perspecta, nec a nobis certo cognosci possunt (§. 690. *part. 1. Theol. nat.*); sapientiam divinam nobis inscrutabilem esse consideratione hujus universi agnoscimus, si perpendamus ineffabilem numerum finium in stupenda rerum multitudine, quæ ad notitiam nostram pervenire nequeunt, immo in his ipsis, quæ eidem subducuntur, latentium, quod eorum subordinatio tam in serie simultaneorum, quam successivorum sit investigabilis, & quod nimium arctis limitibus circumscribatur scientia nostra, ubi rationem reddere volumus ex rerum essentiis, cur sint medium fines istos consequendi.

Quæ ad propositionem præcedentem annotavimus, præsenti quoque uberius declarandæ inserviunt. Ut vero penitius

nitius intelligatur, quænam ad cognitionem sapientiæ divinæ requirantur: sequentia adhuc notanda sunt. Cum essentiæ rerum & natura sint media, quibus Deus fines a se intentos consequitur, quæ vero ex natura & essentia rerum materialium consequuntur, fines ab eodem intenti (§. 645. *part. 1. Theol. nat.*); primo inquirendum est in essentias & naturam rerum materialium & inde derivanda, qnæ ex illis consequi possunt. Ita nimirnm constabit, quinam fines sint possibiles. Quoniam vero in mundo nihil actum consequitur, nisi cujus causa in serie rerum, ex qua constat, continetur (§. 97. *Cosmol.*), id vero actum necessario consequitur, quod intrinsece possibile est & in serie ista causam efficientem sufficientem habet (§. 98. *Cosmol.*); res tam in serie coexistentium, quam successivorum constitutæ ad se invicem referendæ sunt, ut appareat usus, quem una alteri præstare potest, cum hi sint fines a Deo intenti (§. 648. *part. 1. Theol. nat.*), qui actu obtinentur. Et quoniam tam res coexistentes (§. 53.), *Cosmol.*, quam successivæ in mundo inter se connectuntur (§. 54. *Cosmol.*), nexus vero rerum in hoc universo coexistentium consistat in dependentia finis a medio & nexus successivorum non solum in dependentia causati a causa, sed & finis a medio & actionis causæ efficientis a fine (§. 665. *part. 1. Theol. nat.*), in nexum rerum universalem inquirendum, ut detegatur finium subordinatio (§. 630. *part. 1. Theol. nat.*). Quia denique fines omnes particulares subordinari debent fini ultimo per modum medii, quo is obtinetur (§. 689. *Psych. rat.*), finis vero hic ultimus est patefactio summæ Dei perfectionis (§. 629. *part. 1. Theol. nat.*); quomodo per rerum harum sic factam ordinationem perfectio Dei summa ita manifestetur, ut nec intellectus infinitus in eo quicquam desiderare possit (§. 622. *part. 1. Theol. nat.*), inquirendum. Neminem fore tam arrogantem facile quivis videt, qui sibi vel aliis persuadere ausit, hæc omnia a se investigari posse. Ultro

 igitur

igitur fateri cogitur, ſapientiam Dei, quam per hoc univerſum nobis patefacit, inſcrutabilem eſſe. Agnoſcet enim intellectum humanum verti debere in divinum, ut huic cognitioni acquirendæ ſufficiat: id quod impoſſibile (§. 300. *Ontol.*).

§. 38.

De directione malorum ad bonum finem agnoſcenda.

Directionem malorum phyſicorum & moralium ad bonum finem agnoſcimus, ſi perpendamus, quod bona conſecuta non fuiſſent, niſi mala iſta præextitiſſent. Quoniam enim directio malorum phyſicorum & moralium ad bonum finem a ſapientia divina proficiſcitur (§. 684. *part. 1. Theol. nat.*); ſapientiam divinam agniturus perpendere quoque debet, quomodo Deus in hoc univerſo mala phyſica & moralia dirigat ad bonum finem, ut, quamvis ſalva ipſius ſapientia ſumma ex hac rerum ſerie tolli nequeant (§. 676. *part. 1. Theol. nat.*), hac tamen directione major in hoc univerſo obtineatur perfectio, quam iis ſublatis foret, utut ob eorum inexiſtentiam mundus perfectior dici nequeat (§. 683. *part. 1. Theol. nat.*). Quodſi ergo perpendamus, quod in hac ſerie rerum bona conſecuta non fuiſſent, niſi mala præextitiſſent; mala præexiſtentia ſeſe habere agnoſcimus per modum medii, quo bonum conſequens obtinetur (§. 937. *Ontol.*). Enimvero malum dirigitur ad bonum finem, ſi quando mutari non poteſt, eodem utamur tanquam medio conſequendi bonum finem (§. 679. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem ſi perpendamus, quod bona conſecuta non fuiſſent, niſi mala iſta præextitiſſent; mala phyſica & moralia a Deo dirigi in bonum finem agnoſcimus.

Ardua omnino doctrina eſt in Theologia naturali de malis phyſicis & moralibus in hac rerum ſerie contentis, Hæc mala

mala multis ingenuerunt impiam opinionem, quod mundus minime factus sit a Deo, ente omnium perfectissimo, alios in dubitationem de sapientia divina adduxerunt, aliis alias opiniones falsas persuaserunt, quas omnes hic recensere ab instituto nostro alienum foret. Hoc tamen non obstante certissimum est, ex directione malorum ad bonum finem maxime elucere sapientiam divinam (§. 685. *part. 1. Theol. nat.*). Ideo in parte prima Theologiæ naturalis prolixe passim demonstravimus, quæ ad perplexum hoc argumentum discutiendum faciunt, ut convincamur, eorum in mundo existentiam nihil derogare perfectioni Dei summæ, nec officere perfectioni mundi, consequenter nec obstare, quo minus per hanc ipsam rerum seriem omnium optime summam perfectionem suam Deus patefacere potuerit. Nostrum jam non est ea repetere, quæ ibidem dicta sunt; sed saltem excitare attentionem ad nexum malorum cum bonis afferendam, ut inde directio eorundem ad finem bonum agnoscatur. Quomodo vero utendum sit attentione, ut directio ista pateat, ex iis clarius percipitur, quæ de eadem alias demonstravimus & annotavimus (*not.* §. 679. 680. 688. *part. 1. Theol. nat.*). Occurrunt exempla in omni historia, & quotidie obvia sunt, immo nemo erit, qui non ex fatis suis directionem istam agnoscere possit. Levi saltem attentione opus est, ut videamus dependentiam boni consequentis a malo præcedente, modo consideremus bonum a malo non semper immediate dependere, nec ab eo solo, sed ad illius actualitatem concurrere causas quoque alias. Manifesta hæc sunt per exemplum Josephi a fratribus in servitutem venditi, quod alias expendimus (§. 688. *part. 1. Theol. nat.*). Directio hæc omni animi contentione scrutanda, cum in ea maximum momentum sit in praxi morali. Dum vero sapientiæ divinæ agnoscendæ causa in eandem inquirimus, probe considerandum est, bona in mundo non dependere a malis, quatenus mala

la sunt, sed quatenus mala moralia sunt actiones physicæ, physica autem causæ naturales (§. 689. *part. 1. Theol. nat.*) & quæ de exemplo Josephi diximus demonstratione ad idem applicata, ea simili modo perpendenda sunt in exemplo quolibet alio. Præterea cum manifesto absurda sit opinio, quasi omnia facta sint propter hominem (*not.* §. 35.); si de malis physicis judicandum, ea non solum referenda sunt ad hominem, sed & ad res alias in hoc universo. Cum etiam huic directioni inesse intelligantur, quæ a nobis investigari nequeunt, meminisse debemus, quod Deus quid sit optimum in se judicans idem referat ad totum universum (§. 393. *part. 1. Theol. nat.*), ideoque Dei judicium a nostro multum differre debeat, ut si vel maxime aliquid veritatis cognoscamus, non tamen omnem perspiciamus, nec perspicere valeamus.

§. 39.

De sapientiæ divinæ magnitudine agnoscenda.

Magnitudinem sapientiæ divinæ agnoscimus ex multitudine finium in rebus adeo diversis contentorum & sibi invicem subordinatorum. Etenim quo plures fines particulares sibi invicem subordinantur, eo sapientia major est (§. 688. *Psych. rat.*), ac inprimis sapientia major elucescit, si res, quarum fines subordinantur, sint prorsus diversæ. Quodsi ergo perpendamus multitudinem finium in rebus adeo diversis contentorum & sibi invicem subordinatorum vi eorum, quæ in anterioribus demonstrata & uberius explicata fuerunt; consideratione rerum in hoc universo existentium magnitudinem sapientiæ divinæ agnoscimus.

Magnitudinis sapientiæ divinæ idea quædam nobis jam ingignitur, si corpus nostrum saltem spectamus tanquam machinam sui conservatricem, & structuram ejus ex Anatomia una cum usu singularum partium nobis perspectam reddi-

reddimus, ac præterea perpendimus, quid quælibet harum partium functione sua conferat ad conservationem corporis totius. Dantur utique adhuc alia, ex quibus gradus sapientiæ nobis innotescit. Huc inprimis pertinet aptitudo medii ad finem consequendum (§. 683. *Psych. empir.*), ideoque idea magnitudinis sapientiæ divinæ consideratione corporis humani acquisita multum amplificatur, si porro inquiramus, quomodo unaquæque pars corporis nostri per structuram suam aptum sit ad eam functionem, quam obire debet, ut suum conferat ad conservationem corporis. Ex harmonia præstabilita luculentissime elucescere sapientiam divinam, alibi jam demonstravimus (§. 626. *Psych.rat.*) & mechanismus corporis, ea admissa, prorsus incomprehensibilis evadit, ita ut *Baelio* in hoc systemate sapienti divinæ magnitudo in nimium extolli videatur: quasi vero pro impossibili habendum, quod nobis incomprehensibile. Equidem non probo, ut per figmenta sapientiam divinam extollere studeamus, cum figmentis minime indigeat, ut magna appareat; non tamen figmentis accensenda sunt, quæ nobis incomprehensibilia sunt, si rationes sufficientes adsint ad eorum existentiam persuadendum, aut eandem prorsus demonstrandum. Systema mundi novum, cujus in anterioribus usum fecimus in agnitione Dei non minus incomprehensibile est, quam mechanismus corporis humani in systemate harmoniæ præstabilitæ, atque sapientiam Dei non minus extollit supra omne id, quod cogitari potest quam systema harmoniæ præstabilitæ. Ecquis vero dixerit, systema mundi novum ideo esse rejiciendum, quia sapientiam Dei, extollit supra omne id, quod cogitari potest? Enimvero cum perpauci sint, qui systema harmoniæ præstabilitæ capiunt; ideo ejus usum in magnitudine sapientiæ divinæ cognoscenda urgere nolumus, ne, quæ aliunde satis certa sunt, in dubitationem adducantur.

§. 40.

An inquisitioni in sapientiam Dei præfigi debeant limites.

In sapientiam Dei omni studio inquirere debemus, etiam ubi inanem operam a nobis sumi pro explorato habemus. Etenim si in sapientiam Dei omni studio inquirimus, nos tamen eandem detegere non posse animadvertimus; eam nobis incomprehensibilem (§. 170. *part. 1. Theol. nat.*) & inscrutabilem asse agnoscimus (§. 690. *part. 1. Theol. nat.*), quodque captum nostrum superet convincimur (§. 985. *Log.*): quæ sane omnia faciunt ad magnitudinem sapientiæ divinæ agnoscendam. Quamobrem cum Deum consideratione hujus universi agnoscere debeamus (§. 1131. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter etiam incomprehensibilitatem, inscrutabilitatem & magnitudinem sapientiæ divinæ; in eandem inquirere debemus, etiam ubi inanem operam a nobis sumi pro explorato habemus.

Non certius convinci possumus, sapientiam Dei nobis incomprehensibilem & inscrutabilem esse eandemque captum nostrum longe transcendere, quam si actu experimur, omnem operam nostram, quam in eam inquirendo consumsimus, inanem fuisse: id quod nobis tanto certius videtur, quanto majorem operam nos inquisitioni isti dedisse nobis conscii sumus.

§. 41.

De bonitate divina agnoscenda.

Bonitas Dei agnoscitur ex rerum perfectione & nexu earundem, quatenus vi ejusdem unum inservit conservationi & usibus alterius. Mundus enim hic adspectabilis & quicquid in eodem existit a bonitate divina dependet quoad perfectionem suam (§. 808. *part. 1. Theol. nat.*), & per rerum nexum, quatenus vi ejusdem unum inservit usibus (§.

807.

807. *part. 1. Theol. nat.*), ideoque etiam conservationi alterius (§. 646. *part. 1. Theol. nat.*), & bonitatis divinæ speculum est quoad perfectionem suam & nexus rerum utilitatem (§. 809. *part. 1. Theol. nat.*). Quodsi ergo in perfectionem rerum inquirimus, atque præterea perpendimus, omnia in hoc mundo ita inter se esse connexa, ut unum conservationi & usibus alterius inservire possit; bonitas divina inde colligitur (§. 784.). Quamobrem ex rerum perfectione & earundem nexu, quatenus vi ejusdem unum inservit conservationi & usibus alterius, bonitas divina agnoscitur.

Unum inservire conservationi & usibus alterius facillime observatur, ut levi attentione ab unoquoque animadverti possit. Nascuntur gramina & herbæ, ne desit animalibus pabulum ad sui conservationem necessarium. Unumquodque animal tam maximum, quam minimum, alimento fruitur sibi conveniente. Prostant sufficiente copia ea, quibus homo ad conservationem sui indiget. Tempestates variant, quemadmodum vegetatio plantarum & propagatio animalium exigit. Et qui fines rerum scrutatur, cum iidem in usu earundem consistant, quem una alteri præstat (§. 648. *part. 1. Theol. nat.*), una intelligit, quomodo una usibus alterius inserviat. Quamvis vero hæc omnia omnium oculis pateant, negari tamen non potest, multo perfectiorem cognitionem eorundem nos habere, si in ea accuratius inquiramus, quamvis & hic notandum sit hebetioribus obvia non minus satisfacere, quam acutioribus multo studio atque labore inquisita. Enimvero perfectio rerum non eadem facilitate nobis innotescit, & dolendum est de rerum perfectione hactenus parum sollicitos fuisse philosophos, ut ne quidem in philosophia prima de notione distincta perfectionis in genere tradenda cogitaverint. Postquam

 vero

vero nos notionem desideratam dedimus (§. 503. *Ontol.*) & evolvimus (§. 505. *& seqq. Ontol.*), & eandem passim præsertim in Moralibus applicavimus; quomodo perfectionem rerum cognoscere possimus, clarissime perspicitur. Pertinent huc exempla eorum, quæ dedimus definitionem in genere illustraturi (*not.* §. 503. *Ontol.*), & quæ de perfectione animæ (§. 201. *part.* 1. *Jur. nat.*), de perfectione corporis qua vivi (§. 317. *part.* 1. *Jur. nat.*), qua sentientis (§. 323. *part.* 1. *Jur. nat.*), qua se moventis (§. 330. *part.* 1. *Jur. nat.*) & qua humani (§. 335. *part.* 1. *Jur. nat.*), atque hominis demonstrata sunt (§. 340. *part.* 1 *Jur. nat.*). Immo huic disquisitioni lucem quoque affundunt, quæ de perfectione vitæ moralis demonstravimus (§. 9. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Supponit disquisitio de perfectione rerum Teleologiam, ut nobis cognitus sit finis rei & subordinatio finium particularium in determinationibus essentialibus observandorum, qua mediante ille obtinetur. Ita nimirum intelligitur, rem unamquamque per essentiam suam & naturam esse aptam ad consequendum finem suum. In corporibus organicis, præsertim artificialibus, hoc facilius succedit, quam in aliis. Quamobrem si quis perfectioni rerum agnoscendæ operam dare decreverit, is initium faciat a corporibus artificialibus, inquirendo in perfectionem eorundem eo modo, quo usi sumus in perfectione horologii evincenda, ac deinceps progrediatur ad organa corporis humani, considerando eadem tanquam machinas peculiares citra relationem ad corpus humanum, veluti ut oculus spectetur tanquam machina optica ad repræsentandum visibilium imagines apta, instar cameræ obscuræ (*not.* §. 503. *Ontol.*), quam Optici construere docent (§. 79. *Optic.*). Absit autem, ut existimes cognitis rerum finibus & subordinatione eorundem cognitam quoque & perspectam esse rerum perfectionem, consequenter eandem in Teleologia explicandam esse. Etenim res unaquæque perfecta est, non

non quatenus habet hunc finem, sed quatenus talis est, ut per eam finis obtineri possit: id quod non minus de fine ultimo, quam de particularibus ad consequendum ultimum sibi invicem subordinatis intelligendum. Ita e. gr. non ideo oculus perfectus est, quia imagines visibilium in retina delineantur, sed quia structura oculi talis est, ut vi ejusdem imagines visibilium in fundo ejus claræ atque distinctæ delineari possunt, & singulæ partes, ex quibus componitur, tales deprehenduntur, ut, quod suum est, ad hoc conferre possint, ut imagines sint claræ atque distinctæ. Quamvis itaque finis rei detectus sit, nondum tamen patet perfectio rei, quippe quæ non ante manifesta est, quam ubi non amplius ratio ex qualitate rei desumta latet, cur scilicet per eam finis iste obtineri, seu, quod perinde est, cur istum usum habere possit. Atque ideo liquet, præter Teleologiam ad perfectionem rerum indagandam requiri quoque scientiam physicam. Cum scientia physica admodum imperfecta sit, nec multum præsidii inde adhuc sperari potest ad perfectionem rerum agnoscendam. Qui agnitione Dei delectantur necessitatem Physicam quoad omnes partes, quas sibi vindicare potest, excolendi agnoscent.

§. 42.

Quomodo Deus dator omnis boni agnoscatur.

Bonitatem divinam & Deum esse omnis boni datorem ex nobismet ipsis agnoscimus, si perpendamus quicquid boni vel natura habemus, vel studi ac labore nostro, aut quocunque modo alio acquisivimus, id omne esse a Deo: id quod eodem modo ad res quoque alias transfertur.

Quicquid homo habet, id vel inter essentialia, vel attributa, vel modos, quorum possibilitas, si in essentialibus ipsorum ratio sufficiens continetur, in attributorum numero est (§. 164. *Ontol.*), locum habet (§. 149. *Ontol.*). Essentiæ rerum in possibilitate earum intrinseca consistunt (§. 154. *Ontol.*),

 con-

consequenter ideis Deo essentialibus (§. 188. *part. 1. Theol. nat.*), continetur (§. 192. *part. 1. Theol.nat.*), ideoque essentiam nostram a Deo habemus. Et quia attributa & ab iis dependentes modorum possibilitates rationem sufficientem in essentia habent (§. 157. 581. *Ontol.*), ideoque cum iisdem simul ponuntur (§. 118. *Ontol.*); ad Deum quoque autorem referre tenemur attributa nostra & quod istiusmodi modificationum simus capaces. Enimvero ut modos actu acquiramus, a circumstantiis externis pendet, quæ rerum nexui insunt, quemadmodum unusquisque experitur levi attentione facta, ut prolixa demonstratione opus non sit. Quoniam itaque nexus rerum sapientia divina constitutus est (§. 666. *part. 1. Theol. nat.*); quicquid quomodocunque acquirimus, id similiter Deo acceptum referendum, sive id fuerit in nobis, sive extra nos & quocunque modo tanquam nostrum spectetur. Quodsi ergo perpendamus, quicquid boni vel natura habemus, vel studio ac labore nostro acquirimus, id omne esse a Deo; nos nihil boni habere agnoscimus, quod non a Deo acceperimus. Quoniam itaque in nos bonus est, qui bona in nos confert (§. 697. *part. 1. Theol. nat.*); si perpendamus, quicquid boni vel natura habemus, vel studio ac labore nostro, aut quocunque modo alio acquirimus, id omne a Deo esse, bonitatem divinam agnoscimus. *Quod erat primum.*

Et quoniam nihil prorsus boni habemus, quod non Deo acceptum referre tenemur, *per demonstrata*; Deum esse boni omnis autorem, ex nobismet ipsis agnoscimus. *Quod erat secundum.*

Quia

Quia vero demonstratio procedit ex principiis, quæ ad ens quodlibet, qualecunque tandem illud sit, applicari possunt; nemo non intelligit, quæ de homine demonstrata fuert, ad res quoque alias transferri posse, ut eodem modo inde agnoscatur bonitas divina. *Quod erat tertium.*

Quamvis demonstratio ex principiis generalibus contexta, quemadmodum fieri necesse est, non sit ad captum omnium, exempla tamen particularia ad sensum communem reducunt, quæ in abstracto difficulter capiuntur. Ponamus te acquisivisse magnam rerum scientiam. Quodsi inquisiveris, qoomodo fieri potuerit, ut ad tantam rerum scientiam pervenire potueris; nullo negotio deprehendes, fieri hoc nequaquam potuisse, nisi hisce mentis ac animi dotibus a natura fuisses instructus, nisi hac educatione & hisce doctoribus tam vivis, quam mortuis usus fuisses, nisi hæc subsidia tibi præsto fuissent, seu, ut in genere dicam, nisi has dotes naturales habuisses & in hisce circumstantiis positus fuisses. Ut vero hasce habeas dotes naturales, ut in hac rerum serie hunc obtinueris locum, non tibi, sed Deo utique acceptum referre teneris. Quamobrem quod tantam rerum scientiam acquisiveris, id omnino Deo tribuendum, ut ipse eandem tibi dedisse recte dicatur. Similiter ponamus tibi obvenisse hæreditatem luculentam atque magnam. Nonne agnoscis te eandem non fuisse consecuturum, nisi hoc tempore ex parentibus hisce fuisses natus, Deo autem acceptum ferre debes, quod eos habueris parentes & hoc tempore natus fueris, consequenter etiam quod hæreditas ista tibi obvenerit. Taceo circumstantias alias, quorum concursu concipitur fortuna, quam adeo faventem expertus es, & quæ omnes testantur, quod nihil tibi, sed Deo omnia tribuere debeas. Plura jam non addo: legi possunt, quæ de homine nihil a se ipso habente uberius

uberius exposita sunt in Horis subsecivis Marburgensibus A. 1729. Trim. æst. n. 3. Maximi autem momenti est, ut Deum datorem omnis boni agnoscamus, cum hæc veritas multis modis influat in praxin moralem, quemadmodum suo loco videbimus. Quod vero eadem consideratio locum quoque habeat in rebus aliis, eadem facilitate agoscitur. Unde enim feræ habent suum robur, canes sagacitatem, aves nidificandi artem, insecta faciendi ea, quæ in ipsis admiramur, flores colorem oculis nostris blandientem, herbæ virtutem medicam & ita porro? Nonne eodem, quo ante, modo intelligitur ea omnia a Deo accepta esse? Optandum omnino foret, ut homines in universum omnes animum ad hæc attenderent, quemadmodum debent! Ast quæ præterea hic dici poterant, ea rectius reservamus sequentibus, quando de beneficiorum divinorum agnitione agemus.

§. 43.

De bonitate divina ex malorum directione ad bonum finem agnoscenda.

Ad bonitatem divinam agnoscendam quoque facit malorum ad bonum finem directio. Quod directio malorum ad bonum finem bonitatis divinæ sit, alias dudum demonstravimus (§. 733. *part. 1. Theol. nat.*). Quodsi ergo consideremus, quomodo bona nobis non obvenissent, nisi mala quædam præcessissent; inde convincimur, Deum ideo locum reliquisse in hac serie malis, quia intendit bona inde emergentia, istis non præexistentibus minime extitura. Quoniam itaque bonus in alios est, qui pro virili bona ipsis conferre studet (§. 659. *part. 1. Theol. nat.*), quin ex directione malorum ad bonum finem agnoscatur bonitas divina dubitandum non est,

Monuimus jam alibi (*not.* §. 733. *part. 1. Theol.nat.*), Deum non evidentius bonitatem suam summam nobis paterface-

tefacere posse, quam malorum tam physicorum, quam moralium, cum propriorum, tum alienorum directione ad bonum finem: inde nimirum elucescit enixa Dei hominibus benefaciendi voluntas. Necesse autem est, ut perpendamus, quot modis malum vergere possit in bonum nostrum. Sed de his quoque expressius dicendum, quando de consideratione beneficiorum divinorum agemus. Quomodo inquirendum sit in hanc directionem, ut bonitatem divinam inde agnoscamus, docet modus, quo expendimus exemplum Josephi a fratribus in servitutem venditi (§. 688. *part. 1. Theol. nat.*). Notandum vero est, si qui occurrunt casus, in quibus pervidere minime possumus, quaenam bona ex malis emerserint, de bonitate Dei judicari non posse nisi in relatione ad totum universum & omnia ipsius attributa (§. 727. *part. 1. Theol. nat.*), & multo minus de eadem judicandum esse quoad hominem unum in singulari citra relationem ad totum genus humanum (§. 728. *part. 1. Theol. nat.*), ideoque hominem de bonitate Dei non eodem, quo Deus, modo judicare (§. 729. *part. 1. Theol. nat.*). Ita nimirum certi esse possumus, quod Deus malum quodcunque dirigat ad bonum finem, licet non videamus, quae bona in subsequente seriei parte existant, quae non extitura fuissent, nisi malo in parte antecedente locus fuisset.

§. 44.

De bonitate divina ex bonis ab aliis hominibus in nos collatis agnoscenda.

Bonitas divina etiam ex bonis ab hominibus aliis in nos collatis agnoscitur. Alias jam demonstravimus, bonitati divinae acceptum ferendum esse, si qui homines nobis quomodocunque inserviant, seu boni quid in nos conferant (§. 742. *Part. 1. Theol. nat.*). Quodsi ergo bona ab aliis in te collata tanquam a Deo profecta consideres, ita ut sine eo eorundem compos fieri minime potuisses; quin ex iis bonitatem divinam agnoscas fieri non potest.

Nimirum quicquid in rerum natura fit, id ad Deum tanquam causam primam referendum, si rationem sufficientem habere volueris. Quodsi quæsiveris cur hic vel ille bonum quoddam in te contulit, facile perspicies, id fieri minime potuisse, nisi is extitisset & eæ fuissent circumstantiæ, per quas determinatus fuit ad benefaciendum. Enimvero vidimus jam in superioribus nullius hominis existentiam rationem sufficientem habere, nisi in Deo (§. 21.), cumque idem valeat de quocunque alio, quod in rerum natura ad actum perducitur (§. 90. *Cosmol.*), quælibet circumstantia in rerum natura non extitisset, nisi Deus hanc rerum seriem ad actum perduxisset. Quamobrem quoad quamlibet circumstantiam qualiscunque tandem fuerit, Deus considerandus est tanquam causa prima, sine qua causis secundis nullus locus fuisset in mundo, consequenter quicquid ab hisce circumstantiis boni dependet, id quoque ad Deum tanquam causam primam referendum. Intendit Deus hoc bonum tanquam finem, cum mundum creare decrevit. Voluntate igitur ipsius tibi benefaciunt alii, ut Deus tibi per eos benefecisse dicendus sit. Si qua dubia cuidam oriri poterant quoad existentiam malorum moralium, ea dudum sustulimus in Theologiæ naturalis parte prima. Legenda tantummodo sunt, quæ de malis tam physicis, quam moralibus passim in ea demonstravimus. Ceterum propositio præsens per modum corollarii continetur in superiori, quod bonitas divina agnoscatur ex nexu rerum, quatenus vi ejusdem unum inservit usibus alterius (§. 41.): in eodem enim sunt etiam hominum actiones, quibus unus prodest alteri. Immo ea etiam Numinis optimi voluntas est, ut unus alteri prosit (§. 222. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Perinde igitur est, sive Deus bona in te conferat per causas secundas alias in rerum natura existentes, sive per homines.

§. 45.

§. 45.

Bonitas quoque Dei cognoscitur ex eo, quod hominem obliget ad legem naturæ servandam. Etenim custodia legis naturalis medium est, quo homo felicitatem consequi potest, ita ut sine ejus custodia felix esse nequeat (§. 396. & *seqq. part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum Deus hominem obliget ad legem naturæ servandam (§. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*); non potest non velle ut homo sit felix. Hanc igitur voluntatem si cognoscimus, bonitatem quoque ejus exinde agnoscimus. *De bonitate divina ex obligatione ad legem naturæ servandam.*

Dedit Deus nobis rationem, per quam lex naturæ nobis innotescit (§. 259. *par. 1. Phil. pract. univ.*), ut sciamus, quomodo felices fieri possimus (§. 396. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Indidit quoque nobis appetitum, qui naturaliter fertur in felicitatem (§. 324. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Ideoque fieri potest, ut felicitatem consequamur, modo facultatibus nostris utamur, quemadmodum debemus. Quodsi ergo perpendamus, nos a Deo tales esse factos, ut felices fieri possimus; bonitatem ejus evidenter admodum agnoscimus.

§. 46.

Bonitas divina agnoscitur ex eo, quod mala a nobis avertantur. Multa omnino mala sunt intrinsece possibilia & eorum possibilitatem extrinsecam agnoscimus, quod ea ad actum perduci experiamur (§. 111. *Cosmol.*), unde etiam ipsa possibilitas intrinseca colligitur (§. 170. *Ontol.*). Quoniam vero in mundo nihil ad actum consequitur, nisi cujus causa in serie rerum, ex qua constat, continetur (§. 97. *Cosmol.*), consequenter quod extrinsece possibile est (§. 111. *Cosmol.*); nemo non facile perspicit, se huic vel isti *De bonitate divina ex malis aversis agnoscenda.*

isti malo obnoxium fieri potuisse, si in aliis circumstantiis positus fuisset, quam se positum deprehendit, ideoque si alium in hac rerum serie locum obtinuisset, vel si in alia rerum serie constitutus fuisset. Quamobrem cum Deus hunc mundum adspectabilem produxerit (§. 760. *part. 1. Theol. nat.*), consequenter hanc rerum seriem (§. 55. *Cosmol.*), & nexus rerum in eadem sapientia (§. 666. *part. 1. Theol. nat.*) ac bonitate divina constitutus sit (§. 740. *part. 1. Theol. nat.*); Deo acceptum ferendum, quod malis, quibus homines obnoxii fieri possunt, nos obnoxii facti non fuerimus, aut fiamus. Enimvero quia absentia mali in numero bonorum est (§. 756. *part. 1. Jur. nat.*); qui malum quoddam a nobis avertit, bonum quoddam in nos confert. Bonitatem igitur divinam ex eo agnoscimus, quod mala a nobis avertantur.

Absentia mali bonum privativum est: bonorum autem privativorum magnus admodum numerus est. Qui bona sua agnoscere vult, non modo animum advertere debet ad bona positiva, verum etiam ad privativa, ut intelligat, a quibusnam malis liber sit. Bonum privativum haud raro majus censetur bono positivo, quo maxime delectamur, ita ut illud cum hoc permutare nolimus. Vix quenquam fore adeo insanum puto, qui malit opibus abundare, quam continuis morbis non cruciari. Notandum vero est, non dari bonum aliquod positivum, quod non conjunctum habeat bonum quoque privativum, quatenus nimirum cuilibet bono opponitur malum tam privativum, quam positivum. Ita scientiæ opponitur ignorantia, error, opinio, & qui scientia pollet, liber est ab ignorantia, errore, opinione. Ut vero bonitatem divinam ex eo agnoscamus, quod mala a nobis avertantur, considerandus aliorum hominum est status & cum nostro comparandus, hoc modo enim nobis innotescet, quibus malis obnoxii fieri possunt homines, & quæ a nobis

nobis aversa sunt. In hac autem consideratione ratio quoque habenda est malorum moralium: inde nimirum discemus, carentiam alicujus boni physici bonis nostris annumerandam esse, quatenus est remedium adversus mala moralia. Ita fieri potest, ut tibi prosit non esse divitem, cum alias luxui deditus non modo sanitati, qua integra frueris, noceres, verum etiam de genere humano bene mereri negligeres. Bonitatis divinæ vestigia ubivis deprehenduntur, modo ea lustrare velimus. Quæ hic objiciuntur ab iis, qui providentiam divinam impugnant & omnem sapientiam ac bonitatem Numinis a mundo removent, fatalis necessitatis defensores, de iis dicemus inferius suo loco.

§. 47.

De magnitudine bonitatis divinæ agnoscenda.

Magnitudinem bonitatis divinæ agnoscimus, si consideremus multitudinem rerum, quarum unaquæque inservit usibus alterius, & quam multiplex sit hic, atque perpendamus, quod omne bonum, sive naturale, sive acquisitum, Deo acceptum ferre teneamur, quam multa sint mala, quæ a Deo in bonum finem diriguntur, quam multa sint, quæ ab unoquoque avertuntur, & quam multa bona ab hominibus aliis in nos conferantur, quamque multis modis homo unus alteri prodesse possit. Etenim bonitatem divinam agnoscimus, si perpendamus, quomodo in rerum natura unum inserviat conservationi & usibus alterius (§. 41.), quod quicquid boni vel natura habemus, vel quomodocunque acquirimus, id omne sit a Deo, & idem eodem modo ad res quoque alias transferatur (§. 42.), quod Deus mala ad bonum finem dirigat (§. 43.), quod Deo acceptum ferre teneamur, quicquid boni in nos confertur ab aliis (§. 44.). Quodsi ergo porro consideremus, quantus hinc emergat tam bonorum positivorum, quam etiam privativorum, quæ non minus ac illa ad bonitatem divinam a-

gnoſcendam faciunt (§. 46.), numerus, palam eſt. Magnitudo bonitatis divinæ cum æſtimanda ſit ex multitudine bonorum tam poſitivorum, quam privativorum a Deo in nos & creaturas ceteras collatorum; magnitudinem divinam utique agnoſcimus, ſi conſideremus multitudinem rerum, quarum unaquæque inſervit uſibus alterius, & quam multiplex hic ſit, atque perpendamus, quod omne bonum ſive naturale, ſive acquiſitum, Deo acceptum ſit ferendum, quam multa ſint mala, quæ a Deo diriguntur in bonum finem, quam multa ſint, quæ ab unoquoque avertantur, & quam multa bona ab hominibus aliis in nos conferantur, quamque multis modis homo unus prodeſſe poſſit alteri.

Qui in anterioribus deſiderari non paſſus eſt attentionem ſuam, me vel tacente agnoſcet, quæ hinc inde de magnitudine hujus univerſi & multitudine rerum in eo exiſtentium, itemque de corporibus mundi totalibus dicta ſunt, ad magnitudinem quoque bonitatis divinæ agnoſcendam apprime facere. Cum bonus ſit erga alios, qui in eos bona conferre ſtudet (§. 697. *part. 1. Theol. nat.*); ex multitudine bonorum quæ Deus in homines & ceteras creaturas confert, potiſſimum æſtimanda eſt bonitas divina. Quamvis enim in hominibus bonitas quoque æſtimari ſoleat ex magnitudine boni, quod in alterum quis confert; non tamen opus eſt ut in magnitudine bonitatis divinæ æſtimanda bonorum ſingulorum magnitudinem in ſe conſideremus, non modo quia ejusdem boni magnitudo variat pro diverſitate ſubjectorum, quibus confertur, & hæc æſtimatio infiniti foret laboris, verum etiam quia certum eſt, Deum enti cuicunque tantundem conferre boni, quantum ſalva ſapientia ipſius fieri poteſt (§. 698. *part. 1. Theol. nat.*), ita ut unusquisque ſorte ſua contentus eſſe debeat, immo niſi ſapientiæ

tiæ divinæ contraria prætendere velit, contentus esse possit. Tacemus rationes alias, ob quas si scrupulosius in magnitudinem bonorum inquirere vellemus, facile in opiniones bonitati divinæ contrarias incidere possemus, cum non idem sit hominum, quod Dei judicium, cum Deus omnia referat ad totum universum & omnia attributa sua, homo autem, quæ sibi obveniunt, nonnisi ad statum præsentem suum, immo ne hunc quidem semper considerat, quemadmodum debebat. Præstat igitur in judicio Dei acquiescere, eidemque judicium nostrum submittere, & pro certo habere, quicquid boni a Deo nobis confertur, id satis magnum apparitúrum, si consideretur quoad ea, quæ in futurum ab eodem dependent: id quod in æstimandis beneficiis utique attendendum.

§. 48.

De incomprehensibilitate bonitatis divinæ agnoscenda.

Incomprehensibilitatem bonitatis divinæ agnoscimus, si inquiramus in dependentiam eorum, quæ secuta sunt, a præteritis, & futurorum, seu ex præsentibus consecuturorum a præsentibus. Quodsi enim inquiramus in dependentiam eorum, quæ secuta sunt, a præteritis & futurorum, seu ex præsentibus consecuturorum a præsentibus, cum actus contingentium in mundo determinetur per seriem contingentium, quorum unum determinatur per alterum quoad actualitatem suam (§. 89. *Cosmol.*), quomodo Deus perfectionem nostram & status nostri promoveat, consequenter se nobis bonum præbeat (§. 695. *part. 1. Theol. nat.*), inde intelligimus. Enimvero cum non modo futurorum prævisio nonnisi conjecturalis sit, & plerumque nulla, ac præterea judicio Dei perfectissimum censeatur in suo genere, quod facit ad majorem perfectionem totius universi (§. 392. *part. 1. Theol. nat.*), consequenter bonitatem suam ita exerceat, ut totius univer-

universi perfectio promoveatur; quod modum, quo Deus bonitatem suam in mundo exerceat, nobis minime repræsentare valeamus agnoscimus. Quoniam itaque cognoscibile nobis incomprehensibile est, si modum, quo est, vel fieri potest, nobis minime repræsentare valemus (§. 170. *part. 1. Theol. nat.*); si inquiramus in dependentiam eorum, quæ secuta sunt, a præteritis & futurorum a præsentibus, incomprehensibilitatem bonitatis divinæ agnoscimus.

Qui demonstrationem præsentis demonstrationis attenta mente perpendit, is animadvertet, dum inquirimus in dependentiam præsentium a præteritis, nos animo concipere quandam ideam modi, quo Deus bonitatem suam exercet; dum vero porro perpendimus, dependentiam sequentium a præcedentibus, ut eandem penitus perspiciamus saltem quoad nos requiri præterea prævisionem futuri, quomodo hoc a præsentibus dependeat intelligimus; dum denique ad animum nobis revocamus, a Deo omnia referri ad perfectionem universi, & quam exigua nobis sit prævisio futuri, si vel maxime ad nos saltem restringatur, modum, quod Deus bonitatem suam exerceat in hoc universo, captum nostrum longe superare, ideoque incomprehensibilitatem ejus nobis innotescere. Probe notandum est bonitatem Numinis optimi nobis esse incomprehensibilem, ne nostra de eadem judicia præcipitantes a vero aberremus & in bonitatem divinam injurii evadamus. Quamobrem e re præsenti esse duximus, ut ad demonstrationem præsentem rite perpendendam attentionem excitaremus. Non abhorret a notionibus communibus, ut in æstimandis bonis rationem habeant dependentiæ eorum, quæ sequuntur, a præcedentibus, quamvis id potissimum contingat, & ab iis, quæ in præsenti bona existimabantur, dependeant postea mala, cum mala in se magis trahant attentionem, quam bona, ut consideremus, ea non fuisse extitura, nisi alia in

præextitissent. Qui vero hanc dependentiam admittit in malis, eandem quoque admittere tenetur in bonis, & ut admittendam agnoscat vel unico exemplo Josephi a fratribus in servitutem vendìti doceri potest (§. 688. *part. 1. Theol. nat.*). Non tamen opus est, ut exempla e longinquo petamus. Unusquisque enim ex seipso hoc agnoscere potest, modo ea, quæ sibi obvenerunt, ad animum revocare voluerit. Poteramus hic quoque provocare ad incomprehensibilitatem magnitudinis bonitatis divinæ per integrum universum diffusæ, quam alibi demonstravimus & uberius explicavimus (§. 743. *part. 1. Theol. nat.*). Sed quæ ex alibi dictis intelliguntur, ea hic prolixius urgere nolumus.

§. 49.

De inscrutabilitate bonitatis divinæ agnoscenda.

Inscrutabilitatem bonitatis divinæ agnoscimus, si perpendamus de bonitate Dei judicari non posse, nisi in relatione ad totum universum & omnia ipsius attributa, istiusmodi autem judicium ut feramus, impossibile nobis esse. Quodsi enim perpendamus, si de bonitate Dei judicium ferre debeamus, in quo nihil desideratur, necesse esse, ut id, quod nobis, vel creaturæ cuidam alii obvenit, referatur ad totum universum, sicque conspicuum reddatur, quidnam id conferat ad perfectionem totius universi, ut hoc aptum sit ad patefaciendum perfectionem Dei summam (§. 673. *part. 1. Theol. nat.*); extemplo videmus, fieri minime posse, ut exactum de bonitate ipsius judicium feramus. Et idem ulterius patet, si consideremus, nos judicare minime posse, quid conveniat in hisce omnibus attributis divinis conjunctim sumtis. Quamobrem cum bonitas nobis inscrutabilis sit, si modum, quo quis perfectionem alterius promovet, non penitus perspicimus, nec certo cognoscere valemus (§. 731. *part. 1. Theol. nat.*); inscrutabilitatem bonitatis di-

vinæ agnoſcimus, ſi perpendamus, de bonitate Dei judicari non poſſe, niſi in relatione ad totum univerſum & omnia ipſius attributa, iſtiusmodi autem judicium ut feramus, impoſſibile nobis eſſe.

Inſcrutabilitati bonitatis divinæ plurimum lucis affunditur, ſi perpendamus multitudinem rerum, quæ ad notitiam noſtram pervenire non poſſunt & de quibus expreſſius diximus, cum de inſcrutabilitate intellectus divini ageremus (27.). Quoniam enim Deus enti cuicunque tantundem confert boni, quantum ſalva ſapientia eidem conferri poteſt (§. 698. *part. 1. Theol. nat.*); ad bonitatem Dei agnoſcendam non modo faciunt bona, quæ nobis obveniunt, verum etiam quæ reſpicunt entia cetera quæcunque in univerſo exiſtentia. Non eſt, quod objicias, impoſſibile eſſe ut hæc a nobis cognoſcantur: impoſſibiliatem agnoſcere debes, conſequenter animum ad eandem attendere, ſiquidem inſcrutabilitatem agnoſcere velis. Cumque præterea multiplici modo Deus bonitatem ſuam erga nos demonſtret, quæ omnia expendenda ſunt, ut eandem agnoſcamus (§. 42. & *ſeqq.*); omnia illa bonorum genera quoque perpendenda ſunt, ut inſcrutabilitatem bonitatis divinæ tanto clarius percipiamus. Immo cum omnia, quæ Deus decrevit, ab eodem prorſus diſtincte cognita fuerint; ad inſcutabilitatem tam bonitatis, quam ſapientiæ divinæ agnoſcendam etiam faciunt, quæ de inſcrutabilitate intellectus divini demonſtrata fuerunt (§. 27.), ejusdemque magnitudine (§. 25). Quia denique bonitas divina per ſapientiam quaſi reſtringitur (§. 698. *part. 1. Theol. nat.*), quæ de ſapientia divina agnoſcenda prolixe admodum demonſtravimus (§. 33. & *ſeqq.*), ſicuti ad bonitatem divinam in ſe agnoſcendam, ita etiam ad inſcrutabilitatem ejus agnoſcendam haud parum conferunt.

§. 50.

De omni- *Omniſcientiam Dei agnoſcimus, ſi perpendimus nexum rerum, vicu-*

vi cujus omnia sequentia dependent ab omnibus præcedentibus, esse universalem atque optimum. Etenim mundus hic adspectabilis & quicquid in eo datur, dependet ab omniscientia Dei per nexum rerum, quatenus universalis & optimus est (§. 810. *part. 1. Theol. nat.*), & vi hujus nexus est speculum omniscientiæ divinæ, quatenus is universalis & optimus est (§. 811. *part. 1. Theol. nat.*). Universalitatem hujus nexus a posteriori agnosci posse patet ex iis, quæ de argumento pro existentia Dei a posteriori ad sensum communem reducendo supra demonstravimus (§. 21.). Inde autem patet, omnia quæ fiunt in hoc mundo, præscibilia esse, modo intellectus sufficiat ad ea distincte cognoscenda, quæ in hac rerum serie continentur. Quamobrem cum dubitare minime possimus, Deum, qui mundum hunc produxit (§.760. *part. 1. Theol. nat.*); ideam quoque ejus, qua sibi eandem repræsentavit, habuisse, sicuti artifex, qui opus quoddam artificiale facit, ideam ejus habet, cui convenienter id facit; nec dubitare possumus, omnem quoque seriem rerum Deo penitus perspectam fuisse, antequam mundum faceret. Ex universalitate itaque nexus colligi potest omniscientia Dei, quatenus eadem comprehenduntur omnia, quæ in mundo eveniunt, præterita, præsentia & futura (§. 301. *part. 1. Theol. nat.*). Nexum vero rerum esse omnium possibilium optimum, quamvis certo a posteriori agnosci posse non videatur; sufficit tamen probabiliter agnosci. Vidimus nimirum in superioribus, Deum tanta sapientia fecisse hunc mundum, ut suo judicio aptus sit ad patefaciendum summam perfectionem suam (§. 36.). Quoniam itaque ex nobis ipsis agnoscimus, non fieri a nobis omnia, quæ fieri possunt, seu intrinsece possibilia sunt, ideoque nulla apparet ratio, cur non plura intrinsece possibilia

scientia Dei agnoscenda.

admittere debeamus, quæ in hac ſerie rerum ad actum minime perducuntur; ideo nil obſtare videtur, quo minus inde colligamus, Deum elegiſſe um nexum, quem fini a ſe intento maxime convenientem judicavit, ideoque optimum. Inde autem patet, Deum nou modo ſcire ea, quæ in hoc mundo eveniunt, verum etiam cetera, quæ poſſibilia ſunt. Atque hinc manifeſtum eſt, ſi perpendamus nexum rerum, vi cujus ſequentia a præcedentibus omnibus dependent, eſſe univerſalem atque optimum, omniſcientiam Dei conſideratione hujus mundi a nobis agnoſci (§. 301. *part. 1. Theol. nat.*).

Ut ex conſideratione hujus univerſi ſingula attributa divina demonſtrativa ratione immediate colligantur ex iis, quæ in mundo obſervantur, fieri non poteſt; ſed ſufficit, probabiliter eadem agnoſci, quantum ſufficit ad perſuadendum, & varii dantur perſuaſionis gradus pro diverſitate ſubjectorum. Qui vero per demonſtrationem convicti ſunt, in hisce, quæ ſciunt, experientia confirmantur, quæ per ſe ſola nonniſi probabilitatem parit. In agnitione Dei ex contemplatione hujus univerſi & eorum, quæ in eodem exiſtunt, hauſta, nihil ſingulare obtinet, quod non eodem modo ſeſe habeat in cognitione rerum naturalium per experimenta capienda: neque enim experimenta omnia ſunt deciſiva, ita ut certo conſtet id eſſe verum, quod inde colligitur, ſed quædam ſaltem ad probabilem cognitionem ſufficiunt, hæc ipſa tamen veritatem aliunde demonſtratam confirmant, quatenus quod ſcitur experientiæ conforme deprehenditur, quia experimentum ſufficit ad reddendam rationem ejus, quod quæritur. Qui in philoſophia experimentali verſati ſunt & ad experimenta ſufficientem attentionem attulerunt, iis non ignota loquor. Abſit itaque, ut quis acumine ſuo abuſus ſcrupuloſius urgeat requiſita quædam ad veritatem, quæ adhuc deficiunt, ut

pro-

probabilitas vertatur in scientiam (§. 574. *Log.*). Qui acutiores sunt, via demonstrationis ad scientiam eniti debent, & postquam ex Theologia naturali eandem hauserunt, consideratione hujus universi eandem confirmare tenentur, ut quæ sciunt, re ipsa quoque experiantur. Ita nimirum acumine suo recte utuntur, non vero abusu ejus in dubitationem adducunt, quæ certa sunt, ad labefactandam agnitionem Dei, quæ est hebetiorum. Sufficit Deum agnosci pro modulo intellectus uniuscujusque, ut cultus ipsi debitus præstetur. Quodsi quis in agnoscendo Deo consideratione hujus universi fuerit assiduus, & per ea, quæ cognoscit, appetitum determinet ad officia ipsi præstanda; in iis deinceps, ad quorum certitudinem requisita quædam desiderantur, multa tacite influunt in assensum, quæ eundem firmant, ut non minus immotus sit, quam si vi demonstrationis fuisset extortus. Quibus non tantum acumen est, ut scrupulosiores in exquirendis rationibus esse possint, hi omniscientiam Dei sibi facile persuadebunt, modo cogitent, Deum mundum fecisse & artificem intelligere opus suum, quod fecit. Sed mox ostendemus, quomodo ab hebetioribus in agnitione Dei sit progrediendum.

§. 51.

De magnitudine omniscientiæ divinæ agnoscenda.

Omniscientiæ divinæ magnitudinem agnoscimus, si consideremus multitudinem rerum in hoc universo existentium & eventuum in eodem. Etenim res in hoc universo existentes & eventus in eodem sunt objectum omniscientuæ divinæ, in quo acquiescere possunt omniscientiam divinam consideratione hujus universi agnituri, quamvis inde paulo acutioribus & solertioribus etiam transitus pateat ad cetera, ad quæ omniscientia divina in omni sua latitudine extenditur (§. 301. *part. 1. Teol. nat.*), quemadmodum ex demonstratione propositionis præcedentis quodammodo perspicitur.

Quodsi ergo ad animum revocemus multitudinem rerum in universo existentium & eventuum in eodem, quam late pateat omniscientia divina inde perspicitur. Enimvero scientiæ magnitudo æstimatur ex multitudine rerum, quæ cognoscuntur, præsertim si omnia distincte cognoscantur, quemadmodum constat Deum cognoscere omnia (§. 156. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem si consideremus multitudinem rerum in hoc universo existentium & eventuum in eodem, omniscientiæ divinæ magnitudinem agnoscimus.

Ad magnitudinem omniscientiæ divinæ agnoscendam plurimum facit, quod superius de magnitudine intellectus divini demonstratum est (§. 25.): ibidem enim ostendimus, quomodo rerum in mundo existentium multitudo ad animum revocanda sit. Multa etiam ad hanc clarius percipiendam passim in anterioribus occurrunt, quæ hic repetere nolumus. Patebit vero ex sequentibus, sufficere hebetioribus præsertim, ut omniscientiam divinam saltem æstiment ex iis, quæ in mundo sunt ac fiunt, si eadem uti velint tanquam motivo officiorum erga Deum. Neque etiam opus est, ut ex iis, quæ in mundo fiunt, colligatur modus, quo Deus præsentia a præteritis & futuris, & præterita atque futura a præsentibus & a se invicem distingvit. Quamvis enim hoc demonstrari possit, immo a nobis demonstratum sit (§. 939. *& seqq. part. 2. Theol. nat*); hebetioribus tamen salva pietate id ad ea referre licet, quæ de Deo inscrutabilia ipsis sunt.

§. 52.

Scientia cogitationum nostrarum quomodo agnoscitur.

Deum nosse cogitationes hominum agnoscimus, si consideremus animas non minus, quam corpora esse opus divinum, actiones hominum externas contineri in serie causarum inter se connexarum & dependere a volitionibus & nolitionibus animæ, quæ ulterius

ut ab actibus facultatum cognoscendi dependent, omnem autem cogitationum seriem tandem dependere a sensationibus, quæ non ponuntur, nisi posita actione rerum sensibilium in organa sensoria, res vero sensibiles in causarum serie esse contentas. Etenim si cogitemus animas esse a Deo productas perinde a corpora, artifici autem notum esse opus suum; inde colligitur, quod Deus non minus animas, quam corpora cognoscere debeat, consequenter quemadmodum novit, quænam in corporibus eveniunt, ita etiam non ignorare, quænam eveniant in animabus. Quodsi jam porro cogitemus actiones externas pertinere ad seriem causarum naturalium, quarum nexus Deo perspectus est, & ex quo omniscientiam ejus colligimus consideratione hujus universi (§. 50.); Deum cognoscere actiones nostras externas non est quod dubitemus. Enimvero nemo est, qui nesciat, actiones externas dependere a volitionibus & nolitionibus animæ, ita ut ipsimet ex eo, quod quis facit, cognoscamus, quid velit, vel nolit. Quare multo magis Deo hominum volitiones & nolitiones perspectas esse debere agnoscimus. Experimur quoque in nobis rationem sufficientem volitionum & nolitionum contineri in actibus facultatum cognoscendi, ut vel per has pateant hi actus, si quis distinctam rerum cognitionem habeat, ideoque vel hoc modo cognoscibiles sint, consequenter nulla apparet ratio, cur Deo actuum illorum scientiam denegare velimus. Atque de eo tanto minus dubitandum, si perpendamus a sensationibus oriri ceteros actus facultatum cognoscendi, a quibus ortum suum trahunt volitiones atque nolitiones, seu appetitiones & aversiones animæ. Quoniam itaque agnita omniscientia Dei ex rerum nexu (§. 50.), admittere

tene-

tenemur, Deo perſpectas eſſe actiones rerum ſenſibilium in organa ſenſoria, & ipſum animæ eſſentiam atque naturam cognitam atque perſpectam habere; inde intelligimus, eum non ignorare, quales perceptiones ex ſenſationibus animæ oriantur & quænam porro hinc reſultent volitiones ac nolitiones, ſeu appetitiones & averſiones. Patet itaque, ſi ea conſideremus, quæ in propoſitione præſente conſideranda eſſe diximus, conſideratione hujus univerſi agnoſci, quod Deus etiam norit cogitationes hominum.

In Pſychologia oſtendimus, dari harmoniam mentis & corporis humani (§. 540. *Pſych. rat.*), ita ut nihil in anima contingat, cui non reſpondeat aliqua mutatio in corpore noſtro, ſicque ex iis, quæ in corpore contingunt, intelligatur, cur tales jam ſint animæ perceptiones, ex appetitionibus vero ac averſionibus animæ, cur iſtiusmodi fiant jam in corpore motus ſpontanei, vel voluntarii (§. 539. *Pſych. rat.*). Novimus quoque hanc harmoniam non eſſe hypotheſin philoſphicam (§. 541. *Pſych. rat.*), nec confundendam cum harmonia præſtabilita, per quam commercium animæ & corporis explicatur (§. 612. *Pſych. rat.*). Quodſi ergo quis non negat, Deo omnem rerum materialium nexum intime eſſe perſpectum, cujus conſideratione ducimur ad omniſcientiam divinam agnoſcendam (§. 50.); is quoque, ſi perpendit harmoniam mentis & corporis, in dubium revocare nequit, Deo perſpectas eſſe omnes noſtras cogitationes. Enimvero harmonia iſta non ſatis perſpicitur, niſi quis in Pſychologia rationali fuerit verſatus, ac inde didicerit, quænam modificationibus animæ in corpore reſpondeant mutationes, maximam partem tales, quæ in ſenſus non incurrunt, ſed ex iis, quæ ſenſu percipiuntur demum colliguntur. Quamobrem harmonia mentis & corporis non eſt ad cujusvis palatum, nec quilibet per eam ſibi perſuadere poteſt, quod Deus etiam norit omnes cogita-

gita-

gitationes nostras. Ac propterea in propositione ad eam provocare noluimus. Notandum præterea est, per ea, quæ præcepimus in propositione præsente, nondum patere, quod Deus præsciat liberas hominum actiones, quamvis constet, eas a Deo cognosci, quando contingunt, ut ideo quoque Sociniani & alii negent earum præscientiam. Sed nec hic agitur de præscientia divina agnoscenda: id potissimum intenditur, ut agnoscatur, Deum scire omnia, quæ in mundo contingunt, quaslibet etiam nostras cogitationes. Fecit hominem, qui ope sensuum sibi præsentia agnoscit: unde ipsa Scriptura colligendum esse docet, Deum quoque sibi præsentia agnoscere, quando quærit: Qui oculum fecit, nonne & ipse videbit? Qui fecit autem, nonne & ipse audiet? Deo nimirum per eminentiam tribuuntur sensus, quatenus præsentia cognoscit, quemadmodum nos præsentia sensu cognoscimus (§. 1096, 1097. *part. 1. Theol. nat.*). Conferenda hic sunt, quæ de organis sensoriis Deo in scriptura sacra tributis (*not.* §. 91. *part. 1. Theol. nat.*) & de membris corporis humani Deo in eadem attributis alias ostendimus (§. 103. *part. 1. Theol. nat.*). Ceterum hic quoque notandum est, ea, quæ in propositione præsente præscribuntur, urgenda esse pro modulo intellectus unius cujusque, atque operam dandam esse ut ad captum vulgarem reducantur, prouti circumstantiæ suaserint, quando nobis cum aliis negotium est.

§. 53.

Præscientiam divinam consideratione hujus universi agnoscimus, si perpendamus, Astronomum præscire eclipses, quia propter nexum in motu siderum obvium in se præscibiles sunt, & Astronomus hunc nexum introspicere valet, in toto autem universo propter eundem nexum omnes eventus in se præscibiles esse, atque Deo nexum omnem intime perspectum esse. Quodsi enim perpendamus, Astronomum præscire eclipses quia propter nexum *De præscientia divina agnoscenda.*

in motu siderum obvium in se præscibiles sunt, & Astronomus hunc nexum introspicere valet, notionem acquirimus præscibilitatis, ut intelligatur, cur fieri possit, ut futura præsciantur, antequam actu contingant, & non minus notionem præscientiæ, ut constet, quid ad hoc requiratur, ut futurum actu præsciatur. Jam si porro consideremus in mundo omnia inter se ita connexa esse, ut sequentia dependeant a præsentibus continuo tanquam effectus a sua causa; propter hunc nexum omnes eventus in rerum natura tales esse, ut præsciri possint, agnoscimus. Quodsi ergo tandem ad animum revocemus, Deo integrum nexum in caussarum serie esse perspectum; nihil amplius obstat, quo minus agnoscamus, Deum præscire omnes eventus in hoc universo. Præscientiam igitur divinam consideratione hujus universi agnoscimus, si perpendamus, Astronomum præscire eclipses, quia propter nexum in motu siderum obvium in se præscibiles sunt, & Astronomus hunc nexum introspicere valet, in toto autem universo propter eundem nexum eventus omnes in se præscibiles esse, atque a Deo nexum omnem intime perspectum esse.

Qui Astronomiæ peritus est, multo evidentius cognoscit, cur eclipes præsciri posfint & ab Astronomo actu præsciantur, ideoque etiam multo clarius perspicit & præsciendi possibilitatem & actualem præscientiam divinam ex rerum in mundo nexu haud difficulter cognoscibili, quemadmodum ex antecedentibus satis superque constat. Nemo vero ut in aliis ita etiam hic requisiverit, ut doceamus, quomodo omnes eadem evidentia præscientiam divinam consideratione mundi agnoscant, a nobis enim exigeret quod impossibile est. Equidem fieri potest, ut persuasiones accommodemus ad captum eorum, quibus aliquid persuadendum, hujus quoque rationem habere debemus, ne fine intento cadamus;

damus; aſt talia relinquenda ſunt prudentiæ eorum, qui præcepta Philoſophiæ moralis ad praxin transferre voluerint. Ad illuſtrandum modum, quo futurum præſciri poteſt, utique facit, ſi cogitemus quomodo fieri poſſet, ut artifex cognoſcat omnes eventus in horologio ſuo. Certum omnino eſt, artificem peritum non modo prævidere, quod horologium ſuum conſtanter ſit indicem æquabiliter in gyrum acturum, ut is horam diei indicet, ſi ponatur non permitti, ut motus unquam ceſſet, & quoties ac quantum index ſit retrorſum agendus, vel ultra ſitum ſuum promovendus, ne a cœlo diſſentiat. Quodſi jam porro ponamus, quod in uſum præſentem fingere licet, non niſi certum quendam cauſarum numerum ſucceſſive exiſtentium, quæ in horologium influere quocunque modo poſſunt, & hanc earum ſucceſſionem earundemque influxum in horologium ſuum ab ipſo penitus perſpici; extemplo videmus, eum omnem eventum in horologio ſuo præſcire poſſe atque prædicere. Si jam horologio ſubſtituatur mundus, aut res quæcunque alia cum cauſarum in eam ſucceſſive influentium ſerie; facile videbis de Deo non aliud affirmari reſpectu mundi, quem fecit, quam quod de artifice affirmandum eſſe intelligimus reſpectur horologii, quod fecit. Immo fingere licet, quod horologium independenter ab omni re alia, quaſi ſolum extra mundum, exiſtat & partes, ex quibus componitur, ſpectentur tanquam cauſarum ſeries, a quibus omnia unice dependent, quæ in horologio eveniunt; fingere quoque licet, materiam eſſe durabilem, aut nulla in ea mutatio contingat, ac ipſum horologium inſtar perpetui mobilis vi inſita, ſine adjumento motoris cujusdam externi, motum continuare. Ita nimirum ad facilius concipiendam præſcientiam divinam in locum horologii ſaltem ſurrogandus eſt mundus, Notandum enim, quando quæ difficilius concipiuntur, ad captum communem reducuntur, nobis fingere licere in re ſenſibili, per quam agnoſcendum quod

est in re alia a sensu remota, quicquid ad supplendam illius cum hac similitudinem adhuc deest. Atque in hoc consistit novus quidam fictionum usus, minime contemnendus.

§. 54.

De ratione Dei summa agnoscenda.

Rationem Dei summam consideratione hujus universi agnoscimus, si perpendamus in nexu rerum universali contineri veritates universales inter se connexas. Mundus enim & quicquid in eodem existit dependet a ratione Dei summa per nexum universalem, quatenus eidem insunt veritates inter se connexæ (§. 812. *part. 1. Theol. nat.*), & rationis divinæ ideo speculum est (§. 813. *part. 1. Theol. nat.*). In nexu rerum universali contineri veritates inter se connexas consideratione mundi a nobis agnoscitur, si perpendamus, nos ipsos ad cognitionem entium universalium eorumque inter se nexum pervenire inspiciendo res singulares, quas in mundo observamus. Cum enim entia universalia non existant nisi in singularibus (§. 56. *Log.*) atque in similitudine singularium consistant (§. 232. *Ontol*); qui omnia singularia, seu individua cognoscit, omnia quoque entia universalia cognoscit, & qui perspicit nexum singularium nexum quoque universalium perspicit. Quoniam itaque in idea mundi, cujus Deus qui eundem produxit (§. 760. *part. 1. Theol. nat.*), perinde ac artifex operis sui ideam habet, continetur tota rerum inter se connexarum series (§. 55. *Cosmol.*), in eadem quoque continentur entia universalia inter se connexa, consequenter Deus, cui cognita sunt omnia opera sua, in iisdem quoque intuetur omnia entia universalia & eorundem inter se nexum. Quamobrem cum ratio, si subjective sumatur, quemadmodum vulgo accipitur

tur & ideo quoque nos eandem sumsimus, in eo consistat, ut nexus veritatum universalium perspiciatur (§. 483. *Psych. empir.*); si vero cum aliis eandem objective accipere malis, sit ipse nexus, seu concatenatio veritatum universalium; si perpendamus in nexu rerum universali Deo penitus perspecto contineri veritates universales inter se connexas, consideratione hujus universi rationem divinam summam agnoscimus.

Lucem propositioni præsenti affundunt, quæ dudum alias annotavimus (*not.* §. 812. 813. *part. 1. Theol. nat.*). Et qui perpendit, quomodo nos intuendo singularia inde abstrahimus universalia, quatenus hæc in illis videmus; ei nullum superesse potest dubium, quod Deus in singularibus etiam intueatur universalia, neque horum minus, quam illorum sibi conscius sit. Quemadmodum ideæ rerum singularium intellectui divino essentiales sunt, tanquam actus ejusdem (§. 188. *part. 1. Theol. nat.*), ita etiam ratio objective sumta spectari potest instar operis ab intellectu divino producti, quod intime ipsi perspectum est, ac hinc etiam patet ipsi tribuendam esse rationem subjective sumtam. Hebetioribus satisfacit, si considerent Deum fecisse hominem ratione præditum, ac inde inferant, qui ens ratione præditum fecit, ipsum quoque ratione præditum esse debere: quo argumentandi genere usa est Scriptura sacra in gratiam simpliciorum (*not.* §. 52.). Acutioribus proderunt ea, quæ de mundo rationali, qui in serie entium universalium inter se connexorum consistit (§. 258. *part. 1. Theol. nat.*) & totus mundo intelligibili & sensibili immensus est (§. 260. *part. 1. Theol. nat.*), prolixe demonstravimus (§. 261. *& seqq. part. 1. Theol. nat.*). Major lux affulget philosopho, qui perpetuum conservat connubium rationis atque experientiæ, in consideratione hujus universi, quam aliis, qui in iis solis acquiescere volunt, quæ experientia suggerit, aut ultra eam progredi nequeunt. Con-

ſtat vero etiam hiſce ad perſuadendum ſufficere, quæ illis nondum ſatisfaciunt. Sed erit deinceps locus plura de hac re dicendi. Novimus & fuiſſe, & hodienum eſſe nonnullos, qui animalibus brutis rationem tribuunt, immo cum *Rorario* affirmare non dubitant, bruta ratione rectius uti homine, propterea quod opera, quæ efficiunt, absque ratione non perfici poſſe putant. Nonne igitur ex mundo, opere divino, multo magis colligendum eſt, eundem produci minime potuiſſe absque ratione ſumma, præſertim ſi corrigamus per præcipitantiam judicantium errorem & agnoſcamus quod corpora & tota rerum natura agant propter fines a Deo intentos, non ſecus ac ſi ipſamet eos intenderent (§. 661. *part. 1. Theol. nat.*). Ratio quam minus recte tribuunt animantibus brutis, tribuenda Deo eſt. Vide, quæ alias annotavimus de virunculo *Guerickiano* tempeſtatis indice (*not.* §. 661. *part. 1. Theol. nat.*). Et quælibet machina artificioſa, quod in Theologia naturali demonſtratum eſt, illuſtrare poteſt. Ponamus hominem, qui primum videt horologium, de quo antea ne fando quidem ipſi quidpiam innotuit, obſervare, quod index accurate indicet tempus. Cum ſtructuræ internæ prorſus ignarus ſit, neque etiam norit tale quid arte humana effici poſſe, videbitur ipſi horologium agere cum ratione. Agit utique propter finem, qui eſt indicare horam diei, non ſecus ac ſi ipſummet finem hunc intenderet. Certum tamen eſt, quod agat propter finem ab artifice intentum, & ideo videatur agere cum ratione, quia non ſine ratione conſtructum eſt ab artifice, cui ratio tribuenda, non horologio, & cujus inde ratio colligitur. Proderit hæc notaſſe contra eos, qui naturam rerum fingunt inſtar entis ratione præditi, eidem tribuentes, quod Deo tribuendum erat. Agit natura non cum ratione, qua caret, ſed ſecundum rationem divinam, quia a Deo cum ratione ſumma facta agit, propter finem ab ipſo intentum voluntatem ipſius faciens. Derogant igitur de magni-

magnificentia Dei, qui naturæ & animalibus brutis rationem tribuunt contra intentionem Dei, qui omnia cum summa ratione fecit, ut eorum consideratione rationem summam ipsius agnoscamus, quemadmodum de arte artificis detraheret, qui machinæ rationem tribueret, quia agit quæ homines cum ratione agunt.

§. 55.

De magnitudine rationis divinæ agnoscenda.

Magnitudinem rationis divinæ agnoscimus, si perpendamus multitudinem rerum in universo earumque nexum universalem, quæ omnes cum ratione agere videntur, ut per earum actiones fines a Deo intenti obtineantur. Etenim si perpendamus, res omnes in hoc universo cum ratione agere videri, quod ita a Deo factæ sint, ut per earum actiones fines ab ipso intenti obtineantur; rationem divinam inde agnoscimus, vi eorum, quæ modo demonstrata & uberius declarata fuerunt. Quo major vero est rerum istiusmodi earumque prorsus diversarum numerus, eo major quoque inde elucet facientis ratio. Immo si res istæ ita inter se connectantur, ut propter communem quendam finem tandem agant, & hoc pacto unum quod dum systema faciant; magnitudo rationis magis conspicua evadit, quemadmodum ex machina composita, qualis est automaton planetarium *Hugenianum*, ex singulis partibus, quæ singulorum planetarum motus repræsentant, colligitur ratio inventoris, magnitudo vero ejusdem clarius adhuc elucescit, quando consideramus partium istarum combinatione obtineri communem quendam finem, nimirum repræsentationem motuum cœlestium in systemate planetario. Quodsi ergo perpendamus multitudinem rerum in universo, de qua satis dictum est in antecedentibus (§. 25.), earumque nexum universalem, ad quem in antecedentibus jam toties provocavimus; magnitudi-

tudinem rationis divinæ consideratione hujus universi agnoscimus.

Quæcunque res in mundo cognoscimus, præsertim si in regno animali versemur, omnes cum ratione agere videntur, quatenus actiones earum tales deprehenduntur, quales a nobis sine rationis usu edi minime possunt. Ast ne per præcipitantiam animantibus brutis tribuamus rationem, qua carent, animum saltem advertere tenemur ad actiones vitales in corpore nostro ceterasque naturales, inprimis vero ad actiones vegetabilium a structura eorum pendentes, quæ per observationes microscopicas aliquatenus saltem nobis cognita est, quamvis procul adhuc a nobis absit, ut eam penitus perspiciamus. Nulla vero est ratio, cur dubitemus, res quoque ceteras omnes, quæ nobis prorsus inaccessæ sunt, eodem modo agere. Ubivis itaque deprehendimus rationis divinæ vestigia, & inexhausta rerum multitudo, quam primum de ea cogitamus, mentem stupefacit.

§. 56.

De æternitate Dei agnoscenda.

Æternitatem Dei consideratione hujus universi agnoscimus, si consideramus æternitatem essentiarum & veritatis rerum transcendentalis, immo quod omnis veritas logica sit æterna, seu talis sine ullo respectu temporis. Cum per essentiam ens sit possibile (§. 153. *Ontol.*), qui agnoscit, rem unamquamque ab æterno possibilem manere, hoc est, nullum fingi posse tempus, quo ea possibilis esse cœpit, aut, ubi existere desiit, quo non amplius dici poterit, rem istiusmodi possibilem esse, is æternitatem essentiarum agnoscit. Similiter cum quæ rebus inest veritas trascendentalis a principio contradictionis & rationis sufficientis dependeat (§. 498, *Ontol.*), quatenus scilicet non repugnat, ut quædam simul eidem subjecto insint (§. 88. *Ontol.*), cetera vero in iis, quæ simul insunt,

insunt, rationem sufficientem habeant, cur vel actu insint, vel saltem inesse possint (§. 70. *Ontol.*); veritatem transcendentalem æternam esse agnoscit, quatenus nobis conscii sumus, nullum fingi posse tempus, quo non repugnare cœpit, ut talia simul insint eidem subjecto, & cetera cur vel simul inesse debeant, vel inesse possint, rationem sufficientem in iis habeant. Et eodem modo idem intelligitur de veritate logica, quod ex quolibet exemplo manifestum est. Ita absonum unusquisque judicabit, si quæsiveris, quandonam verum esse cœperit, ut tres in triangulo anguli simul sumti æquales sint duobus rectis, & quandonam id verum esse desierit. Quoniam igitur per ea, quæ de existentia Dei a posteriori agnoscenda, vi cujus agnoscitur tanquam ens a se, universi autor (§. 21.), de intellectu divino (§. 23. & *seqq.*), de omniscientia (§. 50. & *seqq.*) & de ratione divina (§. 54. & *seqq.*) demonstrata sunt, constat, rerum essentias & omnem veritatem transcendentalem atque logicam ab intellectu divino tanquam fonte suo derivari, hoc modo possibile est, ut æternitas Dei inde cognoscatur. Mundus hic adspectabilis & quicquid in eodem existit dependet ab æternitate Dei per essentiarum æternitatem & per eandem æternitatis divinæ speculum est (§. 815. *part. 1. Theol. nat.*), immo quatenus eidem insunt veritates logicæ sine ullo temporis respectu, aut ab æterno tales (§. 816. *part. 1. Theol. nat.*); æternitatem Dei consideratione hujus universi agnoscimus, si consideramus æternitatem essentiarum & veritatis rerum transcendentalis, immo quod omnis veritas logica sit æterna, seu talis sine ullo respectu temporis (§. 784. *part. 1. Theol. nat.*).

Ideam temporis confusam habemus, quatenus percipimus continuam mutabilium successionem (§. 571. *Ontol.*). Hinc in tempore distingvimus præteritum, præsens & futurum & in eo concipimus principium & finem. Ast quando de æternitate cogitant homines, eandem sibi imaginantur tanquam tempus infinitum tam a parte ante, quam a parte post, ut loquuntur Scholastici, ita ut æternitatis nec principium, nec finis concipiatur. Certum tamen est, quod æternitas Dei & tempus infinitum, seu utrinque interminatum, toto cœlo differant (§. 1016. *part. 1. Theol. nat.*). Id tamen non minus verum est, in æternitate nec principium, nec finem admittendum esse. Quamobrem quando Deum æternum dicimus, non aliud indigitare volumus, quam ipsum nec existere cœpisse, nec unquam desiturum existere. Et ideo sufficit æternitatis notio, quam possibilitatis intrinsecæ atque veritatis cum transcendentalis, tum logicæ consideratio offert, quod scilicet nullum fingi possit tempus, quo quid possibile vel verum esse cœperit, & quo possibile, vel verum esse desinet, ad æternitatem Dei agnoscendam. Neque fieri potest, ut, qui temporis saltem ideam quandam habemus, aliam æternitatis notionem consequi valeamus, quam negativam, scilicet quod non sit tempus, sed a tempore diversum, utpote duratio, seu existentiæ continuatio, cui principium & finis repugnat. Istiusmodi existentia est, quæ necessaria dicitur in oppositione ad contingentem, cujus notioni ideo inest æternitatis notio. Quando igitur consideratione contingentis existentiæ hujus universi existentiam Dei necessariam agnoscimus, æternitatem quoque Dei admittere tenemur. Cumque ideæ rerum, quibus & essentia, & veritas tam transcendentalis, quam logica continetur, sint actus intellectus divini; æternitas essentiarum ac veritatis æternitatem intellectus divini, consequenter ipsius Dei aperte loquuntur, qualis convenit modulo intellectus nostri.

§. 57.

§. 57.

De incomprehensibilitate æternitatis agnoscenda.

Æternitatem esse incomprehensibilem agnoscimus, si tempus quoddam stupendæ magnitudinis quomodocunque nobis repræsentemus atque perpendamus, id pro mensura æternitatis assumi minime posse, per quantumcunque numerum id multiplicari ponamus. Quomodo istiusmodi tempus nobis repræsentare valeamus, ostendimus jam olim, cum demonstraremus, quomodo immensitas æternitatis quoddammodo intelligibilis, aut potius imaginabilis efficiatur, veluti si ponamus spatium a Sole usque ad Saturnum, vel ultra eundem usque ad fixas repleri arena, & singulis annis, immo si ita visum fuerit, singulis seculis aut prorsus singulis millenariis auferri granulum arenæ unicum (§. 43. *part. 1. Theol. nat.*). Ita enim proditurum stupendum annorum, seculorum, vel millenariorum numerum, facile animadvertet, etsi quis tantummodo in confusis perceptionibus subsistat, nec accurato calculo arenularum numerum, cui annorum, vel seculorum, aut millenariorum numerus in hypothesi præsenti æqualis est, definiat. Quodsi jam supponamus, stupendum hunc numerum multiplicari per numerum quemcunque alium; multo majorem inde proditurum annorum, vel seculorum, aut millenariorum numerum, nemo non videt. Enimvero quantuscunque hic fuerit annorum numerus, ab eo tamen, qui Arithmeticæ peritus est, effabilis efficitur, cumque principium & finem tempus habeat, quod eodem effertur, erit tamen æternitati incommensurabilis, quamvis eandem tanquam tempus infinitum imagineris. Atque ideo apparet, æternitatem omnem captum nostrum transcendere, consequenter ejus incomprehensibilitatem agnoscimus.

Quantumcunque numerum effabilem effici posse, ex primis Arithmeticæ principiis liquet. Quemadmodum enim in numeratione vulgari decem unitates simplices assumuntur pro unitate in loco decadum, decem decades pro unitate in loco centenariorum, decem centenarii in loco millenariorum & sic porro in infinitum; ita etiam quilibet numerus quantumvis magnus millenariorum assumi potest pro unitate simplici, & ex hisce unitatibus concipi unitas decadum ac ita porro. Et hoc artificio numerus quantumlibet magnus effabilis efficitur, ut intelligatur. Hinc autem discimus, æternitatem nobis prorsus incomprehensibilem esse, & oleum atque operam omnem perdi, si eam comprehendere conemur. Tempus dependet ab existentia rerum contingente, quæ existere incipiunt ac desinunt; æternitas vero ab existentia necessaria, quæ contingenti heterogenea est, ac ideo prorsus incomparabilis.

§. 58.

De ætate mundi

Consideratione mundi agnoscimus, eum concipi non posse nisi in tempore existentem; non vero, quando existere cœperit. Observamus enim continuas dari in mundo mutationes, ut ideo series successivorum ipsi essentialis sit (§. 55. *Cosmol.*). Quamobrem cum tempus detur, quam primum res successivæ in continua serie existunt (§. 574. *Ontol.*) & ad hanc seriem animum advertentibus idea temporis ingignatur (§. 571. *Ontol.*); mundum hunc non possumus concipere nisi in tempore existentem.

Idem quoque ostenditur per indirectum. Ponamus mundum non existere debere in tempore. Cum tempus detur, quamprimum res successivæ in continua serie existunt (§. 574. *Ontol.*); nullæ in eodem contingere possunt mutationes, consequenter cum omnis mutatio in rebus mate-

materialibus mediante motu contingat, nullus in eodem erit motus. Semper igitur manebit idem status mundi, qui repræsentabit theatrum statuarum immotarum, aut chaos quoddam. Quamvis itaque nobis imaginemur, spatium mundanum istiusmodi globis, qui nonnisi statuis exornati sunt, repleri posse; cum desint in globis tanquam corporibus totalibus spectatores, istiusmodi mundus nullo fine & absque ulla utilitate fingeretur. Quamobrem non modo patet, hunc mundum, in quo continuas mutationes observamus, si vel ad solum motum Solis atque Lunæ animum attendimus, nonnisi in tempore existentem concipi posse; verum etiam sapientiæ divinæ, quam consideratione hujus mundi agnoscimus (§. 33.), repugnare, ut mundum in tempore non existentem producat. (§. 678. *Psych. rat.*) *Quod erat primum.*

Cum nexus rerum successivarum consistat in dependentia effectus a causa efficiente (§. 23. *Cosmol.*); in serie causarum equidem cogitando continuo ulterius progredi possumus, quoniam tamen in hac ipsa serie nunquam pervenitur ad causam, in qua subsistere possumus (§. 90. *Cosmol.*), ideo impossibile est, ut, quando illa cœperit, ex iis, quæ observamus, determinemus. Patet igitur consideratione mundi non agnosci, quando existere cœperit. *Quod erat alterum.*

Loquimur hic de phænomenis, quæ omnium observationi patent. An vero quædam lateant, successu temporis forsan in apricum producenda, unde de ætate si non totius mundi, saltem de præsenti Telluris statu certi quid colligi, aut minimum probabiliter concludi possit, nec affirmare, nec negare audeo. Nullibi enim magis verendum,

ne a vero aberremus, quam quando de impossibilitate cognoscendi ferendum est judicium. Non ignoro, *Hallejum* proposuisse methodum investigandi mundi ætatem, seu potius præsentis status Telluris, quem cum ipso mundo cœpisse nemo demostravit; ast nititur ea hypothesi de salsedine maris singulis annis crescente,' quæ non observatione nititur, sed hypothesi alia de origine salsedinis. Sed valde dubito fore, ut hoc modo de ætate mundi tandem aliquid probabiliter nobis innotescat. Observationes astronomicæ & ea, quæ ex iis deducta sunt, iisdem postea amissis, certiora sunt principia, ex quibus innotescere potest, non quidem, quamdiu steterit mundus, aut præsens fuerit Telluris status, attamen quod tam diu jam fuerit ab hominibus habitata, qui scientias, præsertim Astronomiam excoluerunt. Vide, quæ *Cassinus* in Tractatu de ortu & progressu Astronomiæ tradit, Tom. VIII. Commentariorum Academiæ Regiæ scientiarum Parisinæ, qui A. 1730. prodiit, p. 3. *& seqq. Martinius* Hist. Sin. lib. 1. refert, apud Sinenses prostare observationes ante 4000. annos factas; sed earum nulla nobis in Europa innotuit. Immo in libro de mundo, qui *Aristoteli* adscribitur, *Callisthenes*, observationes astronomicas a Babyloniis intervallo 43000. annorum factas ad *Aristotelem* misisse legitur; sed hæc quoque observationes injuria temporum interciderunt. *Cicero* lib. 1. de divinatione narrat, quod Ægyptii artem astrorum quadringentis septuaginta millibus annorum consecuti esse dicantur. Non jam commemoro *Herodotum* nobis conservasse traditionem ab Ægyptiis manantem, quod Ecliptica fuerit ad circulum æquinoctialem perpendicularis, quam cum observationibus suis de obliquitatis eclipticæ mutabilitate convenire ostendit *de Louville* in Actis Eruditorum A. 1719. p. 292. & seq. Enimvero nemo est, qui nesciat, quantum ea, quæ a scriptoribus profanis traduntur, differant a Chronologia sacra, quæ ex Bibliis de-

riva-

rivatur. Immo constat, quantus de ætate mundi juxta scripturam quoque sacram sit dissensus, prouti Autores vel codicem Hebræum, vel septuaginta interpretes sequuntur, ut nihil certi, quocunque te vertas, de eadem constare possit. Verum enimvero in Philosophia morali, in qua agnitionem Dei praxi officiorum ipsi debitorum instar fundamenti inconcussi substernimus, parum refert, quamdiu extiterit mundus, aut quamdiu Tellus fuerit habitaculum hominum; sed sufficit nosse, Deum esse æternum, & extetisse ante omnia secula, & antequam exsisteret mundus, atque hunc ab ipso factum & cum eodem tempus cœpisse. Quamcunque quis sibi finxerit ætatem mundi, & quantumcunque in ea erraverit, in Philosophia morali nullum inde metuendum est periculum. De ea igitur ut in Ethica solliciti simus necesse non est. Sed mox ostendemus, quinam errores ob imbecillitatem rationis sint tolerandi, aut, quod præstat, quænam in dubio relinquenda.

§. 59.

De aseitate divina agnoscenda.

Aseitatem divinam una cum existentia ejus ex contingente mundi & eorum, quæ in ipso sunt, existentia agnoscimus. Quando enim ex contingente mundi & eorum, quæ in ipso sunt, existentia Dei existentia colligitur, Deum necessario existere agnoscimus (§. 12.), qui ideo in existendo non dependet ab ente quodam alio, cum vi principii rationis sufficientis non perveniatur ad causam primam, in qua subsistendum, nisi admittamus existentiam entis, quod rationem existentiæ in se ipso, non vero extra se in alio habeat (§. 56. *Ontol.*). Quamobrem cum per aseitatem divinam non aliud intelligatur, quam quod Deus non vi alterius entis indigeat ad existendum (§. 27. 28. *part. 1. Theol. nat.*), ideoque existere possit, etiamsi præter ipsum ens aliud nullum exi-

existat; aseitatem divinam una cum existentia ejus ex contingente mundi & eorum, quæ in ipso sunt, existentia agnoscimus.

Aseitatis notio negativa est, quatenus nimirum ab existentia Dei removentur, quæ de existentia nostra & rerum aliarum in Tellure experimur, nimirum nos non exstituros fuisse, nisi exstitissent parentes, a quibus geniti sumus, imo omnes ipsorum majores, quorum numerum ut ineamus impossibile est. Similiter agnoscimus nos vivere non posse, nisi darentur præter nos res aliæ, quæ alimentis corporis inserviunt, nisi daretur aër quem continuo respiramus, nisi darentur res, quæ calore suo corpus nostrum fovent, & quas inter Sol eminet Tellurem & quæ in ea sunt calefaciens, igne defectum caloris solaris supplente tempore hiemali. Ad hæc si animum advertimus, notio dependentiæ in existendo ab alio ente animo ingignitur, ut intelligamus, quid sibi velit indigere vi alterius, ut existamus, & per consequens quidnam sit ens ab alio (§. 27. *part. 1. Theol. nat.*). Quodsi tamen, quæ de ente ab alio cognovimus, ab ente quodam removeamus, aseitatis nescitatis notionem habemus, quam esse negativam patet. Quando nimirum dicimus Deum esse ens a se, negamus quod sit genitus ab alio, quodque indigeat rebus aliis præter se, ut existere possit. Ast quo modo possibile sit, ut existat ens aliquod, quod non productum est ab alio, & quod ut existat postea re alia non indiget, concipere minime possumus, quamvis vis principii rationis sufficientis extorqueat assensum, ut vel inviti existentiam istiusmodi entis admittamus. Notio entis ab alio sustentatur & alitur, quando existentiam animalium, plantarum & rerum quarumcunque aliarum, quas natura producit, perpendimus. Et quo quis majores facit in cognitione rerum naturalium progressus, eo magis distincta evadit notio entis ab alio & ad adæquatam propius accedit, etsi nunquam ad ean-

ad eandem perveniatur, cum omnium rerum dependentia in existendo ab aliis cognoscatur per nexum rerum omnium in universo, quem a nobis distincte cognosci minime posse vel ex antecedentibus, quæ de eodem passim dicta sunt, apparet.

§. 60.

Deum sibimetipsi sufficere unde agnoscatur.

Una cum existentia necessaria Dei etiam agnoscitur, quod ipse sibimetipsi sufficiat, nec ulla re alia indigeat. Quando enim cognoscimus, Deum necessario existere; inde nobis patet, quod necesse non sit, præter ipsum existere ens aliud, ut existat, quemadmodum exigit existentia nostra cum quoad ortum, tum quoad continuationem (*not.* §. 59.). Patet itaque, Deum nulla re alia indigere, ideoque sibimetipsi sufficere.

Homines præter ea, quibus indigent ad sui conservationem, utuntur etiam rebus delectationis causa, quas voluptuarias dicimus, immo delectationis causa quoque faciunt res artificiales & artifex delectatur opere suo, quod multa arte fecit. Quodsi ergo quis in eam opinionem horum consideratione adducitur, quasi etiam Deus indigeat rebus aliis præter se delectationis causa; is animum avertit a ceteris, quæ consideratione hujus universi de eodem agnoscuntur, vi eorum, quæ in anterioribus demonstrata sunt. Etenim quicquid voluptatis Deum concipere posse nobis imaginamur ex opere suo, qui est mundus ab ipso factus; id omne in eo concipitur, etiamsi mundus non actu existat, ita ut existentia ejus nihil conferre possit ad augendum felicitatem ipsius. Nimirum si ad intellectum divinum animum advertimus, Deo intime perspectum esse opus suum, antequam faceret, manifestum est. Nosse quoque Deus intelligitur potentiam suam, qua id ad actum perducere potest, quando voluerit. Ex parte igitur Dei perinde

est, sive mundus existat, sive non existat. Falluntur ideo, qui sibi persuadent, Deum præter se indigere rebus aliis delectationis causa, ut voluptate quadam perenni frui possit. Perfectionem suam summam agnoscit ex seipso, nec demum opus est ut faciat mundum, ex quo eandem agnoscat.

§. 61.

De voluntate Deo libera agnoscenda.

Voluntatem Dei liberam agnoscimus, si perpendimus, quod mundum fecerit, quo nullo modo indigebat sibimetipsi sufficientissimus & cum nihil extra ipsum existebat. Quoniam enim Deus mundum fecit, cum nihil extra ipsum existebat nullum quoque extitit ens, quod eum ad faciendum mundum adigere potuisset. In producendo itaque mundo liber fuit ab omni coactione externa. Enimvero quoniam porro sibimetipsi sufficientissimus est, nec ulla re alia quomodocunque indiget; non sui gratia mundum produxit, consequenter alterius cujusdam finis causa in creaturis quibusdam obtinendi. Produxit itaque mundum, quia ipsi placuit finem istum obtinere aliorum causa. Neminem fore puto, qui hinc non intelligat, Deum libera sua voluntate, libera scilicet tam ab omni coactione externa, quam interna mundum produxisse. Quamobrem voluntatem Dei liberam agnoscimus, si perpendimus, quod mundum fecerit, quo nullo modo indigebat sibimetipsi sufficientissimus & cum nihil extra ipsum existebat.

Constat Deum fecisse mundum, ut summam suam perfectionem patefaceret (§. 629. *part. 1. Theol. nat.*). Non opus erat mundum produci, ut ipsemet inde perspiceret perfectionem suam summam, cujus sibi conscius est, etiamsi nullus existat mundus. Eandem igitur patefacere voluit entibus aliis, creaturis nimirum intellectu præditis

ditis, quales nos homines sumus, Videbimus autem deinceps ex speciali tractatione de praxi officiorum erga Deum, quod is nobis patefaciat perfectionem suam summam, ut nos eadem delectemur, consequenter ut nos simus felices. Et hoc modo finem, quem per creationem intendit, obtinet in entibus aliis, non sui causa, sed ipsorum gratia. Quod si perpendamus, non est quod dubitemus Deum liberrima sua voluntate produxisse mundum, Ponamus artificem non alia de causa facere opus artificiosissimum, quam ut artem, qua pollet, aliis patefaciat, nulla spe lucri adductum, sed aliis id spectandum exhibiturus. Ecquis inde non colliget, ipsum liberrima sua voluntate fecisse hoc opus. Casus igitur hic cum existat in creatione mundi, ecquis non inde similiter colligat, eum liberrima Dei voluntate factum esse? Ex demonstratione autem propositionis præsentis & ex iis, quæ ad eandem annotantur, intelligitur, cur hic demum de liberrima Dei voluntate agnoscenda agatur, postquam de aliis consideratione hujus universi de Deo agnoscendis egimus. Quamvis enim sequentia ex antecedentibus non demonstrentur, quemadmodum in Systemate; cognitio tamen unius pendet a cognitione alterius, etiam quando Deum consideratione hujus universi agnoscimus, ut alia certo non agnoscantur, nisi ante cognita supponantur alia. Hanc dependentiam in cognoscendo facile advertet, qui ad antecedentia attentionem debitam attulerit.

§. 62.

Qualis notio Dei consideratione hujus universi acquiratur.

Notio Dei, quæ consideratione bujus universi acquiritur, bæc est, quod sit ens a se, quod necessario existit, sibimetipsi sufficientissimum, autor & creator bujus mundi, intellectu & voluntate liberrima atque omnipotentia præditum, sapientia ac bonitate summa, omniscientia & ratione maxima instructum. Consideratione enim hujus universi agnoscimus, Deum necessario existere (§. 12. 21.),

21.), eum esse ens a se (59.) & sibimetipsi sufficientissimum (§. 60.), atque æternum (56.), autorem hujus universi, quatenus idea mundi est actus intellectus ipsius (§. 23.) & creatorem mundi, quatenus rationem existentiæ non in se, sed in Deo habet (§. 12.) ideoque ab ipso ad actualitatem perductus, eundem intellectu (23.) & voluntate libera (§. 61.), atque potentia maxima esse præditum (§. 28. 29), esse sapientissimum (§. 33. & *seqq.*), summe bonum (§. 41. & *seqq.*), omniscium (§. 50. & *seqq.*), & ratione summa præditum (§. 54. 55.). Notio igitur Dei, quam consideratione hujus universi acquirimus, ea est, quam in propositione præsente exposuimus.

Videmus itaque, qualem se Deus per mundum hunc adspectabilem nobis masestare voluerit, & quamnam de eo notionem nobis formare debeamus, ne incidamus in perversas de Deo opiniones cultui divino vero & felicitati nostræ adversas. Probe autem notandum est, qui Deum a posteriori, seu consideratione hujus universi cognoscit, non sollicitum esse debere de definitione, tanquam conceptu primo, seu fundamentali, unde cetera deducuntur; sed quæcunque de Deo cognoscit, ea ipsi tribuere tenetur & quocunque ordine notione sua comprehendere potest. Agnoscere saltem tenetur, Deum esse, qui fecit hunc mundum, & eidem convenire attributa, quæ in propositione narravimus. Qui exquisitam scientiam inhiat, is systema Theologiæ naturalis sibi cognitum atque perspectum reddere tenetur. Qui vero hebetiores sunt, quam ut demonstrationes capiant, vel quibus tantundem otii non est, ut eam diligentiam afferre possint, quanta ad vim demonstrationum percipiendam requiritur, rudiori ista Dei notitia ex contemplatione mundi hujus adspectabilis hausta contenti esse possunt, modo eadem utantur, quemadmodum deinceps docemus,

§. 63.

Notio Dei consideratione universi acquisita augetur iis, quæ inde necessaria consequentia inferuntur, & vi demonstrationis in Systemate perficitur. Etenim quæ ex cognitis necessaria consequentia inferuntur, non minus subjecto convenire agnoscimus, quam quod de eo erat cognitum, veluti si ex numero laterum figuræ rectilineæ infertur numerus angulorum, ternarius e. gr. in triangulo, septenarius in heptagono, aut determinabilitas trianguli per tria puncta situ data, heptagoni per septem. Cum itaque hinc agnoscamus Deo convenire, quæ consideratione hujus universi nobis non innotuerunt, notioni eadem acquisitæ accedunt plura, quæ adhuc incognita manserant, consequenter notio Dei consideratione universi acquisita augetur iis, quæ inde necessaria consequentia inferuntur. *Quod erat unum.*

Quomodo notio Dei consideratione universi acquisita augeatur & perficiatur.

Enimvero in systemate Theologiæ naturalis demonstrantur non modo ea, quæ consideratione hujus universi nobis innotescunt aut necessaria consequentia inde inferuntur; sed etiam alia, quæ concatenata ratiociniorum serie exinde ulterius deduci possunt, quemadmodum systema evolventi apparet. Quamobrem ex eodem non tantummodo acquiritur certa Dei cognitio (§. 5. *part. 1. Theol. nat.*), sed multo plura etiam de Deo cognoscuntur, quam si in consideratione hujus universi subsistimus, & omnia, quæ cognoscimus, intimius perspiciuntur, immo etiam acutiores efficimur in observandis iis in hoc mundo, quæ ad Deum agnoscendum ducunt. Quamobrem patet notionem Dei vi demonstrationis in systemate perfici. *Quod erat alterum.*

Quamvis itaque consideratione hujus universi Deum agnoscere debeamus, & per hoc universum Deus sese hominibus manifestat, non tamen propterea in notitia Dei hoc modo acquisita subsistendum est. Dedit enim Deus homini rationem, vi cujus ad intimiorem ipsius cognitionem penetrare potest. Quamvis itaque Deus nos iis, quæ in hoc mundo observamus, excitet ad agnitionem sui; non tamen frustra dedit rationem, qua panditur via ad ulteriora. Voluntati ipsius non minus conforme est, ut scientiam eorum, quæ de ipso beneficio rationis cognosci possunt, ex systemate hauriamus, quam ut notitiam ipsius consideratione hujus universi acquiramus. Equidem scientia non est cujusvis; non tamen propterea negligenda ab iis, qui ejusdem sunt capaces, scientia sua profuturi. Patet sane ex iis, quæ huc usque a nobis tradita sunt, agnitionem Dei consideratione hujus universi acquirendam non ejusdem gradus esse respectu omnium hominum, cum observationes eo facientes omnes non sint cujusvis, sed multæ assumendæ sint fide aliorum, ut ampliorem Dei notitiam acquiramus.

§. 64.

Deum esse spiritum quomodo agnoscatur. Quoniam consideratione mundi cognoscimus, Deum habere intellectum (§. 23.), & voluntatem liberam (§. 61.), spiritus autem substantia est intellectu & voluntate libera prædita (§. 643. *Psych. rat.*); *Deum esse spiritum agnoscimus, quia hoc sequitur ex eo, quod consideratione hujus universi de eo nobis innotescit.*

Non est, quod objicias, quando existentiam Dei ex contingente existentia hujus universi colligimus, nos vi principii rationis sufficientis inferre, quod detur ens a mundo diversum, in quo continetur ratio sufficiens, cur hic mundus existat (§. 20.), consequenter cum hic mundus materialis

rialis sit, Deum substantiam immaterialem, ideoque spiritum esse debere. Præterquam enim quod non substantia immaterialis omnis spiritus sit, nec inde recte infertur, quod ens istud, in quo ratio sufficiens existentiæ hujus mundi continetur, hoc est, Deus sit substantia immaterialis. Quando nimirum ens istud diversum a mundo dicitur, non aliud indigitatur, quam quod non pertineat ad mundum, nec in existendo ab eodem dependeat.

§. 65.

De omnipræsentia divina agnoscenda.

Similiter cum consideratione mundi agnoscamus, Deum nosse omnia, quæ in hoc mundo eveniunt (§. 50.), ipsas etiam hominum cogitationes (§. 52.), certum vero nobis sit, nos esse ibi præsentes, ubi quæ fiunt a nobis cognoscuntur; ideo hinc inferimus: *Deum esse ubivis præsentem, nec ullum in mundo fingi posse locum, in quo conspectu nostro Deum privare possimus.*

Præsentiæ notionem maxime confusam habemus, nec caret difficultate eam ad distinctam reducere (§. 1018. *part. 1. Theol.nat.*). Ac ideo præsentiam rerum ex aliis, quæ in ipsis observamus, colligimus. Ita rem nobis esse præsentem agnoscimus, quam videmus, aut alio sensu percipimus. Animam esse præsentem in corpore inde inferimus, quod corpus in animam, anima in corpus agere videtur. Ast quomodo substantia quædam simplex corporibus, immo corpus unum alteri præsens sit, ex definitione præsentiæ ostendere minime valemus. Quamobrem cum consideratione hujus universi agnoscamus, Deum agnoscere omnia, quæ in mundo fiunt, ipsas etiam nostras cogitationes; inde facile inferimus, Deum esse ubivis in mundo præsentem, etsi omnipræsentiæ notionem non habeamus, quæ sufficeret ad intelligendum, quomodo Deus præsens sit. At in Moralibus sufficit, ut hoc saltem modo agnoscamus, Deum ubi-

ubivis esse præsentem. Acutioribus vero inserviunt, quæ de omnipræsentia Dei & rerum aliarum præsentia demonstrata sunt (§. 1018. *& seqq. part. 1. Theol. nat.*).

§. 66.

De unitate Dei agnoscenda. Similiter quia rerum nexus in hoc universo universalis est, ex quo pleraque, quæ de Deo consideratione hujus universi nobis innotescunt, colliguntur *per antea demonstrata*, & in eo etiam continentur mala, quæ sapientia (§. 38.) & bonitate divina ad bonum finem diriguntur (§. 43.), ita ut mundus non aliter spectari possit quam tanquam ens unum; *Deum esse nonnisi unum* vi principii rationis sufficientis colligimus, quatenus nimirum patet, in Deo uno nos reperire rationem sufficientem existentiæ hujus universi.

Unitatem Dei ex universali rerum nexu non ante colligimus, quam alia nobis innotuerint de intellectu divino, cujus actus est idea adæquata hujus universi, & de sapientia ac bonitate divina, vi cujus rerum ordo atque nexus constitutus. Ita nimirum intelligimus, mundum totum esse opus unius opificis, ac sine ratione fingi plures, quemadmodum inventor machinæ alicujus artificiosæ nonnisi unus esse agnoscitur, sit ita quod in faciendo opere suo uti velit aliorum opera: id quod tamen in præsenti absque ulla ratione, ideoque nonnisi precario sumeretur. Sane si consideremus, Deum habuisse ideam totius mundi & eandem sibi formasse, ac eidem competere potentiam ad actum perducendi, quod intrinsece tandummodo possibile intelligitur, non præexistente alio, quod quomodocunque in actualitatem influere possit; facile agnoscitur, ipsum auxilio alieno non habuisse opus, ut mundum mente conceptum ad actum perduceret. Ne vero eos confundant mala, quæ bonitati divinæ primo intuitu adversari videntur, attentio dirigenda est in directionem malorum ad bonum finem,

finem, quæ ipsa ducit ad bonitatem divinam agnoscendam, si rite expendatur (§. 43.). Non vero diffitemur, unitatem Dei ex nexu rerum universali multo evidentius colligi, si via demonstrationis singula in systemate intimius cognovimus & perspeximus, quemadmodum idem non modo in ceteris omnibus, quæ de Deo consideratione hujus universi nobis innotescunt, obtinet, verum etiam dudum exploratum est, quod scientia observatores in observando efficiat acutiores, & quod quæ ex observationibus colligunt ipsis sint evidentiora quam ceteris scientia destitutis. Christiani in Deo uno tres agnoscunt personas sed nec consideratione hujus universi Trinitatis notio nobis ingignitur, nec via demonstrationis eam assequi valemus. Quamobrem recte contendunt Theologi, eandem esse supra rationem & atro carbone notant eos, qui ex principiis rationis eam explicare ausi sunt, fingentes nimirum Trinitatem prorsus diversam ab ea, quam ipsimet confitentur. Habet Theologia revelata, quæ naturali superaddit, ex ipsa, non ex hac haurienda.

§. 67.

De providentia divina agnoscenda.

Ad providentiam divinam agnoscendam nos ducit bonitas divina, si perpendimus, abunde suppeditare in hoc universo quæ ad conservationem nostram, immo etiam ad vitam commode ac jucunde transigendam faciunt, & ipsa mala dirigi in id, quod nobis bonum est, ac simile quid etiam observari in regno animali & vegetabili, si vel maxime ultra non progrediamur. Huc etiam pertinet, quod Deus hominem obliget ad custodiam legis naturæ (§. 273. 274. part. 1. Phil. pract. univ.), felicitatis acquirendæ ac conservandæ unicum medium (§. 397. 398. part. 1. Phil. pract. univ.). Inde nimirum intelligimus, Deum actiones creaturarum dirigere ad certum finem, consequenter mundum gubernare (§. 899. *part. 1. Theol. nat.*), in qua guberna-

natione potissimum providentia divina consistit (§. 922. *part. 1. Theol. nat.*).

Deus providere dicitur rebus, quatenus eas conservat & gubernat, atque ad actiones earundem concurrit (§. 922. *part. 1. Theol. nat.*). Sola consideratione hujus universi conservatio mundi & concursus ad actiones creaturarum non concipitur, quemadmodum satis superque apparet ex iis, quæ de conservatione & concursu divino demonstravimus (§. 840. *& seqq. part. 1. Theol. nat.*). Equidem si cogitemus, Deum potentia sua produxisse mundum, vix dubitandi quædam ratio nobis superesse videtur, quod eundem quoque, si ita ipsi visum fuerit, destruere possit, ac ideo hanc rerum seriem continuari, quia Deus vult, ut continuetur; inde tamen nondum constat, utrum res in mundo propria vi continuent existentiam, quemadmodum opus ab artifice factum sine ejus opera subsistit, ubi ab eodem perfectum fuit, an vero Dei potentia non minus opus sit ad existentiam continuandum, quam ad accipiendum. Quamdiu autem hoc ignoratur, nec coucursus Dei ad actiones patere potest. Quoniam igitur horum cognitio ex systemate haurienda, ideo sufficit, si consideratione hujus mundi agnoscamus, nihil casu evenire in hoc universo, sed prouti sapienter a Deo fuerunt decreta, & omnia dirigi ad hunc finem, ut nihil desit, quod ad conservationem creaturarum facit, ac inprimis non modo ad conservationem, sed felicitatem quoque hominis, ut ubivis bonitatis divinæ vestigia deprehendamus. Et huc potissimum quoque animum advertunt homines, quando de providentia divina loquuntur, dum sibi repræsentant Deum curam creaturarum gerentem instar patris, qui curam liberorum suorum habet, ut ipsis bene sit. Et hic ipse modus Deum homini quoque providentem repræsentandi nos ducit ad agnoscendam providentiam divinam ex lege naturæ, cujus autor Deus est (§. 273. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & quam hominibus tulit (§.

274.

274. *part. 1. Phil. pract. univ.*), cum constet patrem, qui curam habet salutis liberorum suorum, ipsis dare præcepta salutaria, juxta quæ dirigant actiones suas, ne fiant infortunii ac infelicitatis suæ fabri. Dubitari poterat, an consideratione hujus universi ducamur ad agnitionem legis naturæ, ut inde porro colligere valeamus, ad gubernationem mundi, quæ pars maxime conspicua providentiæ est, etiam referendum esse, quod legem naturæ tulerit. Enimvero cum nos demonstraverimus, lege naturæ nos obligari ad determinandum actiones liberas per easdem rationes finales, per quas determinantur naturales, non vero per diversas, seu ad non determinandum per diversas (§. 154. *part. 1. Phil. pract. univ.*); consideratione nostri, quatenus sumus pars mundi, quin ducamur ad agnoscendam providentiam divinam exinde, quod Deus dederit legem naturæ, dubitandum non est. Nimirum quemadmodum legibus motuum reguntur actiones corporum & lege motuum cœlestium corpora mundi totalia, ut agant fini a Deo intento convenienter, ita lege naturæ homini lata reguntur actiones humanæ, ut eidem fini convenienter agant.

§. 68.

De dominio creaturas agnoscendo.

Deum esse Dominum totius mundi & omnium, quæ in eo sunt, agnoscimus, si perpendimus mundum integrum ab eo factum esse, nulla Dei in materia præexistente. Sive enim supponas, Deum statim produxisse mundum ea forma, quam habet, sive sumas, eum ex materia formasse corpora & suo deinceps ordine digessisse; cum satis constet, si materia tanquam massa uniformis spectetur, eam rationem sufficientem existentiæ in se non continere (§. 30.), a Deo eandem factam esse admittendum est, ut ex ea formaret mundum. Atque ideo in utraque hypothesi Deus & materiam, & ex eadem corpora fecit, ex quibus mundum composuit. Mundus ita-

que integer spectandus est tanquam opus Dei ex materia sua, non aliena factum. Nemo non intelligit, si artifex faciat opus ex materia sua, id esse suum, nec quenquam alium jus quoddam in eo habere. Quamobrem totus quoque mundus cum omnibus, quæ in eodem sunt, solius Dei sunt, nec datur ens aliud, quod ullum jus in eodem, aut re quacunque ad eundem pertinente jus quoddam prætendere potest. Et hoc modo patet, si perpendamus mundum integrum a Deo esse factum nulla materia præexistente, a nobis agnosci, quod sit totius mundi & rerum omnium in eo existentium dominus.

Quando dominium Dei consideratione hujus universi agnoscere volumus; sufficit ut sumatur, eum esse rei dominum, cujus res est & in qua nemo alius jus quoddam prætendere potest, non vero opus est, ut ex definitione dominii deducatur, Deum dominium in mundo & rebus in eodem existentibus habere. Neque alud intendimus agnitione dominii Dei, quam ut constet, omnia in mundo esse Dei, nec quenquam in re ulla jus quoddam sibi vindicare posse, independenter a Deo sibi competens: immo ipsum hominem, qui non minus, quam res ceteræ in creaturarum numero est, esse in dominio Dei.

§. 69.

Quale sit jus dominium Dei & quale sit hominibus competens respectu Dei.

Quoniam omnia, quæ in mundo sunt, Dei sunt (§. 68.); *Deus* quoque tanquam *dominus de iis disponere potest, prouti placuerit, & nonnisi* vi bonitatis suæ *homini concessit usum earum rerum, quæ conservationi & usibus ejus inserviunt* (§. 41.), consequenter *homo, qui dominium habet respectu hominum aliorum in re quadam, non est nisi usuarius respectu Dei.*

Hinc in scriptura sacra origo dominii hominibus competentis deducitur a Deo, qui usum rerum iisdem liberum fecit.

fecit. Et Deus lege naturæ, quam ipsis dedit, usum istum restrinxit ad officia eadem lege homini præscripta, ut ideo re sua abutatur, si utatur aliter, quam ad satisfaciendum iisdem. In Moralibus plurimum refert hoc nosse, quemadmodum suo loco videbimus, ideoque probe notandum venit. Nimirum si jus nostrum, quod in re habemus, consideremus respectu Dei, id non est nisi jus proprium disponendi de usu rei secundum legem a Deo nobis præscriptam, tumque translatio dominii in alium non est nisi translatio hujus juris, quod ad usum rei a Deo nobis concessum est, ut ideo jus hoc, quod ab initio erat commune, introductione dominiorum nonnisi proprium factum fuerit. Etenim facto hominum jus natura beneficio Dei nobis competens in se mutari non potuit, utpote non a voluntate nostra, sed potius a voluntate divina dependens. Neque verendum est, si hoc modo dominium spectamus, id ullo modo adversari iis, quæ vel in Jure naturæ de dominio demonstrantur, vel in civili de eodem traduntur. Nulla datur inter Jurisprudentiam & Ethicam propterea repugnantia, modo singula penitius inspicias.

§. 70.

De imagine Dei in anima nostra agnoscenda.

Animam nostram quandam similitudinem habere agnoscimus, si ea, quæ de intellectu ac voluntate divina, itemque sapientia & bonitate consideratione hujus universi agnoscimus, cum iis conferamus, quorum de anima nostra nobis conscii sumus. Etenim si ad ea attendamus, quorum nobis de anima nostra conscii sumus, manifestum nobis est, nos habere intellectum & voluntatem, & quatenus observamus, nos propter finem agere & mediis ad eum ducentibus uti, atque aliis inservire posse, nos sapientiæ (§. 678 *Psych. rat.*) & bonitatis esse capaces novimus (§. 695. *part. I. Theol. nat.*). Quodsi ergo ea, quæ de intellectu divino (§. 23) ac voluntate divina

 (§. 61.),

(§. 61.), itemque sapientia (§. 33. & *seqq.*) atque bonitate consideratione hujus universi agnoscimus (§. 41. & *seqq.*), cum illis conferimus, quarum de anima nostra nobis conscii sumus, habita tamen ratione magnitudinis intellectus (§. 25.) sapientiæ (§. 39.) & bonitatis diuinæ (§. 47.), aliqualem animæ nostræ cum Deo similitudinem agnoscimus (§. 195. *Ontol.*).

Conspicimus in anima nostra imaginem quandam divinitatis, quæ ipsi per essentiam suam inest, & eam aptam efficit ad Deum agnoscendum (§. 1095. *part 1. Theol. nat.*) Ast imago hæc Dei naturalis, quæ dicitur, non confundenda cum imagine Dei primo homini concreata, de qua loquuntur Theologi, quam per lapsum amissam & regeneratione instaurari docent in Theologia revelata. Cavendum tamen est ne hanc similitudiuem latius extendamus, quam par est, ne in anthropomorphismum subtilem incidamus, quo Deo per modum animæ repræsentato tacite tribuuntur limitationes (§. 580. *part. 2. Theol. nat.*). Ex eo enim manant errores naturæ divinæ adversi complures (§. 507. & *seqq part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem in demonstratione diximus, habendam esse rationem magnitudinis intellectus, sapientiæ & bonitatis divinæ, ut intelligamus, non omnimodam dari inter animam & Deum similitudinem sed saltem aliqualem. Facillime autem præcavetur, ne in anthropomorphismum subtilem incidamus, si notemus, a Deo removendas esse omnes limitationes, quæ animæ nostræ insunt: id quod imbecillioribus, qui vim demonstrationum capere nequeunt, persuadetur, si magnitudinem, inscrutabilitatem & incomprehensibilitatem intellectus divini, itemque sapientiæ ac bonitatis divinæ ad captum eorum repræsentes. Nihil magis solenne est hominibus, quam ut naturam universam & res quascunque naturales in agendo fingant ad similitudinem sui: quod quantum nocuerit scientiæ physicæ ac theo-

riæ

riæ medicæ, dudum obſervatum eſt. Aſt non minus nocet agnitioni Dei, ſi eundem ad ſimilitudinem noſtri agere atque pati nobis imaginemur.

§. 71.

Quomodo hebetiores ad agnitionem Dei conſideratione hujus univerſi perducendi.

Si hebetiores ad agnitionem Dei conſideratione hujus mundi & rerum in eodem exiſtentium perducere volueris; primum ipſis ingignenda eſt notio Dei ea continens, quæ conſideratione hujus univerſi nobis innoteſcunt (§. 62.), deinde principium rationis ſufficientis ad ſenſum communem reducendum (§. 20.), qua præparatione facta argumento pro exiſtentia Dei a poſteriori ad ſenſum communem reducto (§. 21.) docendi ſunt, mundum non eſſe a ſe ipſo, ſed a Deo factum, & exemplo artificis opus artificioſum facientis perſuadendi, Deum intelligere omnia, quæ ſunt in mundo, ut ſic pateat eum habere intellectum, voluntatem & potentiam. Denique ipſis inculcandum, quomodo unum ſit propter alterum, exemplis obviis, ut notio ſapientiæ divinæ ipſis inſinuetur (§. 33.), & quomodo unum inſerviat uſui alterius, ne deſint ea, quæ ad conſervationem noſtram & animalium quorumcunque faciunt, & quod ipſa mala, quæ nobis eveniunt, dirigantur in bonum finem, ut bonitatem divinam agnoſcant (§. 41. & ſeqq.). Qui enim hebetiores ſunt, eorum acies non longe extenditur, ac impatientes ſunt, ad diu conſervandam attentionem. Quamobrem qui eos ad agnitionem Dei conſideratione hujus univerſi perducere voluerit, argumenta non petere debet ab iis, quæ a ſenſu ipſorum procul remota ſunt, & quæ non ipſimet experiuntur & experti ſunt, nec inde inferri debent, quorum notio ipſis nondum familiaris eſt. Quodſi ergo ipſis ingenita eſt notio Dei ea continens, quæ conſideratione hujus univerſi nobis innoteſcunt, ex iis, quæ in mundo ſenſui ipſorum patent, nihil infertur, niſi quod intel-

intelligunt, & sese intelligere norunt, consequenter nec impatientia attentionem ipsorum ab eo avertit. Quoniam vero sine principio rationis sufficientis existentia Dei a posteriori demonstrari nequit (§. 18.), consequenter ab eodem pendet omnis certitudo in agnitione Dei a posteriori acquirenda (§. 568. *Log.*). Quodsi ergo principium rationis sufficientis ad sensum communem fuerit reductum, & hoc modo ipsius vim in se sentire adsueti fuerint; quando ex iis, quæ in mundo observantur, colligitur, quod Deo tribuendum, vim principii istius in se sentientes, verum esse quod inde infertur certi quoque sibi videbuntur, persuasi non opinione, sed ad veritatem. Quamprimum itaque argumento pro existentia Dei a posteriori ad sensum communem reducto agnoverint, existere Deum, qui hunc mundum fecit, cum ipsis satis exploratum sit, qui facit aliquod opus eundem quoque intelligere, quale hoc sit, & quia facit, ipsum etiam hoc facere velle, exemplo artificis opus artificiosum facientis facile persuadentur, Deum habere intellectum & voluntatem, & quia mundum facere potuit potentiam quoque faciendi ea, quæ novit & facere vult. Quodsi igitur porro attentio ipsorum convertatur in nexum rerum, quatenus sensibus ipsorum obvius est, ut considerent, quomodo unum sit propter alterum, ita ut unum faciat ad conservationem alterius & usui ejusdem inserviat, idque ipsum in se ipsis experiantur, ac præterea exemplo tam proprio, quam aliorum exemplis, quæ norunt, doceantur, quomodo bona, quibus delectantur, non consecuti fuissent, nisi mala quædam ante ipsis accidissent; quin sapientia & bonitas divina ipsis persuadeatur dubitandum non est. Patet itaque quod hoc modo perducantur etiam hebetiores ad acquirendam eam Dei notionem, quæ consideratione hujus universi acquiri potest (§. 62.),

(§. 62.), sicque consideratione universi ad agnitionem Dei perducantur.

Agnitio veri Dei omni homini apprime necessaria est, ideoque danda quoque est opera, ut quivis ad eandem perducatur & ut, quam acquisivit, cognitio ipsi sit certa. Enimvero non omnium hominum eadem est mentis acies, ut, quod unus perspicit, id etiam perspicere possit alter, nec ad impetrandum, vel extorquendum assensum cujuslibet eadem argumenta apta sunt. Necesse igitur est, ut ea aptemus ad captum omnium. Quamvis enim in systemate nostro viam demonstrationis ingressi sumus, quemadmodum exigebat systematis ratio; non tamen propterea volumus, ut negligantur argumenta suasoria, qualia suggeret Rhetorica, si eadem recte uti didiceris, maximæ hominum parti convenientia. Sane non alio fine egimus de reductione veritatum universalium ad sensum communem (§. 242. *seqq. part. 1. Eth.*) & ejus usum in Moralibus commendavimus, immo necessitatem demonstravimus (§. 246. *part. 1. Eth.*). Datur vero etiam hic recta via, qua incedendum, ne offendamus in argumenta opinione saltem persuadentia, atque iis convenientia, qui vel aliorum credulitati obnoxiam habent fidem, vel in leviculis quoque ablepsiam suam produnt. Sicuti in omni veritate persuadenda, ita inprimis in re tam ardua, qualis est agnitio Dei, eligenda sunt argumenta suasoria, quæ si ad rationis trutinam expendantur, nihil continent, quod obstet, quo minus inde recte inferatur, quod erat probandum. Argumenta genuina suasoria tum demum genuina censentur, si sufficienter evoluta ad demonstrationem reduci possint, aut si qua adhuc deficiunt, ea saltem supplenda sunt. Quamobrem apparet de argumentis suasoriis genuinis judicium esse Demonstratoris & quam necesse sit, ut constet, quænam argumenta legitima evolutione in demonstrationem converti possint. Neque vero existimandum est, quasi hæc referenda sint ad nimias subti-

litates, cum sufficiat, nos uti argumentis, quibus aliis persuademus id, quod pro vero habere debent. Opiniones enim, quæ istiusmodi argumentis debentur, mutabiles sunt, ita ut, si quis ostendat, cur viillorum argumentorum inferri minime possit, quod iisdem concluditur, opinator vel in partem contradictionis contrariam assensum præbeat, vel saltem de eo dubitare incipiat, quod pro certo habuerat, vel scrupuli suboriantur, a quibus se liberare nequit. Distingvendum nimirum est inter argumenta suasoria, quibus impetratur consensus, quo in præsenti ad quidpiam opus est, & inter ea, quibus quis compellendus est ad assensum veritati præbendum, ut certus sibi esse videatur, quod verum sit, quod agnoscit. In priori casu perinde est, quocunque argumento obtineatur consensus, modo obtineatur, ast in posteriori opus est, ut assensus obtineatur firmus, qui non facile vacillet. In arte Oratoria probe a se invicem hæc distingvenda sunt. Notandum præterea est, multis argumenta suasoria videri, quæ non sunt, cum propter ea sibi pro vero habere videantur, quod jam ob rationes alias pro vero habent, immo quod velint, aliis argumentis istis persuaderi debere id, quod ipsimet pro vero habent. Poteramus hactenus dicta omnia illustrare argumentis pro existentia Dei in medium afferri solitis. Sed cum ex iis, quæ dudum alias de hisce argumentis monuimus in libello, quem de Ratione Prælectionum nostrarum in Mathesin & Philosophiam in scripsimus, facile intelligantur; in præsenti prolixiores esse noluimus. Demonstrator seligere debet argumenta genuina ad persuadendum apta & ostendere, quænam in iis observanda sint, ut ab omni vitio sint libera: litterarum cultores ea deinde proponere debent, quemadmodum ad compellendum eos, quibus veritas persuadenda, ad assensum requiritur.

§. 72.

§. 72.

Quoniam plures notiones animo ejus ingignendæ sunt, qui ad agnitionem Dei consideratione hujus universi perducendus, etiamsi hebetior fuerit, atque plures requiruntur actus ut hoc fiat, nec ex iisdem observationibus colliguntur omnia, quæ ad notionem Dei ingignendam pertinent (§. 71.), assensus vero non in instanti, sed successive gignitur, qui veritati propositionis sive demonstratæ, sive probabiliter evictæ præbendus (§. 993. *Log.*); *si quis consideratione hujus universi ad agnitionem Dei perducendus, præsertim si hebetior fuerit, ejus animo successive ingignendæ sunt notiones, tum quæ animum præparant ad Deum agnoscendum, tum quæ notionem ejus ingredi debent, neque ulterius progrediendum, antequam eas, quæ ab aliis præsupponuntur, sibi familiares experitur.* *Quænam hic observanda.*

Quæ hic præcipiuntur, probe observanda sunt, tum ne inanem operam sumas, ubi alium ad agnitionem Dei perducere volueris, aut minimum assensum non adeo firmum impetres, qualis extorqueri poterat, tum ne agnitionem Dei ei, qui ad eandem perducendus, efficias difficilem atque patientiam ejus præter necessitatem fatiges. Tenemus hunc morem in addiscendis aliis, ubi necessitas ejus magistra est. Si velis, ut pueri legere discant, nonne ante agnoscere docentur litteras, quam syllabizare, nonne ante syllabas pronunciare, quam easdem connectere & nonne ante syllabas connectere, quam verba integra pronunciare, ut tandem legere discant? Et quis est, qui nesciat, ab uno non ante progredi ad alterum, quam ubi illud satis familiare fuerit? Quemadmodum in hisce, quæ leviora videntur, non committitur saltus; ita nec per saltum addiscuntur cetera, siquidem certa cognitio desideratur. Qui consideratione hujus universi ad agnitionem Dei perducendus, is reflecte-

flectere debet super iis, quæ in hoc mundo sensu percipit, & observationes eorum, unde colliguntur de Deo agnoscenda, sibi familiares reddere. Non minus familiaris ipsi esse debet vis principii rationis sufficientis, ut eam in se percipiat, etiamsi de eodem distincte non cogitet, quemadmodum id observamus in notionibus communibus, quibus convenienter agit & ratiocinatur vulgus, dum de iis non cogitat. Et quoniam in agnitione Dei consideratione hujus universi acquirenda argumentamur ab artifice opus cientis ad Deum mundi autorem & artificiosum factorem; ea quoque, quæ de artifice nota præsupponuntur, familiaria esse debent. Hæc sane omnia pertinent ad præparandum animum ejus, qui ad agnitionem Dei consideratione hujus universi perducendus. Quo ordine vero sit procedendum, animo sic præparato, ex ipsa propositione satis intelligitur. Non diffitemur, non semper opus esse, ut singula observentur in casibus datis, cum qui ad agnitionem perducendi sunt jam unum vel alterum familiare sibi experiantur, quod tanquam familiare supponendum: sed tum perinde est, ac si legere discit, qui literas jam novit, aut qui syllabizare jam didicit in lingua vernacula legere discit in lingva peregrina. Non tamen propterea casui permittenda, quæ certo ordine fieri possunt ac debent, immo ut in casu quolibet noris, quidnam tanquam familiare jam supponi possit, quinam tenendus sit ordo utique constare debet. Quæ hic dicuntur, quamvis tanquam vulgaria contemnenda videantur iis, qui se naturam excelsam & alios & vulgaria despicientes genuisse sibi videntur, maximi tamen sunt momenti non minus in scientiis addiscendis, quam in aliis erudiendis & in omni praxi morali.

§. 73.

Homo ad Deum agnoscendum natus.

Homo non alio fine a Deo factus est, quam ut consideratione mundi eundem agnoscat. Etenim non alio fine Deus hunc mundum fecit, quam ut perfectionem suam summam patefa-

tefaceret (§. 629. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem cum in Terra præter hominem non detur creatura alia, quæ eam consideratione mundi & rerum in eodem existentium agnoscere possit, ac non modo argumento ab analogia ducto colligatur, dari etiam in planetis ceteris homines, creaturas ad Deum agnoscendum aptas, verum etiam finis ultimus, quem per creationem mundi intendit (§. *cit.*), idem insinuet; homo quoque non alio fine a Deo factus esse intelligitur, quam ut consideratione mundi eundem agnoscat.

Nimirum si per mundum & res in eodem existentes patefieri debet summa Dei perfectio; necesse est ut in mundo existant creaturæ, qui sensus habent, ut ea, quæ in mundo sunt ac fiunt, observare possint, præterea vero etjam intellectu ac ratione præditæ, ut ex iis, quæ observant, existentiam Dei & attributa ipsius colligere valeant, hoc est, homines. Mundus theatrum est operum divinorum, ex quibus agnoscitur, qualis sit eorum opifex: homines sunt spectatores, qui opera vident & eorum consideratione opificem agnoscunt, qualis sit. Forent theatrum & repræsentationes, quæ in eo fiunt, nullius usus, si deesset spectator, cujus gratia illud conditum & repræsentationes in eodem fiunt. Creaturæ omnes sunt veluti totidem pantomimi, qui tacite ea loquuntur, quæ de Deo cognoscenda. Satis adeo manifestum est, hominem non alio fine esse factum, quam ut consideratione mundi eundem agnoscat.

§. 74.

Quoniam homo non alio fine a Deo factus est, quam ut eum consideratione mundi agnoscat (§. 73.), Deus autem nulla re alia extra se indiget voluptatis percipiendæ causa (§. 426. *part. 1. Theol. nat.*), multo minus ad sui conserva- *Quidnam Deus agnitione sui intendat.*

ſervationem, aut perfectionem (§. 424. *part. 1. Theol. nat.*); *homo Deum agnoſcere debet ſui ipſius cauſa, nimirum ut perfectione Dei ſumma & operum divinorum, quorum conſideratione illam agnoſcit, delectetur* (§. 511. *Pſych. empir.*), conſequenter cum ſic voluptate vera (§. 514. *Pſych. empir.*), conſtante (§. 513. *Pſych. empir.*) & maxima, quam percipere poteſt (§. 516. *Pſych. empir.*), perpetuo frui poſſit, *ut ſit felix* (§. 636. *Pſych. empir.*).

Patet itaque Deum feciſſe hominem, ut ſit felix, & bonitatem ſuam commoviſſe Deum ut felicitatem ſuam communicaturus mundum perfectionum ſuarum ſpeculum, & in eo hominem ejus contemplatorem faceret. Felicitati Dei nihil decedit, ſive mundus exiſtat, ſive minus, cum ipſemet ſit ſibi ſufficientiſſimus (§. 428. *part. 1. Theol. nat.*). Aſt hominis intereſt, ut exiſtat mundus & ipſe in mundo. Pauci ſunt, qui hoc conſiderant, etſi eos huc ducat natura, quatenus appetitus naturaliter fertur in felicitatem (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*), quæ naturalis ejus determinatio incitamento eſſe debebat ad Deum agnoſcendum. Qui Deum ſibi imaginantur tanquam gloriæ cupidum & hac cupiditate adductum fuiſſe arbitrantur, ut mundum & in eo homines faceret, in anthropomorphiſmum ſubtilem incidunt (§. 580. *part. 1. Theol. nat.*) & Deum ſibi ſub imagine ambitioſi cujusdam Monarchæ repræſentant, errore pietati valde adverſo & vitii fomite. Hunc ut vitemus non ſolum perpendendum eſt, in quonam gloria Dei conſiſtat & quomodo ab hominibus promoveatur (§. 610. *part. 1. Theol. nat.*), ſed & ex iis, quæ hic demonſtrata & annotata ſunt, perſpicienda eſt ratio, cur Deus per creationem mundi gloriam ſuam manifeſtare eandemque ab hominibus promoveri voluerit. Atque hoc modo obtinebitur, ut ea ſit motivum agnitionis Dei. Erunt forſitan nonnulli, qui exiſtimaturi ſunt, fore perpaucos, quorum voluntas determinetur ad Deum agnoſcendum hoc motivo: aſt tenendum

in

in genere est, in philosophia morali inculcari motiva, qualia esse debent, ut per ea determinetur voluntas hominis ratione utentis, non vero eorum, qui indomitis cupiditatibus æstuant & ea ignorant, aut saltem pro vero non habent, a quibus motiva petuntur. Unde ipsa motiva insinuant, quænam cognoscenda sint, ut sint efficacia, cum eorum efficacia unice dependeat a viva cognitione (§. 244. *& seqq. part. 2. Phil. pract. univ.*). Emendanda ante voluntas est, quam quis motivorum efficaciam in se experiri possit (§. 153. *part. 2. Ethic.*). Alia vero sunt remedia, quibus utendum, si corruptioni medela conferenda; alia motiva, per quæ voluntas flectenda, quando homo facultatibus suis utitur, ut debet. Qualis sit voluptas, quæ percipitur ex agnitione Dei consideratione hujus universi acquisita, nemo novit, nisi qui eandem expertus est. Eam ubi quis expertus fuerit, efficaciam quoque in movenda voluntate experietur.

§. 75.

Agnitionem Dei hominem maxime decere.

Similiter quia homo non alio fine factus est, quam ut Deum consideratione mundi agnoscat (§. 73.), *hominem* quoque *nihil magis decet, quam ut Deum agnoscere studeat & attributis divinis, quæ agnovit, in determinationem actionum liberarum influentibus per modum motivorum gloriam Dei manifestet* (§. 919. *part. 1. Theol. nat.*).

Bruta, cum destituantur ratione (§. 762. *Psych. rat.*), nec voluntatem liberam habeant (§. 763. *Psych. rat.*), nonnisi per essentiam & naturam suam gloriam Dei manifestare possunt, quemadmodum creaturæ ceteræ omnes. Solus homo est, qui etiam per actionum liberarum determinationem eandem manifestare valet. Atque in eo differt a creaturis ceteris omnibus & in hac aptitudine manifestandi gloriam divinam perfectio ejus accidentalis consistit (§. 917. *part. 1. Theol. nat.*), cujus solus capax est in toto mundo,

cum

cum creaturæ omnes atque totus mundus nonnisi perfectione essentiali gaudeant, quæ in aptitudine patefaciendi summam Dei perfectionem consistit (§. 673. *part. 1. Theol. nat.*). Quodsi ergo homo perfectione ista accidentali destituatur, cum non differat a brutis, hominis nomine vix dignus censetur: immo cum perfectione essentiali, quam cum animantibus brutis ac rebus ceteris omnibus communem habet, abutatur, si perfectionis accidentalis nullam rationem habet, non homo evadit, ens ipsis animantibus brutis pejus gloriam quippe Dei, quam manifestare debebat, obscurans (§. 1153. *part. 1. Jur. nat.*). Tum demum homo revera hominem agit, si per motiva ab attributis divinis desumta actiones liberas determinat, utque hoc fieri possit, Deum agnoscit & perfectione ipsius summa delectatur, quæ delectatio a certa Numinis agnitione inseparabilis (§. 511. 513. *Psych. empir.*). Quamobrem non est, quod dubitemus, agnitionem Dei maxime decere hominem. Atque hoc fortissimum motivum est agnitionis Dei, modo satis intelligetur. Quibus tale non videtur, hi nondum intelligunt, quid sit perfectio mundi & rerum in eodem existentium atque hominis præsertim perfectio accidentalis, ex systemate Theologiæ naturalis cognoscenda. Multa hic dici poterant de iis, quæ ad perfectionem hominis accidentalem pertinent; sed ea patescent, quando de singulis in specie agendi occasio sese offeret.

§. 76.

Agnitionem Dei esse ingens bonum. *Agnitio Dei ingens bonum est, quod homini obtingere potest.* Etenim perfectio hominis consistit in aptitudine manifestandi gloriam Dei (§. 917. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem cum homo per determinationem actionum liberarum gloriam Dei aliter manifestare non possit, quam si attributa divina per modum motivorum in eadem influunt

(§. 919.

(§. 919. *part. 1. Theol. nat.*), id quod fieri non posse, nisi attributa divina fuerint cognita atque perspecta per se patet, quicquid vero hominem perficit, seu perfectionem ejus promovet, bonum est (§. 554. *Psych. empir.*); agnitio Dei ingens omnino bonum est, quod homini obtingere potest.

Cum appetitus hominis generaliter determinatus sit ad bonum appetendum, ut quam primum aliquid nobis distincte repræsentemus tanquam bonum quoad nos, id velimus (§. 891. *Psych. empir.*); consideratio agnitionis Dei, quatenus promovet perfectionem nostram, motivum est, ut ipsum agnoscere studeamus. Pertinet agnitio Dei ad bonum perfectivum, quod facit ad perfectionem accidentalem naturæ humanæ (§. 61. *part. 2. Eth.*) & determinatio appetitus ad sui perfectionem tendit ad acquirendam perfectionem accidentalem (§. 34. *part. 2. Eth.*). Quodsi perpendamus ea, quæ in propositionis præsentis demonstratione alibi demonstrata sumuntur, atque consideremus, quomodo assensus successive generetur (§. 993. & *not.* §. 992. *Log.*); facile intelligimus, non adeo facile esse, ut quantum bonum sit agnitio Dei, intime perspiciatur. Quamobrem nec est, quod miremur, si fuerint tam multi, qui agnitionem Dei in bonis non numerant. Æstimant homines seposito rationis usu bonum exinde, quod voluptatem pariat (§. 4. *part. 2. Eth.*); cum vero ex bono voluptatem non percipiamus, nisi quando cognoscitur (§. 558. *Psych. empir.*); nec amplius latet ratio, cur agnitionem Dei in bonis non numerent. Ast quoniam sine agnitione Dei nullum officium Deo debitum præstari potest (§. 1.), ex subsequentibus autem, quæ de his demonstrabuntur, patebit, quantum ea huc faciant, ut animus voluptate perfundatur & a molestiis liberetur, qua torqueri alias solet; quod agnitio Dei in bonis numeranda sit, inde cognoscent, qui ca-

pere nondum possunt, veram hominis perfectionem tandem redire ad patefaciendam actionibus suis liberis perfectionem Dei summam, sine agnitione ejus non obtinendam. Ceterum quæ in genere de motivis modo annotavimus (*not.* §. 74.), eadem hic quoque & ubivis, ubi de motivis agitur, tenenda sunt. Meminisse vero hic quoque debemus, quod paulo ante demonstratum est, hominem Deum agnoscere debere, ut sit felix (§. 74.). Ecquis enim in dubium vocare ausit, medium felicitatis nostræ in bonis numerandum esse?

§. 77.

Deum esse exemplar homini imitandum.

Deus nobis exemplar est felicitatis veræ, sapientiæ ac bonitatis & sanctitatis. Etenim Deus maxima voluptate perenniter fruitur, quia perpetuo sibi conscius est perfectionis suæ & perfectionis rerum, quæ ab ipso fieri possunt (§. 1084. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem hinc discimus, si & nos voluptate vera frui velimus, consequenter felices esse (§. 636. *Psych. empir.*); nos omni animi contentione eo anniti debere, ut nos, quantum datur, perficiamus, sicque perfectionis nostræ nobis simus conscii, & ut Deum consideratione hujus universi agnoscamus, sicque perfectionis divinæ & rerum creatarum tanquam operum ipsius nobis simus conscii, & hoc pacto participes quodammodo fiamus ejus voluptatis, quo fruitur ipse Deus. Patet itaque Deum nobis esse exemplar felicitatis veræ. *Quod erat unum.*

Est vero Deus etiam sapiens & sapientia ejus summa atque perfectissima est (§. 640. *part. 1. Theol. nat.*), est summe bonus, ita ut bonitatem majorem concipi repugnet (§. 699. *part. 1. Theol nat.*), est quoque sanctissimus, ita ut nec sanctitatem divina majorem concipere valea-

mus (§. 1065. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem si cognoscamus, quomodo Deus sapientissime fecerit hunc mundum & omnia, quæ in eo sunt, & quomodo bona conferat in creaturas suas, præsertim hominem, quomodo denique sanctitatem suam in creatione, conservatione ac gubernatione mundi conspiciendam nobis det, quæ singula prolixe admodum demonstrata sunt in systemate Theologiæ naturalis (*c. 4. 5. & 7. part. 1.*); quomodo & nos sapienter omnia agere, quomodo nos bonos aliis præbere, quomodo sancti esse possimus, inde discimus, ut sapientiam, bonitatem & sanctitatem Numinis imitari valeamus, quantum usus facultatum nostrarum studio nostro perfectarum permittit. Denuo igitur patet Deum nobis esse exemplar sapientiæ ac bonitatis & sanctitatis. *Quod erat alterum.*

Nemo est, qui nesciat, quantam utilitatem habeant exemplaria, quæ imitari valemus. Nec qui Deum agnoscit, negare poterit, non dari perfectius exemplar felicitatis veræ, sapientiæ ac bonitatis & sanctitatis, quod ad imitandum nobis proponere possumus, quam ipsummet Deum, cum nullibi notetur ullus defectus, quemadmodum contingit, si homines imitandos nobis proponimus, ita ut verendum non sit, ne in eligendo exemplari erremus, quemadmodum haud raro, immo frequentissime fieri solet, si homo hominem imitetur. Homines ad imitandum alios proni sunt, præsertim si ipsimet non satis statuere possint de eo, quod faciendum. Interest igitur, ut sibi proponant exemplar minime fallax, cui tuto fidere possunt. Imitatio igitur Dei fortissimum motivum est agnitionis ipsius.

§. 78.

Qui virtutis amans est, agnitioni Dei omnem operam navare tenetur. Qui enim virtutis amans est, is negligere non debet *De agnitione Dei ad studium virtu-*

T 2

tis requisita. debet media, quibus virtus facilius acquiritur & conservatur, quod per se patet. Enimvero si pietas cum virtute conjungatur, hæc & facilius acquiritur & conservatur (§. 344. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem virtutis amans pietatem cum studio virtutis conjungere debet. Quoniam itaque pietas philosophica, de qua hic nobis sermo est, consistit in habitu actiones legi naturæ conformandi vi motivorum ab attributis divinis & providentia divina desumtorum, quatenus lumine rationis innotescunt (§. 339. *part. 1. Phil pract. univ.*), consequenter qui pietatem cum studio virtutis conjungere voluerit, agnoscere tenetur, existere Deum & hæc esse ipsius attributa; qui virtutis amans est, agnitioni Dei omnem operam navare tenetur.

Ostenditur idem etiam hoc modo. Qui virtutis amans est, negligere nihil eorum debet, quibus in studio & exercitio virtutis juvatur. Quamobrem cum constet, ad studium & exercitium virtutis plurimum conferre exemplar, quod nobis ad imitandum proponimus, Deus vero nobis exemplar est felicitatis veræ, sine virtute non obtinendæ, nec ab ea separabilis (§. 400. *prt. 1. Phil. pract. univ.*), idemque sapientiæ, bonitatis & sanctitatis (§. 77.), per se autem pateat, quod Deum nobis exemplar in actionibus nostris dirigendis proponere nequeamus, nisi eundem agnoscamus; qui virtutis amans est, agnitioni Dei omnem operam navare tenetur.

Duæ sunt rationes, quæ impellere debent virtutis amantem ad agnitionem Dei, scilicet ut pietatem consequatur & ut Deum sibi exemplar proponere possit in actionibus suis determinandis. Quanta sit vis pietatis in studio virtutis, patet ex influxu in virtutes omnes, de quo disertius dicemus suo

loco.

loco. Quanta sit vis exemplorum in studio virtutis, sive intellectualis, sive moralis fuerit, indies experimur & usum exemplorum in praxi morali dudum agnoverunt philosophi. Sinenses, quemadmodum ex libris classicis eorum a R. P. *Noellio* editis apparet, omne studium virtutis & omnem Remp. recte administrandi prudentiam ad exempla reduxerunt. Quamobrem *Confucius*, cum in utroque genere proficere vellet, ab anno ætatis decimo quinto se totum lectioni Annalium tradidit. Cur vero tanta vis esse debeat exemplorum in hoc genere, ex iis intelligi potest, quæ de usu eorundem tum in genere, tum in philosophia practica in specie demonstravimus (§. 259. & *seqq. part. 2. Phil. pract. univ.*). Non autem datur exemplum præstantius, quam ipsius Dei, etiam si eundem tibi repræsentes tanquam Monarcham, qui mundum universum gubernat, ubi de recte administranda Rep. cogitatio animum subit: quod demonstrare non est hujus loci. Neque est, quod verearis, cum Deus sit spiritus (§. 124. *part. 1. Theol. nat.*), homo autem constet ex anima & corpore, ac non minus dentur officia erga corpus & statum externum, quatenus corpus respicit, quam erga animam, (§. 169. *part. 1. Jur. nat.*), quæ spiritus est (§. 645. *Psych. rat.*), Deum non posse esse perfectum exemplar omnis virtutis, quod homo in omni actionum genere sibi proponat; a sapientia enim, bonitate & sanctitate Dei, modo hæc attributa intime perspiciantur, omnia derivantur, quæ in quolibet actionum genere observanda, ut eas ad actiones divinas, quales in creatione & providentia observantur, componas. Nemo non intelligit, fieri non posse, ut hæc eundo per omne actionum humanarum genus hoc loco ostendantur. Talia enim demonstrari nequeunt, nisi ubi de virtutibus singulis in specie ex instituto agitur. Qui vero acutiores sunt, nec ignari eorum, quæ in operibus præcedentibus demonstravimus; facile perspicient a veritate minime abhorrere, quæ hic dicuntur.

§. 79.

De agnitione Dei ad scientiam requisita.

Qui scientiæ amans est, agnitioni Dei operam dare tenetur. Etenim qui scientiæ amans est, nosse cupit rationes eorum, quæ in mundo esse ac fieri observat, quod nemine, ut puto, invito jam sumitur, cum natura nos veluti sua sponte impellat ad quærendum, cur quid sit aut factum fuerit. Ast cum omnia in mundo, quæ continuo fiunt, sint contingentia (§. 80. *Cosmol.*), quorum actus determinatur per alterum quoad actualitatem suam (§. 89. *Cosmol.*), quæ tamen in hac serie rationem sufficientem actualitatis suæ non habent, sed in ente alio extra seriem istam constituto (§. 90. *Cosmol.*), quod Deus est (§. 67. *part. 1. Theol. nat.*); qui Deum ignorat nullius rei existentiæ rationem sufficientem dare potest, & nisi noverit, quale ens sit Deus & quænam sint ipsius attributa, nec dare poterit rationem, cur talis sit rerum series in hoc universo: unde rationes multæ particulares pendent. Patet itaque nos in multis cœcutire debere, quæ tamen scientiæ cupidi nosse mallemus, nisi Deum agnoscamus. Scientiæ igitur amans agnitioni Dei operam dare tenetur.

Qui sciendi cupiditate flagrat, ei non satisfacit historica rerum cognitio, ut norit, hoc esse, vel fieri; sed inhiat quoque rationem, cur sit, vel fieri possit, nec ratio proxima satisfacit, sed scire quoque desiderat rationes rationum, donec tandem nil amplius restet, de quo quæri possit, cur sit, hoc est, animus eius non exsatiatur, nisi ratione sufficiente perspecta, quam ut assequatur ubi fieri non posse deprehendit contristatur & impatiente quodam desiderio torquetur. Equidem cum scientia delectet, voluptas, quæ ex ratione proxima perspecta percipitur, prædominari solet, ut molestia ista animi ex defectu cognitionis rationis sufficientis

entis orta non percipiatur, ubi tamen animus ad hunc advertitur, impatientia non amplius latet. Quando vero mundum hunc adſpectabilem contemplamur & ſuper iis, quæ in eo obſervamus, reflectimus; multæ nobis offeruntur quæſtiones, ad quas reſpondere non poſſumus, cur hoc vel iſtud ſit, niſi Deum agnoſcamus, hoc eſt, non modo ſciamus, quod exiſtat, verum etiam quænam ſint ejus attributa, & diſtinctas perfectionum ipſius notiones habeamus. Pertinet huc quæſtio de origine hominum & cujusvis generis animalium atque vegetabilium, de ipſo ortu mundi, de exiſtentia mali in hoc mundo, de ortu veritatis & eſſentiæ rerum omnium, ut alia taceamus, quæ magis abſcondita ſunt. Qui ſyſtema noſtrum Theologiæ naturalis Tomo primo comprehenſum & ea, quæ in Tomo ſecundo tradidimus, attenta mente perlegerit; ei haud obſcurum erit, quod non modo eorum, quorum jam meminimus, ſed etjam aliorum ratio reddi nequeat, niſi Deum agnoverimus. Intelliget quoque, in quam abſurdas homines inciderint opiniones, & in quos errores pietati ac virtuti omni adverſos, quod Deum non agnoverint. Hæc omnia qui conſiderat, non dubitabit ſine agnitione Dei ſe in plurimis cæcutire, quæ ſcire poterat, ſi eum agnoſceret. Erit itaque hoc motivum agnitionis Dei. Huc etiam ſpectat, quæ de ſyſtemate Philoſophiæ a priori ex ipſa natura Dei deducendo in parte altera Theologiæ naturalis me monuiſſe memini.

§. 80.

De neglectu agnitionis Dei ob ignorantiam Dei.

Qui Deum ignorant, nec ad modum, quo contingentia in hoc mundo ad actum perducuntur, animum advertunt, neque principium rationis ſufficientis perſpectum habent; agnitionem Dei negligunt. Cum ignorantia ſit abſentia notionis rei ſimpliciter apprehendendæ inſerviens (§. 27. *part. 1. Phil. pract. univ.*), qui Deum ignorat, nullam prorſus ejus notionem habet, con-

consequenter si vocabulum Dei audit, id ipsum eidem est sine mente sonus, ut si quis nominet Deum, perinde sit ac si quis blictri dicat. Quamobrem nec fieri potest, ut ulla animum ejus de Deo agnoscendo subeat cogitatio. Cumque ad modum, quo contingentia in hoc mundo ad actum perducuntur, animum non advertat, neque principium rationis sufficientis perspectum habeat, *per hypothesin*, aliunde autem, quam ex contingentia mundi & rerum, quæ in eo sunt, consideratione hujus universi existentia Dei agnosci nequeat (§. 15.), neque demonstrari possit sine principio rationis sufficientis (§. 18.); qui ad modum, quo contingentia in hoc mundo ad actum perducuntur, animum non advertit, neque principium rationis sufficientis pespectum habet, ei præclusa est via ad agnitionem Dei, ut cur in existentiam Deo inquirat, ratio nulla sit. Quoniam itaque qui Deum ignorat, nec ad modum, quo contingentia in hoc mundo ad actum perducuntur, animum advertit, neque principium rationis sufficientis perspectum habet, de Deo non cogitat, nec contemplatione hujus mundi aliquam ipsius notionem acquirere valet, veluti quod sit ens a mundo diversum, quod rationem sufficientem eorum, quæ in mundo contingunt, contineat, *per demonstrata*; ideo agnitionem Dei negligit.

Ne circa propositionem præsentem inanes nectantur difficultates, de eo, qui Deum ignorat, non judicare debemus ex nobis, quibus a prima infantia ab educatoribus nostris ingenita fuit aliqua Dei notio. Quando nos consideratione hujus universi Deum agnoscere volumus, ea sumimus, quæ notione ista continentur, ac deinde expendimus, quæ in mundo observamus, num inter ea sint, quæ existentiam Dei, aut hoc, vel istud attributum ipsius palam faci-

faciunt. Ac ideo contingit, ut argumenta quædam nos convincere videantur de existentia Dei, quibus eadem minime probatur. Ita si quidam argumentantur: Datur ordo in hoc universo. Ergo datur ordinans, ideoque Deus, qui res in mundo existentes in hunc ordinem redegit: illi tacite supponunt, res in mundo in hunc ordinem fuisse redactas, nec eum esse necessarium; id quod non supponerent, nisi jam animo inhæreret notio Dei, tanquam autoris & factoris hujus universi. Quamobrem si quem de existentia Dei hoc argumento convincere volunt, qui vel Deum prorsus ignorat, vel de eadem dubitat, vel eandem negat, is non patitur precario sumi, quod ordo in hoc mundo sit contingens, seu res in mundo existentes in ordinem hunc fuisse redactas, non vero ordinem hunc esse necessarium: si vel maxime concedat, dari ordinem in mundo, nec ex notione ordinis a priori id demonstrari desideret. In eundem censum referenda sunt argumenta, quæ petuntur ab artificiosa constructione corporis humani, vel organi cujusdam, veluti oculi, auris, cordis, cum ex opere arificioso non colligatur existentia artificis, sed ejus ars, existentia autem artificis colligatur ex operis existentia, quia aliunde notum est, istiusmodi opus existere non posse, nisi ab artifice quodam conficiatur (§. 16). Supponendus itaque est homo, qui nihil unquam ne fando quidem de Deo audivit, aliarum vero rerum scientiam percepit, ut intellectu uti didicerit. Hic incitamento quodam opus habet, si ad rem quandam agnoscendam animum appellere debeat; & ne operam in ea agnoscenda ludat, principia genuina familiaria experiatur necesse est, ex quibus quod agnoscere cupit ratiocinando colligitur. Exemplum habemus in Sinensibus, quos Deum ignorasse satis patet, cum in libris eorum classicis, in quibus hodierum erudiuntur adolescentes & juvenes, nullibi mentio Dei fiat, nec ullum erga Deum officium commemoretur. Accedit, quod ne quidem vocabulum, quo Deus significetur, in ipsorum lingva extet. Quod enim quidam fingant, voca-

bulum, quo cœlum indigitant, duplicem habere significatum, ita ut non tantummodo significet, quod nos cœli nomine compellamus, verum etiam ens quoddam supremum, hujus universi moderatorem, a cœlo & mundo integro diversum, quod nos Deum vocamus, id nulla firma ratione probatur. Quamvis enim alicubi de cœlo prædicare videantur, quæ nos Deo tribuimus & recte tribuimus; hinc tamen nondum probatur, eos habuisse notionem quandam Dei, qualem nos habemus, sicuti inde non colligitur, aliquem habere notionem Dei, qui naturæ tribuit, quæ nos tribuimus Deo, & si ponamus eum in lingva sua non habere vocabulum, quo ens istud, quod nos Deum appellamus, nemo hinc colliget, naturam in ipsius lingua duplicem habere significatum, ita ut non minus ens istud, quod nos Deum appellamus, quam illud, quod naturæ nomine indigitamus, significet. Constat Sinenses ab antiquissimis temporibus excoluisse Astronomiam & Mathesin, sine qua in illa proficere non licet, philosophiam vero inprimis moralem atque civilem, in Physica autem parum profecisse, Metaphysicam incultam & desertam apud eos jacuisse. Unde ex præsenti propositione facile patet ratio, cur de agnitione Dei acquirenda solliciti non fuerint. Et quamvis sero ex Japonia in Chinam a Bonciis illata fuerint idola, quorum cultu fascinatus est plebis animus; acutiores tamen insulsa ista commenta recte riserunt, quæ ideo animum ab agnitione Dei magis averterunt, quam ut eum ad eandem arrexerint. Ceterum jam alibi demonstravimus, possibile esse, ut homo quidam simpliciter ignoret dari Deum (§ 430. *part. 2. Theol. nat.*), consequenter in hypothesi propositionis præsentis non sumitur, quod possibile esse nondum constat, & per indirectum quoque jam ostendimus, qui simpliciter ignorat dari Deum, huic nullam Deo esse notionem (§. 428. *part. 2. Theol. nat.*). Equidem qui existentiam Dei per consensum omnium gentium probant, fieri posse negant ut quis simpliciter

citer ignoret Deum, conſenſum tamen iſtum ſumunt, non probant. Vide, quæ alias ea de re annotavimus (*not.* §. 429. *part.* 2. *Theol. nat.*).

§. 81.

Quoniam agnitionem Dei negligit, qui Deum ignorans ad modum, quo contingentia in hoc mundo ad actum perducuntur animum non advertit, nec principium rationis ſufficientis perſpectum habet (§. 80.); *impedimentum hoc agnitionis Dei tollitur, ſi ignoranti inſinues notionem Dei, qualis conſideratione hujus univerſi acquiritur, animum ejus advertas ad modum, quo contingentia in hoc mundo ad actum perducuntur & principium rationis ſufficientis ipſi reddas perſpectum, aut, ſi verendum, ne per præcipitantiam Dei agnitionem ſibi inutilem judicet, ideoque ad eam acquirendam ſe adduci minime patiatur, conſultius eſt, ut initium fiat, quaſi aliud agendo, a principio rationis ſufficientis inculcando, eoque perſpecto modus, quo contingentia in hoc mundo ad actum perducantur, declaretur tandemque inde exiſtentia Dei inferatur.* *Remedium adverſus iſtud impedimentum.*

Quomodo hæc ſingula fieri poſſint, ex antecedentibus ſatis conſtat, & inprimis probe conſideranda ſunt, quæ ſupra demonſtravimus, cum modum traderemus, quo habetiores ad agnitionem Dei conſideratione hujus univerſi ſunt perducendi (§. 71.). Quodſi qui ad agnitionem Dei perducendus cœlo, vel naturæ quædam tribuit, quæ Deo tribuenda; diſtingve in gratiam ipſius inter cœlum viſibile & inviſibile, aut cum ſcholaſticis inter naturam naturantem & naturatam, & permitte, ut vocabulo cœli, vel naturæ duplicem tribuat ſignificatum, ut alter ſignificet ens a cœlo viſibili, vel natura rerum viſibilium diverſum, cui ea conveniunt, quæ nos notione Dei comprehendimus. Videntur hoc attendiſſe Miſſionarii ex Societate Jeſu in China, qui vocabulum,

bulum, quo Sinenses cœlum appellant, transtulerunt ad significandum verum Deum, & recte *Bayerus* in Musæo sinico hoc prudentiæ eorum tribuit, ne videantur communem causam facere cum Bonciis, qui idola in Chinam invexerunt.

§. 82.

Quomodo tollatur dubitatio de existentia Dei ob argumenta minus firma.

Si quis dubitat de existentia Dei, quod argumentis minus firmis aut prorsus vitiosis defendatur; iis rejectis, vel a posteriori ex contingente existentia hujus universi, vel rerum naturalium existentia Dei colligenda, vel ex notione entis perfectissimi, possibilitate ejus evicta, inferenda. Qui enim dubitat de existentia Dei, quod argumentis minus firmis, aut prorsus vitiosis, defendatur; is non modo eorum infirmitatem & vitia, quibus laborant, agnoscit, verum etiam argumenta firmiora, ab istiusmodi vitiis libera, in quibus nimirum nihil sumitur, nisi quod certum est, nec ullum in ratiocinando committitur vitium (§. 569. *Log.*), ignorat. Quamobrem cum per se pateat, omnem operam ludi, quæ argumentis istis commendandis & ornandis impenditur; eadem rejicienda sunt. Et quia sine circulo existentia Dei aliunde, quam a contingentia mundi & rerum, quæ in eo sunt, consideratione hujus universi demonstrari nequit (§. 15.), nec ex notione entis perfectissimi a priori nisi possibilitate ejusdem evicta (*not.* §. 13. *part. 2. Theol. nat.*); si quis de existentia Dei dubitat ea vel a posteriori ex contingente existentia universi & rerum in eo existentium colligenda, vel ex notione entis perfectissimi, possibilitate ejus evicta, inferenda.

Noto notius est, cumulari argumenta pro existentia Dei, quasi in multitudine sit præsidium contra atheos, & eorum nume-

numero vincat veritas. Commendari solent hæc argumenta autoritate, quod scilicet omni tempore a præstantissimis Theologis & Philosophis pro certissimis & firmissimis habita, quasi argumenta ad convincendum apta vim suam acquirant ab autoritate. Exornantur artificiis oratoriis, ad stimulandum appetitum sensitivum, ut in assensum influat & affectus suppleant, quod ponderi argumentorum deest. Enimvero hæc non sunt adversus dubitationes remedia, sed easdem potius firmant, cum omnes isti conatus moveant suspicionem malæ causæ. Recte igitur faciunt, qui argumenta istiusmodi rejiciunt, non dissimulantes infirmitatem, nec vitia, quibus laborant, quemadmodum quoque a cordatioribus dudum factum esse monuimus (*not.* §. 12.). Equidem argumenta nonnulla probabilia sunt; cum tamen nonnisi opinionem gignant (§. 602. *Log.*), dubitationes agnita eorum infirmitate ortæ eorundem commendatione & ornatione non tolluntur, sed subsistunt. Nihil igitur superest, quam ut ad argumentum certum & firmum veniatur ad captum ejus accommodandum, cui dubitatio eximenda. Qui de existentia Dei dubitant, nunc procliviores sunt ad subscribendum veritati, nunc ad atheismum (§. 425. *part. 2. Theol. nat.*). Hæc igitur differentia probe attendenda, si cui dubitatio omnis de existentia Dei tollenda. Sed quæ in dato casu utrolibet observanda sunt, prudentiæ uniuscujusque relinquuntur (§. 256. *part. 1. Jur. nat.* & §. 466. *part. 1. Eth.*). Quodsi enim ad talia descendere vellemus, in immensum excresceret labor.

§. 83.

An infirmitatem & vitia argumentorum pro existentia

Athei argumenta infirmia & vitiosa pro existentia Dei refutant; sed qui eadem refutat, atheus non est. Atheus enim negat dari Deum (§. 411. *part. 2. Theol. nat.*), consequenter argumentis pro existentia Dei contra se allatis vim suam detrahere tenetur. Quamobrem si ea ponderans deprehen-

 dit,

Dei afferri solitorum detegere sit signum atheismi.

dit, in iisdem precario assumi, quæ probata non sunt, vel prorsus probari nequeunt, veluti si ad consensum omnium gentium provocetur, vel nondum sufficienter probata, aut vitium committi in ratiocinando, veluti circulum vitiosum, vel inferri ex præmissis, quod vi formæ inferri nequit, falsum esse hoc modo ostendit, hoc vel isto argumento probari, quod Deus existat. Quoniam itaque argumentum refutat, qui hoc ostendit (§. 1017. *Log.*); qui atheus est argumenta infirma & vitiosa pro existentia Dei refutat. *Quod erat unum.*

Enimvero si argumenta pro existentia Dei allata révera fuerint infirma, vel vitiosa, qualia esse, quæ magno numero vulgo cumulantur, in Ratione Prælectionum jam olim ostendimus; qui ea refutat, cum hoc facere possit eo animo, ne bona causa male defendatur, & quod ostendit, verum sit, propterea atheus non est. *Quod erat alterum.*

Nemo nisi imperitus propositionem falsam esse pronunciabit, quia male probatur. Absonum igitur est labem atheismi alicui adspergere, quia ostendit, hoc vel isto argumento existentiam Dei demonstrari non posse. Multo magis vero absurdum est, si quis contendat, eripi defensoribus existentiæ Dei tela in atheos contorquenda & his dari arma, ut cum ipsis pugnent, quasi vero athei non ipsimet videant argumentorum infirmitatem & vitia, quibus laborant, ideoque sibi videantur defensoribus existentiæ Dei acutiores. Si qui atheismo patrocinari dicendi sunt, hi profecto sunt, qui argumenta infirmia & vitiosa pro certissimis & firmissimis omni animi contentione aliis obtrudere conantur, non vero qui eorum infirmitatem & vitia detegunt. Mali sunt defensores, qui irrita tela jactant in ipsorum

rum jugulum ab hoste retorquenda. Non heri demum aut nudius tertius invaluit mos illorum, qui argumento ab invidia ducto utuntur (§. 1049. 1050. *Log.*), atheum appellant, qui argumenta pro existentia Dei, quæ ipsi pro certissimis & firmissimis venditant, rejiciunt & de aliis cogitant; sed vetustus cœca imitatione conservatur. Jubent vero tempora, in quæ incidimus, mutati morem. Aperto enim Marte hodie in aciem progrediuntur qui quæ antea secum mussitare cogebantur, nunc palam profiteri non verentur. Multa igitur cautione opus, ne se ludibrio ipsorum exponant, qui causam Dei defendere debent, vel defendendam sibi sumunt.

§. 84.

De atheo in propria principia peccantem.

Si atheus ob infirmitatem argumentorum pro existentia Dei allatorum Deum esse negat; ipsemet precario sumit, quod manifesto falsum est, reprehendendus ob id, quod in aliis reprehendit. Etenim si atheus ob infirmitatem argumentorum pro existentia Dei allatorum Deum esse negat; ideo certum esse putat, non existere Deum, quia argumentis istis sufficienter non probatur, aut prorsus probari nequit existentia Dei. Enimvero non demonstrat, argumenta alia, in quibus nihil desideratur, esse impossibilia, consequenter id probari omnino non posse, quod argumentis istis non probatur, aut non sufficienter. Quoniam itaque propositio propterea falsa non est, quia non recte probatur, aut nemo eandem probare potest, sed saltem inde concluditur, probationem esse minus sufficientem, aut nullam, vel neminem adhuc probationem sufficientem dedisse; ideo si atheus ob infirmitatem argumentorum pro existentia Dei allatorum Deum esse negat, ipsemet precario sumit, quod manifesto falsum est (§. 600. *Log.*). *Quod erat unum.*

Dum

Dum vero argumenta minus firma, aut vitiosa rejicit atheus, in defensoribus existentiæ Dei reprehendit, quod in probanda existentia Dei principia quædam precario sumant, vel quod Deum esse statuant, cum dari Deum sufficienter probare nequeant. Dum vero ob hæc argumenta negat, Deum existere, etiamsi demonstrare non possit, alia argumenta impossibilia esse, in quibus nec in materia, nec in forma vitium notatur, ipse precario sumit, quod manifesto falsum est, ac ex principiis infert, quod inferri minime poterat, *per demonstrata n. 1.* Patet itaque, eum ob id ipsum reprehendendum esse, quod in aliis reprehendit. *Quod erat alterum.*

Athei videntur sibi & videri volunt omnibus ceteris acutiores, ut ideo nomen vi intellectus præstantium, in sermone Gallico *esprits forts*, affectent. Quamobrem interest, ut fastus eorum retundatur, ostendendo, quod eadem imbecillitate intellectus laborent, quam imputant aliis & in iis rident. Pervulgatum est, propositiones veras ab imperitis minus recte probari, & per consequens inde concludi non posse, quod falsa sit propositio, quia probatione allata veritas ejus non evincitur. *Euclides* propositiones suas demonstravit, ut de earum veritate nemo dubitare possit, qui demonstrationes capit. Dantur vero compendia mathematica, in quibus autores imperiti probationes afferunt, quibus minime demonstratur, quod erat demonstrandum. Quodsi jam ponamus quendam in istiusmodi compendium incidere, qui demonstrationes *Euclideas* ignorat & vitia prætensarum demonstrationum autoris imperiti observare. Ponamus porro eum properea audacter affirmare, quod propositiones *Euclideæ* sint falsæ, veluti quod duo parallelogramma super eadem basi & intra easdem parallelas constituta non sint æqualia, aut ducta recta intra crura trianguli basi parallela se-

ſegmenta crurum non ſint inter ſe & cruribus proportionalia. Ecquis non ridebit affirmantem & contemtu dignum, non autem dignum judicabit, qui refutetur? Velim vero hoc etiam notent, qui clamant, arma ipſis eripi, quibus cum atheo pugnandum, ſi argumentorum, quibus utuntur, infirmitas & vitia oſtendantur, ac dari atheis. Si vel maxime ponamus, nullum proſtare argumentum, quo exiſtentia Dei demonſtrari poſſit; inde ſaltem inferri poterit, non certo conſtare, utrum detur Deus, nec ne, quod vero non detur, negari haud quaquam poteſt. Ratio ſufficiens ad dubitationem, non eſt ſufficiens ad negationem. Obiter vero quaſi adhuc monemus, ut hinc diſcatur, quam neceſſarium ſit ſtudium Logicæ, ne judicia noſtra præcipitemus, & quod Logica non diſcenda ſit in ſpem futuræ oblivionis, quaſi referenda ad crepundia puerorum. Uſum Logicæ facere tenentur etiam in ſcientiis adulti, ac ideo recte addiſcenda, & ubi eam didiceris per omnem vitam non dediſcenda, ut ejus uſum facere poſſis. Turpe omnino eſt viro, ſi peccat in ea, quæ puer didicit.

§. 85.

Abſurditas ejus, qui mundi creationem negat, aſeitatem affirmat.

Si quis de exiſtentia Dei dubitat, aut eandem negat, quia nullam habet notionem productionis ex nihilo, ſeu materia nulla præexiſtente; non obſtante eadem difficultate admittit mundum eſſe ens a ſe, & negatio illius, affirmatio hujus contra rationem eſt, non contra. Nos nullam habere notionem potentiæ creatricis, qua ſcilicet quid producitur nihilo extra producentem exiſtente, quod per modum materiæ in actualitatem influere poſſit, verum omnino eſt (§. 32.), cum oſtendere non poſſimus, quomodo poſſibile ſit, ut ex nihilo quid producatur. Enimvero non minus certum eſt, nos nullam habere notionem aſeitatis materiæ aut mundi materialis (§. 30.), cum nec demonſtrare valeamus, quod poſ-

ſibile ſit, ut materia, vel mundus materialis neceſſario exiſtat. Quodſi ergo quis de exiſtentia Dei dubitat, aut eandem negat, quia nullam habet notionem productionis ex nihilo, is ſumit in caſu dubitationis, incertum eſſe, utrum id ſit, nec ne, cujus nullam habet notionem, in caſu negationis, impoſſibile eſſe ut ſit id, cujus notionem nullam habemus. Quodſi vero admittit, mundum eſſe a ſe, tacite ſupponit, non eſſe dubitandum de exiſtentia ejus, cujus nullam notionem habemus, immo affirmat, id eſſe, quod num poſſibile ſit oſtendi nequit. Patet itaque eadem difficultate ſubſiſtente admitti aſeitatem mundi, ob quam rejicitur creatio mundi ex nihilo, conſequenter de exiſtentia Dei vel dubitatur, vel negatur. *Quod erat primum.*

Quando vero quis negat mundum ex nihilo a Deo produci potuiſſe, affirmare utique tenetur, eum neceſſario exiſtere, conſequenter rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ in eſſentia ſua habere (§. 309. *Ontol.*). Enimvero nec materia tanquam maſſa uniformis ſpectata rationem ſufficientem in ſe continet (§. 30.), nec talem continent corpora, ex quibus mundus compoſitus, nec ipſe mundus, tanquam ens compoſitum, cujus eſſentia conſiſtit in modo, quo res finitæ datæ, non aliæ inter ſe connectuntur (§. 59. *Coſmol.*), ſicuti omnium corporum in modo compoſitionis (§ 140. *Coſmol.*), immo in mundo non continetur ratio ſufficiens actualitatis eorum, quæ in ipſo contingunt (§. 90. *Coſmol.*). Contra rationem igitur affirmatur, mundum eſſe a ſe, negatur productionem ex nihilo eſſe impoſſibilem. *Quod erat ſecundum.*

Ex

Ex adverſo autem, qui negat, mundum eſſe ens a ſe, id ideo negat, quia in eo non continetur ratio ſufficiens exiſtentiæ ſuæ & eorum quæ in ipſo contingunt, vi principii rationis ſufficientis (§. 70. *Ontol.*), & vi ejusdem principii infert, eum exiſtentiæ ſuæ rationem habere in alio, conſequenter ab eo factum eſſe, & quidem ex nulla materia præexiſtente (§. 30.), ſicque poſſibilitatem productionis ex nihilo a poſteriori agnoſcit (§. 170. *Ontol.*), etſi a priori, cum notionem nullam ejus habeamus, demonſtrare eandem nequeat. Qui ergo affirmat dari Deum, qui mundum ex nihilo produxit, negat hunc eſſe ens a ſe, nihil affirmat, vel negat, quod ſit contra rationem. *Quod erat tertium.*

Videmus itaque ſibimetipſis contradicere atheos. Negant exiſtentiam Dei, ne quid admittere videantur tanquam verum, cujus nullam notionem habent, unde ejus poſſibilitas a priori patet: affirmant mundum eſſe ens a ſe, quamvis aſeitatis mundi nullam habeant notionem, per quam pateat ejus poſſibilitas a priori. Quoniam itaque negantes ſumunt, non eſſe admittendum tanquam verum, cujus nullam habemus notionem, unde ejus poſſibilitas a priori patet; ſtante ipſorum principio nec affirmare poſſunt, mundum eſſe ens a ſe. Affirmantes itaque ſibi concedere volunt, quod ipſi falſum pronunciant, dum exiſtentiam Dei impugnant. Ecce igitur tibi acumen, quo ſe ceteris præſtare ſibi videntur athei, ablepſiam aliis objicientes, qua ipſimet maxime laborant! Ecquis enim concipere potuerit tantam ablepſiam, niſi in homine, qui affectuum impetu præpeditam habet mentem, ut cernere non poſſit, quod alias videt, quando id contrariatur ſententiæ ſuæ. Inprimis autem probe conſiderandum eſt, quod in parte ſecunda & tertia propoſitionis præſentis demonſtratum eſt, atheos in affirmando & negando impingere in principium rationis, &

 mal-

malle opinari quæ sunt contra rationem, quam ut quicquam admittere videri malint, quod rationem ipsorum transcendit, etsi talia innumera indies admittant & admittere debeant, cum exiguus sit eorum numerus, quæ a priori a se agnosci gloriari possunt: ex adverso in refutanda aseitate mundi & demonstranda ejus productione ex nihilo, seu ex nulla materia præexistente, ab ente, quod a mundo & rebus in eodem existentibus, prorsus diversum est, facta nihil asseritur, nihil negatur, nisi quod affirmari, vel negari jubet principium rationis sufficientis. Judicent enim ipsimet athei, num acutior dicendus sit, qui omnem rationis usum ejurare tenetur, ut ea, quæ affirmat, vel negat, affirmare, vel negare possit, an vero is, qui nihil affirmat, nihil negat, nisi quod rationi convenit, vel repugnat. Athei omnino se irrationales probant, dum ratione supra ceteros omnes eminere volunt. Quod dubitantem attinet, is non perinde ac atheus sibimetipsi adversatur, cum de aseitate mundi non minus dubitet, quam de ejus productione ex nihilo. Quamobrem quæ de absurditate athei dicta sunt, ad eum applicanda non sunt. Eximenda ei sunt saltem dubia nullitatem eorum ostendendo; id quod haud difficulter fieri potest, si necessitas admittendi creationem ex nihilo per ea, quæ de existentia Dei a posteriori probanda dicta sunt, evincatur, atque ad animum eidem revocetur, quod indies in dubium non revocare ausit, quod quædam sint, etiamsi a priori non intelligat, quomodo esse possint.

§. 86.

Absurditas hypotheseos atheorum de ortu mundi. *Hypothesis atheorum, quod rudis & indigesta atomorum moles motu fortuito in hanc formam digesta fuerit, quam mundus habet, nititur principiis precariis & contra rationem fingitur, neque emendatur, si atomi diversis qualitatibus prædita vestiantur vi attractice, qua similes se mutuo attrahunt, dissimiles se mutuo repellunt.*

pellant. Cum enim non demonstrent athei, quod nec demonstrari potest (§. 50. *part. 1. Theol. nat.*); mundum esse ens a se precario sumunt (§. 489. *part. 2. Theol. nat.*), nec inde atomorum existentiam necessariam inferre possunt, sed precario sumunt (§. 600. *Log.*), & repugnante principio rationis sufficientis, ideoque contra rationem statuitur, atomos hasce esse entia a se (§. 53. *part. 1. Theol. nat.*). Quoniam motus, quo atomi rudem & indigestam molem constituentes in ordinem digestæ finguntur, tribuendus casui puro (§. 94. *Cosmol.*), casus autem purus impossibilis est (§. 95. *Cosmol.*), precario quoque ipse sumitur & tanquam principio rationis sufficientis adversus contra rationem (§. *cit.*). Si vero vel maxime ponantur atomi materiales diversarum qualitatum & supponatur eas vi intrinseca moveri, ne unico tamen exemplo rei cujusdam in mundo obvio doceri potest, multo minus autem ex iis, quæ sumuntur, demonstrari, quomodo corpora tam totalia, quam partialia hanc formam, quam nunc habent, induere & in hunc ordinem, qui conspicitur, redigi potuerint. Nulla igitur consequentia ex iis, quæ sumuntur, infertur, quod mundus hic adspectabilis motu fortuito atomorum in hasce formas & hunc ordinem redactarum ortus fuerit. *Quod erat unum.*

Quodsi atomi induantur vi attractrice, cujus ope atomi similes se mutuo attrahunt, dissimiles se mutuo repellunt; cum nulla detur ratio, cur istiusmodi vis atomis inesse debeat, perinde ac figura atomorum materialium (§. 190. *Cosmol.*), qualitas occulta est (§. 189. *Cosmol.*) & cum sumatur tanquam entitas a materia diversa eidemque superaddita, aliis nimirum particulis se mutuo attrahenti-

bus & attractione mutua ad unionem tendentibus, aliis se mutuo repellentibus & ab unione abhorrentibus, terminus inanis est (§. 18. *Log.*) Immo fingi nequit ulla lex attractionis, qua atomi sese mutuo attrahentes ita uniri possint, ut structura vel unius saltem organi in corpore animali prodeat, quascunque tandem figuras atomis tribueris. In emendatione igitur hypotheseos atheorum de ortu mundi ex fortuito concursu atomorum nihil sumitur, quod non sit precarium, & per quod intelligibili modo quidpiam eorum explicatur, quod explicandum. Quamobrem si vel maxime atomi diversis qualitatibus praeditae vi attractrice vestiantur, qua similes se mutuo attrahunt, dissimiles se mutuo repellunt, hypothesis tamen atheorum de ortu mundi minime emendatur. *Quod erat alterum.*

Moderni athei, qui nomen suum publice profitentur, materialistae sunt, notiones primas a sensu unice derivant, nec ultra eum progrediuntur in imaginariis acquiescentes, & materiae vim attractricem tribuunt, qua similia uniuntur, dissimilia ab unione repelluntur. In notionibus primis sequuntur *Lockium* in Tentamine de Intellectu humano tanto quidem majore fiducia, quod videant Geometras in notionibus istis imaginariis acquiescere posse. Materialismum in Anglia multo conatu defendit *Hobbesius* & plurimos reliquit sectatores, cui cum faveant principia *Lockii*, qui quidem materialismum defendere ausus non fuit, possibilem tamen statuit & scepticismum de animae immaterialitate introduxit; tanto avidius eum amplectuntur athei, quod consentiat cum dogmatis *Lucretii* de natura rerum, quem magistrum venerantur. Notum est *Gilbertum* Anglum edidisse Philosophiam magneticam, in qua phaenomena naturae per vim attractricem, qualem in magnete conspicimus, explicare aggressus est: cujus hypothesin ad explicandas causas mo-

cuum

tuum; cœleſtium tranſtulit *Keplerus* in Epitome Aſtronomiæ Copernicanæ. Cum *Iſaacus Nevtonius* in Principiis Philoſophiæ naturalis mathematicis Geometriam ad explicandam naturam transferret, exemplo *Archimedis* & inprimis *Galilei*, & in natura Geometrice tractanda felices feciſſet progreſſus, in explicando autem motu ſiderum *Keplerianas* hypotheſes ſumeret, ut ideo a *Wiſthono* philoſophiæ Neutonianæ parens dictus fuerit *Keplerus*, ac leges quasdam attractionis generales dediſſet; attractiones a *Carteſio* & in Anglia a *Roberto Boyle* aliisque feliciter profligatæ quaſi ab orco in Philoſophiam revocatæ & ſic tandem ex *Gilberti* attractionibus magneticis & *Lockii* notionibus imaginariis ex tabula raſa *Ariſtotelis* derivatis, cui Tentamen ſuum ſuperſtruxit, enata eſt Philoſophia, quæ dicitur, Neutoniana, cui cum quandam autoritatem conciliaverit nomen *Neutoni*, Geometræ ſummi, cujus eminentia in Matheſin merita nunquam ſatis prædicabuntur, eam ſuam faciunt Athei moderni, quod tanta autoritas faveat ipſorum faſtui, quo ſemet tanquam ceteris omnibus acutiores ſupra omnes extollunt. *Neutono* debetur mathematica naturæ cognitio longe ultra terminos *Archimedis* & *Galilei* promota, quam ſi Philoſophiam Neutonianam cum *Pembertono* & aliis dicere volueris, per me hoc licet, utut ego cognitionem mathematicam a philoſophica diſtingvam (§. 17. *Diſc. prælim.*), ac ipſe *Neutonus* in Princip. lib. 1. ſch. prop. 69. fateatur ſe quantitates & proportiones mathematicas ſaltem expendere, non vero cauſas & rationes phyſicas explicare velle, & in appendice ad Opticam quæſt. 18. ipſe ſtabilire nitatur fluidum quoddam æthereum quod exhauſto ope antliæ neumaticæ aëre in vacuo adhuc ſuperſit & ſpatia cœleſtia repleat. Philoſophiæ autem iſtius, ad quam nonnulli nomen *Neutoni* perperam trahunt & quam modo dixi, *Neutonus* autor dici minime poteſt. Nullum igitur pondus accedit hypotheſi atheorum modernorum de ortu mundi, ſi vel maxime glorientur, ſe ex Philo-

Philoſophia Neutoniana hypotheſin *Lucretii* de concurſu fortuito atomorum emendaſſe, ſi vel maxime quidam fuerint, qui autoritate, non ratione eam ponderant, nec emendatores iſti parum felices jure ſibi blandiuntur, quaſi acumen *Neutoni*, quod in Matheſi prodidit tot ſpeciminibus egregiis, participent. Defectus igitur acuminis, qui in ipſis notatur vi demonſtrationis, ipſis proprius eſt. Quodſi majore acumine in diſcutiendis principiis uterentur, non tam turpiter errarent, nec ſibi viderentur, qui non ſunt. Crepant præjudicia aliis a prima infantia ingenita, & eos ſubſannant, quod iſta in ætate virili, immo ſenili nondum depoſuerint, cum tamen ipſimet præjudicia *Lockii* autoritate ipſis ingenita, quorum falſitas haud difficulter agnoſcitur, adeo tenaciter menti infixa habeant, ut ab iis liberari nequeant, non attendentes monitum *Carteſii*, ſemel in vita de omnibus eſſe dubitandum, ut, quæ tamquam vera amplexi ſumus, cum accuratæ diſcusſioni nondum pares eſſemus, accuratius examinemus, quando intellectu rectius uti didicimus. Quam turpiter in prima principia peccent, qui *Lucretii* concurſum fortuitum atomorum defendunt, vel eum ex pſeudophiloſophia *Neutoniana* emendare ſtudent, facili negotio deprehendet, qui tantummodo conſiderat, nihil eſſe ſumendum, niſi quod ſufficienter explicari, ut intelligatur, & ſufficienter probari poſſit, ut certum agnoſcatur, modo in Logica diligenter verſatus non ignoret, quid ad ſufficientem explicationem & probationem requiratur, multo clarius idem perſpecturus ſi in Metaphyſicis diligentiam ſuam deſiderari paſſus minime fuerit. Nimis enim prolixum foret, ſi abſurditatem hypotheſeos de ortu mundi, quam in propoſitione præſenti breviter perſtringimus, uberrime declarare vellemus, quamvis non inutilem operam ſumeret, qui hanc telam pertexeret.

§. 87.

§. 87.

Quoniam *athei* Deum mundi factorem agnoscere nolunt, quia comprehendere nequeunt, quomodo is eundem ex nihilo, seu nulla materia præexistente produxerit (§. 85.), ipsorum autem hypothesis de ortu mundi nonnisi abortus imaginationis est, rationi sanæ adversus (§. 86.); *dum in aliis minus recte reprehendunt, scilicet quod tradant, quæ ab homine ob limitatum ejus intellectum comprehendi nequeunt, in se laudari volunt, quod tradunt, quæ non ob naturam humanam incomprehensibilia sunt, sed quæ in se talia sunt, ut a nullo intellectu comprehendi possint.* *Absurditas ista ulterius ostenditur.*

Ortus mundi, quem fingunt athei, etiam emendatus, si superis placet, merum somnium est, non suave, quod ad delectandum saltem compositum, sed insulsum, quod pudeat Philosophum, ne dicam, Philosophiæ tyronem. Gratis enim sumuntur omnia, per quæ ortus mundi explicari debet, & quibus nulla respondet notio, cum creationis mundi notionem equidem nos habere nequeamus, deficiente exemplo in rerum natura, ejus tamen possibilitas demonstretur, quia per principia rationis non intelligitur modus alius, quo mundus ad existentiam perduci potuerit, quemadmodum apparet ex systemate nostro Theologiæ naturalis.

§. 88.

Si quis de existentia Dei dubitat, vel Deum existere negat quia ei tribuuntur attributa nobis prorsus incomprehensibilia; is originem rerum in serie contingentium in se incomprehensibilia fingit, etiamsi precario sumat universam corporum totalium compagem ab æterno fuisse, qualis nunc est. Negari non potest, nos Deo tribuere attributa, quæ non modo homini omni, *De incomprehensibilitate attributorum & eidem opposita*

incomprehensibilitate status primi mundi

mni, sed omni enti intellectu finito prædito, qualecunque tandem fingatur respectu intellectus humani, prorsus incomprehensibilia sunt. Tribuimus enim Deo intellectum, quo omnia possibilia tam absolute spectata, quam in certa systemata redacta (§. 155. *part. 1. Theol. nat.*), prorsus distincte, ut in ideis ipsius nihil confuse percepti insit (§. *part. 1. Theol. nat.*) atque simul cognoscit (§. 160. *part. 1. Theol. nat.*), & omnem rerum nexum tam quoad spatium, quam quoad tempus penitus perspicit, ita ut in quolibet minimo quod est in universo, videat totum universum (§. 161. *part. 1. Theol. nat.*) & quo omnia intuitive cognoscit (§. 207. *part. 1. Theol. nat.*), ipsas quoque veritates universales quascunque (§. 162. *part. 1. Theol. nat.*), ac ideo ipsi omnia, quæ in mundo eveniunt (§. 232. *part. 1. Theol. nat.*), ipsa etiam decreta libera animarum nostrarum ab æterno præscibilia fuisse (§. 233. *part. 1. Theol. nat.*), & quæcunque in mundo contingunt, recordabilia esse (§. 239. *part. 1. Theol. nat.*), ut scilicet nullius eorum, quæ facta sunt, unquam oblivisci possit. Tribuimus Deo rationem, quo omnem veritatum universalium nexum intuitive (§. 272. *part. 1. Theol. nat.*) & simul cognoscit (§. 273. *part. 1. Theol. nat.*), non demum unum ex altero colligens, quemadmodum nos facere tenemur (§. 274. *part. 1. Theol. nat.*), ita ut ratio ejus sit prorsus pura (§. 286. *part. 1. Theol. nat.*), nec ideo quicquam in concatenatione veritatum admittatur, quod saltem confuse percipiatur (§. 495. *Psych. empir.*). Tribuimus Deo voluntatem liberam (§. 321. & *seqq. part. 1. Theol. nat.*), qua hunc mundum ex ceteris ob majorem perfectionem, quæ ipsi inest, elegit (§. 325. *part. 1. Theol. nat.*). Tribuimus omnipotentiam,

tiam, qua ad actum perducere potest, quicquid possibile (§. 343. *part. 1. Theol. nat.*), quando id vult (§. 352. *part. 1. Theol. nat.*), ita ut ipsi sufficiat sola possibilitas intrinseca, nec quicquam praeterea praeexistere debeat, quod in actualitatem ejus, quod producendum, simul influat (§. 766. *part. 1. Theol. nat.*). Tribuimus Deo omnipraesentiam (1046. *part. 1. Theol. nat.*), ita ut totus toti mundo & totus singulis ejus partibus, seu rebus quibuscunque singulis (§. 1048. *part. 1. Theol. nat.*), praesens sit citra multiplicationem & diffusionem sui (§. 1049. *part. 1. Theol. nat.*). Non commemoramus cetera, quae inde pendent. Haec Dei notio, qualis concipienda, si ortum mundi a Deo repetere velimus, omnino talia continet, quae quomodo esse possint, comprehendere minime valemus, cum ab usu facultatum animae nostrae prorsus abhorreant, vi cujus intellectus, voluntatis & potentiae, ac praesentiae quoque quandam ideam habemus. Enimvero qui ens istiusmodi, quale Deum concipere tenemur, non admittere vult, is mundi aseitatem admittere tenetur. Qui vero statuit, mundum vi propria extitisse ab aeterno, aut sumere tenetur, extitisse ab aeterno rudem quandam & indigestam materiae molem, ex qua deinceps formata sunt corpora mundi tam totalia, quam partialia, & in eum ordinem, quem nunc habent, digesta, aut totam mundi compagem ab aeterno talem extitisse, qualis nunc est, & in corporibus totalibus tales partialium generationes & corruptiones contigisse, quales nunc contingunt. Quam incomprehensibilia fingantur de ortu mundi, sive ponatur materia extitisse per modum massae uniformis indigestae, sive per modum congeriei atomorum materialium diversis qualitatibus praeditarum, ex modo demonstratis apparet (§. 86.).

Enimvero quamvis difficultates istæ sublatæ videantur, si ponatur, mundum ab æterno per se talem extitisse compagem, qualem nunc conspicimus, & in corporibus partialibus continuas fuisse generationes & corruptiones, quales nunc observamus; nondum tamen difficultas omnis evanescit, sed in scyllam incidit, qui charybdin vitare vult. Etenim cum incomprehensibilitas progressus rectilinei in infinitum, quem impossibilem esse ostendimus (§. 93. *Cosmol.*), statim in oculos incurrat, inextricabilis difficultas oritur circa primum mundi statum, a quo deinceps in serie contingentium dependent sequentia a præcedentibus per modum effectus a sua causa (§. 89. *Cosmol.*). Et ista progressus rectilinei impossibilitas animadversa in causa fuit, ut fingeretur chaos æternum, ex quo deinceps fortuito quodam motu enatæ sunt formæ rerum. Enimvero alii acutiores cum animadverterent, sic nodum non solvi, sed secari, & difficultates insolubiles nasci; nihil sibi restare viderunt, quam ut ad progressum in infinitum circularem tanquam ad sacram quandam anchoram confugerent, ideoque statuerent, mundum ab æterno extitisse ea forma, quam habet, & dari continuas in eo revolutiones, ita ut quilibet status, veluti præsens, ineffabili quodam annorum numero elapso restituatur (§. 471. *part.* 2. *Theol. nat.*). Cum qui dependentiam mundi a Deo non admittit progressum circularem in infinitum independentem admittere teneatur (§. 478. *part.* 2. *Theol. nat.*); effectum ultimum in una revolutione agnoscere tenetur pro causa causæ primæ in revolutione sequente (§. 477. *part.* 2. *Theol. nat.*), quamvis ostendere nequeat, quomodo per statum ultimum in revolutione restituatur primus, nisi pro lubitu fingere velit, quæ libuerit, & quæ precario sumta incomprehensibilia sunt. Enimvero quæ Deo tribuuntur attributa,

buta, eadem eidem tribuenda esse ac homini, immo intellectui finito incomprehensibilia esse debere ostendimus. Postquam enim demonstravimus existere Deum non ex iis, quæ precario sumuntur, sed quæ in mundo observamus, nec aliter sese habere posse in Cosmologia demonstramus (§. 69. *part. 1. Theol. nat.*), porro ostendimus, talia Deo tribuenda esse prædicata, ut per ea intelligatur, cur mundus hic adspectabilis cum animabus nostris potius existat, quam non existat, & cur hic potius existat, quam alius (§. 115. *part. 1. Theol. nat.*), & quæcunque eidem vindicantur attributa, vi hujus principii demonstrantur. Atque ideo non sumimus, sed evidenter ostendimus, Deo convenire istiusmodi intellectum, istiusmodi voluntatem & potentiam istiusmodi, qualem modo commemoravimus, atque ipsimet demonstramus intellectus divini (§ 174. *part. 1. Theol. nat.*), voluntatis (§. 359. *part. 1. Theal. nat.*) ac potentiæ divinæ soli Deo propriæ (§. 767. *part. 1. Theol. nat.*), atque a potentia naturæ & animarum nostrarum specie differentis (776. *part. 1. Theol. nat.*) incomprehensibilitatem, ut propter eam existentiam Dei in dubium vocari rationi repugnet.

Apparet hinc denuo absurditas athei, qui ne Deum nobis incomprehensibilem admittere cogatur, de primo statu mundi, vel revolutionum, per quas æternitatem mundi a Deo independentis salvare conatur, sumit incomprehensibilia. Ostendimus primum statum mundi per essentiam & naturam intelligibili modo explicari non posse (§.771. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem non est, quod miremur, atheos, qui Deum esse negant, a quo mundus quoad actualitatem suam dependet, ubi statum primum mundi explicare volunt, fabulas nobis narrare, quas pro vero haberi ratio prohibet, immo quas insulsas ridet, quamprimum audit, qui non o-

mnem rationis usum ejuravit, aut impia hypothesi præpeditam habet mentem, ut adeo superfluum ac inutile foret istiusmodi nugas referre, nedum iis refutandis ullam impendere operam. Monuimus jam alias (not. §. 477. part. 2. Theol. nat.), ipsos atheos agnoscere, primum mundi statum diversum concipi debere ab eo, qui nunc est, ut alius fuerit modus, quo actualitatem consecuti sunt homines, animalia & plantæ, una cum rebus ceteris, quam quo nunc generantur. Ast cum hunc statum explicare volunt, ne prorsus gratis diversitatem asseruisse videantur, natura rerum invita, ad fictiones omni ratione destitutas, immo principio rationis sufficientis adversas delabuntur. Atheismus igitur ab absurditate liberari nequit, cum ex adverso in Theologia naturali nihil tradatur, nisi quod cum eodem consentit, & ad quod ipsummet nos recta via ducit, si quidem eo tanquam cynosura utamur. Nihil hic asserimus, nisi cujus oculatam fidem damus in utroque Tomo Theologiæ naturalis. Illud vero adhuc notandum est, nullam prorsus esse rationem, cur incomprehensibilitas attributorum divinorum ullam nobis difficultatem facessat. Per ea nimirum Deum concipimus tanquam ens perfectissimum ipsi tribuentes non alias perfectiones, quam quarum notiones prodeunt, si notiones distinctas eorum, quæ animæ nostræ per essentiam & naturam ejus insunt a limitationibus liberemus (§. 1095. part 1. Theol. nat.). Quoniam itaque ostendimus, ens istiusmodi esse possibile (§. 13. part. 2. Theol. nat.), ex ejus autem possibilitate necessario sequitur ejus existentia necessaria (§. 21. 28. part. 2. Theol. nat.); nulla prorsus ratio est, cur ob incomprehensibilitatem nobis suspecta evadat existentia ipsius, ideoque multo minus ea sufficit ad existentiam Dei prorsus negandam. Ceterum non inconsultum duco, ut quædam hic observentur de argumento, quo nonnulli utuntur ad probandam existentiam Dei, a perfectione hujus mundi desumto. Diximus in Ratione Prælectionum, cum, qui

qui eodem utuntur sumant, mundi perfectionem repugnare aseitati ejusdem, ut ideo admittendus sit opifex, qui opus tam artificiosum produxit, id ad convincendum atheum nihil facere, quia is regerit, te sumere ens multo perfectius mundo, quod a se tibi concedendum, ut concipias mundi existentiam, qui a se ideo existere non possit, quia nimis perfectus est. At hoc minime obstat iis, quæ de incomprehensibilitate entis summe perfecti ejus existentiæ non repugnante dicta sunt: cum hic tacite non supponamus, ens, quod admodum perfectum est, a se esse non posse, nec ad demonstrandum existentiam Dei sumamus, mundum ob perfectionem suam a se esse non posse. Perfectio mundi non ratio est, cur ex hujus existentia Dei existentiam inferamus, sed contingentia ejusdem (§. 15.), cum nec ex eo, quod opus artificiosum perfectum sit, artificis existentia colligatur (§. 16.). Opus laudat artificem, quatenus perfectum est; non vero probat existentiam artificis nisi quatenus constat, istiusmodi opus sine arte atque opera artificis existere non posse. Alia longe ratio est, si ex perfectione summa, quæ sumitur, postquam ejus possibilitas evicta, ideoque non precario, infertur entis eadem gaudentis existentia necessaria: tum enim infertur, nisi quod in perfectione summa continetur, quemadmodum numerus angulorum ternarius ex numero ternario laterum figuræ tribus lateribus comprehensæ, neque hic tacite supponitur, ens ob perfectionem essentialem a se esse non posse. Qui contra atheos disputare vult, nihil committere debet, quod defectum acuminis arguit, cum eundem in ipso redarguere debeamus. Condidimus nos systema Theologiæ naturalis: condat atheus systema atheismi eadem methodo, qua nos systema nostrum adornavimus. Exemplo patebit, eum multa sumere, quæ probare nequit, cum ex adverso nos non sumamus, nisi sufficienter probata & explicata, quantum sufficit ad intelligendum, quid dicatur, ubi rem concipiendam talem esse ostendimus,

mus, ut per naturam intellectus humani comprehendi nequeat, etsi semper demonstrari possit ejus possibilitas, cum in genere evictum fuerit, realitatem in gradu absolute summo possibilem esse (§. 12. *part. 2. Theol. nat.*). Quodsi atheus hebetior fuerit, quam ut demonstrationes, quales systemati veri nominis conveniunt, capere possit, vel impatientior, quam ut tantum operæ iis penitus perspiciendis impendere velit, quantum requiritur; agnoscat, si revera sapit, imbecillitatem intellectus sui, aut defectum amoris veritatis. Quicquid horum sit, Thrasoniano fine concludere intelligitur, dum ablepsiam suam in antagonistas transfert.

§. 89.

Dubitatio & negatio existentiæ divinæ ob mala physica & moralia in mundo.

Si quis dubitat dari Deum, aut prorsus negat, quia dantur in mundo mala physica & moralia; ostendendum est, ea nihil derogare perfectioni mundi, nec repugnare intellectui divino perfectissimo & voluntati optimæ, seu sapientiæ ac bonitati summæ. Etenim si quis dubitat, aut prorsus negat, dari Deum, qui mundum fecit, quia in eo dantur mala physica & moralia, is sumit, mundum fore perfectiorem, si omnia mala physica & moralia ex eodem exularent, & Deum potuisse hunc mundum & res, quæ in eodem sunt, ac inprimis hominem aliter facere, quam fecit, consequenter concipi minime posse, quod factus sit ab ente, cujus perfectissimus sit intellectus & optima voluntas, quodque sit sapientissimum ac summe bonum. Quodsi ergo ostenderis, mala physica & moralia nihil derogare perfectioni mundi (§. 497. *part. 2. Theol. nat.*), nec repugnare intellectui divino perfectissimo & voluntati optimæ, seu sapientiæ ac bonitati summæ; ratio dubitationis (§. 499. *part. 2. Theol. nat.*), vel negationis tollitur, consequenter nec amplius

amplius dubitare, vel negare poteſt, quod Deus exiſtat, niſi hypotheſis impia alia de cauſa ſeſe ipſi commendet, ut potius non eſſe, quam eſſe Deum mallet. Quodſi ergo quis dubitat dari Deum, aut prorſus negat, quia dantur in mundo mala phyſica & moralia; oſtendendum eſt, ea nihil derogare perfectioni mundi, nec repugnare intellctui divino perfectiſſimo & voluntati optimæ, ſeu ſapientiæ ac bonitati ſummæ.

Ardua omnino eſt doctrina de exiſtentia malorum phyſicorum & moralium in mundo, ſi cum intellectu Dei perfectiſſimo & voluntate optima, ideoque cum ſapientia & bonitate divina concilianda, nec negari poteſt, bonam cauſam a plurimis male defendi, ipſis etiam Theologis, qui vel in omni philoſophia ſunt plane hoſpites ac peregrini, vel ſaltem non ſatis in ea verſati. Conducit inprimis accurata diſcuſſio notionum ontologicarum, quæ exemplo *Carteſii* ob Scholaſticorum obſcuritatem prorſus negliguntur, ut de confuſis ad diſtinctas revocandis non cogitetur, vel autoritate *Lockii* in imaginarias convertuntur, ut deceptrices evadant. Nos notiones iſtas in Ontologia ſeu Philoſophia prima explicavimus, quibus lux affunditur doctrinæ huic arduæ, & in ſyſtemate noſtro, quod in parte prima Theologiæ naturalis continetur, paſſim omnia demonſtravimus, quæ tollendis dubiis quibuscunque ſufficiunt. Non diffiteor, extra ſyſtema nos veritatis eorum omnium non eadem evidentia convinci poſſe, quamadmodum convincimur, ſi integrum ſyſtema ea, qua opus eſt, diligentia a capite usque ad calcem pertractaverimus. Si cui nimis longa viſa fuerit hæc via; is ſciat, non dari viam regiam ad ſcientiam hanc arduam. Ut vero temeritatem ſuam agnoſcat, perpendat velim, utrum jure poſtulet, nec ne, ut extra ſyſtema Elementorum *Euclidis* eadem evidentia convincatur veritatis alicujus theorematis, quemadmodum

is, qui Elementa *Euclidis* a capite usque ad calcem debita diligentia pertractavit, aut ut convincatur veritatis cujusdam astronomicæ, quemadmodum Astronomus, si ignoret principia *Euclidea*. Qui talia postulat, is ignorat, quænam principia sint præsupponenda, si quis convinci debeat veritatis (§. 991. 992. *Log.*), & quomodo assensus firmus ac immotus, qualem requirit plenaria convictio, oriatur (*not.* §. 992. *&* *s.* 993. *Log.*). Equidem quæ in systemate demonstrantur, ad sensum communem reduci possunt ac debent in gratiam hebetiorum; quæ tamen hinc oritur persuasio cum convictione minime confundenda. Legantur ea, quæ de convictione in systemate Logico demonstravimus, quamvis nec hic fieri poterit, ut penitus perspiciantur omnia, nisi quis integrum systema attenta mente pervolverit.

§. 90.

Num notio Dei a politicis conficta. *Si atheus contendit, notionem Dei plebis indomitæ coercendæ causa fuisse confictum, aut a particulari ad universale, aut a posse ad esse argumentatur.* Negari utique non potest, quod fieri potuerit, ut Politici animadvertentes solo pœnarum metu plebem indomitam a male agendo deterreri minime posse, sed ubi efficacia illius desinit, metum tamen Dei adhuc vim suam exerere in animis hominum, & perpendentes quantam vim habeat religio, finxerint Deos hominibus male agentibus mala, bene agentibus bona immittentes (*not.* §. 436. *part. 2. Theol. nat.*). Quamobrem si vel maxime uno vel altero exemplo athei probare possint, Deos plebis indomitæ coercendæ causa fuisse confictos; nondum tamen demonstratum est, apud omnes gentes, quæ Deum unum, vel plures coluerunt, notionem Dei a Politicis confictam fuisse. A particulari igitur ad universale guramentantur. *Quod erat unum.*

Quodsi

Quodsi considerent, metum Dei esse utilem ad coercendam plebem indomitam in civitate, & quod sine eo nullus foret usus juramentorum, quem tamen maximum esse in foro, constat sive causas civiles, sive criminales spectes, quod tanquam a posteriori satis notum hic sumimus; hinc saltem apparet ratio, cur Politici notionem Dei fingere potuerint, si vel ignorarunt dari Deum, vel de existentia ejus dubitarunt, aut eandem prorsus negarunt (§. 56. *Ontol.*). Quoniam vero inde saltem colligitur, quod notionem Dei fingere potuerint, nondum vero probatur, quod finxerit; si atheus contendit, notionem Dei plebis indomitæ coercendæ causa confictam fuisse, quia metus Numinis ad eam coercendam utilis, a posse ad esse argumentatur. *Quod erat alterum.*

Non ignotum esse, quod dentur athei, qui sibi persuadent ad negandam existentiam Dei sufficere, si dicant, notionem Dei a Politicis fuisse confictam tanquam medium coercendi plebem, ubi metus pœnarum civilium non sufficit, aut locum minime habet. Demonstravimus equidem jam alias, falsum esse, quod notio Dei a Politicis conficta fuerit; non tamen propterea præsens propositio erat omittenda. Demonstratio enim ista facit ad refutandum atheos (§. 1017. *Log.*), præsens autem ad arguendum acuminis defectum, dum notionem Dei a Politicis confictam esse contendunt: id quod apprime est hujus loci, ubi redarguere volumus absurditatem atheorum, ut retundamus eorum fastum, quo se tanquam acumine præstantes super eos extollunt, qui Deum confitentur. Sane qui Deum confitemur, aut Deum concipimus tanquam ens perfectissimum, (§. 14. *part. 2. Theol. nat.*), cujus notionem non esse confictam demonstravimus (§. 13. *part. 2. Theol. nat.*), aut tanquam ens, in quo continetur ratio sufficiens existentiæ hu-

jus mundi adſpectabilis & animarum noſtrarum (§. 67. *part. 1. Theol. nat.*) & cui tribuenda ſunt talia prædicata, ut per ea intelligatur, cur mundus hic adſpectabilis cum animabus noſtris potius exiſtat, quam non exiſtat, & cur hic potius exiſtat, quam alius (§. 115. *part. 1. Theol. nat.*), qnam notionem non eſſe confictam, ſed via demonſtrationis erutam patet (§. 69. *part. 1. Theol. nat.*). Quando igitur nos notionem Dei demonſtramus, nihil ſumimus, quod non tanquam certum ſumi poſſit, ſive a poſteriori, veluti dum conſideratione hujus univerſi demonſtratur, ſive etiam a priori, veluti dum poſſibilitas entis perfectiſſimi evincitur, conſequenter non committimus vitia in argumentando, quæ committit atheus. Omni molimine ſuo nil aliud agit atheus, quam ut defectum acuminis prodat, quocunque ſe vertat, cum ex adverſo nos, qui Deum confitemur, ubivis tueatur principium rationis ſufficientis.

§. 91.

De vivendi licentia atheiſmum commendante.

Quibus atheiſmus placet ob vivendi licentiam, hi perperam ſumunt, ſi non detur Deus, non dari legem naturæ & hanc legem eſſe jugum homini impoſitum, felicitati ejus adverſum. Etenim quibus atheiſmus placet ob vivendi licentiam, hi ſibi perſuadent, ſi non detur Deus, qui puniat mala facta, ſibi facere licere pro lubitu, quicquid viſum fuerit, atque tum ſe eſſe felices, ſi cupiditatibus ſuis indulgere poſſint, nec eas refrenare cogantur. Quamobrem ſi nullus detur Deus, qui pœnarum metu nos obligare poſſit ad actiones noſtras liberas determinandas, nullam quoque dari legem naturæ, quæ urgeat abſtinentiam ab iis, ex quibus voluptatem percipimus & ad quæ tendit appetitus noſter, ut Dei cauſa omittenda non ſint, quæ voluptatem nobis creant. Enimvero ex eo quod ponatur non eſſe Deum

Deum inferri nequit, in actionibus hominum liberis nullum dari boni ac mali discrimen (§. 500. *part.* 2. *Theol. nat.*), nec ex impia hypothesi sequitur, non dari legem (§. 245. *part.* 2. *Phil pract. univ.*), immo nec sine legis naturalis custodia felices esse possumus (§. 399. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quibus ergo atheismus placet ob vivendi licentiam, hi perperam sumunt, si non detur Deus, non dari legem naturæ, & hanc esse jugum homini impositum, felicitati ejus adversum.

Licentia vivendi nihil pejus cogitari potest. Quodsi ea invalesceret inter homines in universum omnes, non modo quilibet sibimetipsi, verum etiam aliis quibuscunque noceret. Nemo tutus foret ab insidiis aliorum, cum unusquisque id sibi licere existimaret, quod potest. Constantes sunt hominum querelæ de miseria humana: ast fons omnis miseriæ licentia vivendi est. Quamobrem qui eam affectant, cum felicitatem inhiant, revera se in miseriam præcipites dari optant. Licentiam hanc restringit lex naturæ felicitatis communis causa, ut homo & sibi, & aliis prosit. Discrimen actionum liberarum bonarum & malarum non nascitur a voluntate superioris, qui potens est ut metu pœnarum obligationem introducere valeat; sed ex ipsa hominis natura, ita ut non homo sit, qui exlex esse cupit, quemadmodum sufficienter demonstravimus in parte prima Philosophiæ practicæ universalis. Athei igitur omnium absurdissimi sunt, qui virtutem aliam non dari profitentur, quam quæ sanctione pœnali superioris in civitate extorquetur. Intrinsecam actionum bonitatem & malitiam agnoverunt antiquissimi Philosophi, ipsa natura jus omne constitutum affirmantes, eandemque defenderunt ad *Puffendorfii* usque tempora unanimiter etiam Theologi. Et Sinenses, qui Deum ignorarunt, Philosophiam tamen moralem atque civilem, seu Ethicam &

Politicam præ aliis Gentibus excoluerunt summo studio, optimumque subditos obligandi modum non a sanctione pœnali, sed ab exemplo Imperatoris derivarunt (*not.* §. 80), quemadmodum jam olim me monuisse memini in Notis ad Orationem de Philosophia practica Sinensium. Ex hypothesi indifferentismi moralis & obligationis non aliter quam sanctione pœnali introducendæ necessario sequitur, si non datur Deus, quodlibet homini esse licitum, cumque nullum detur actionum humanarum intrinsecum discrimen, eas non aliter quam voluntate superioris in civitate bonas, vel malas effici, & quia non alia datur obligatio actiones certas committendi, vel omittendi, quam quæ sanctione pœnali introducitur, nec virtutem aliud quid esse quam habitum committendi, vel omittendi actiones, quarum commissio vel omissio metu pœnarum extorquetur. Nemo, puto, erit qui non ultro fateatur, atheismum tum demum maxime nocuum evadere, si moralitatem actionum tollit. Videant igitur, an non ipsimet atheismo patrocinentur, quod maxime pestiferum est eidem superaddentes, qui intrinsecæ moralitatis actionum humanarum & obligationis ex natura humana oriundæ defensores patrocinii atheismi insimulant. Mirareris insimulationem istiusmodi in hominibus, qui Theologi audiunt & præ ceteris pii vidari volunt, nisi abunde constaret, eos esse rationis hostes ac philosophiæ contemtores, ut ignorent, quænam ex iis, quæ sumuntur, necessaria consequentia fluunt, cumque contra alios argumento ab invidia ducto uti consueverint, tacite sibi persuadeant, nexum inter ea, quæ sumuntur, & quæ inde inferuntur, ipsorum voluntate effici, quemadmodum arbitrantur voluntate superioris effici moralitatem actionum. Mihi sane vox Theologo maxime indigna videbatur, cum me in falsam atque iniquam insimulationem patrocinii atheismi vocaturus exclamaret; cur actiones bonas committerem, nisi esset superior, qui me punire posset? a poëta Gentili canente: *oderunt peccare mali formidine pœnæ,* malis

malis annumeratus, cum ipse inter eos, qui pietate præstarent, eminere vellet. Discant hinc, quam necessarium sit, systemata veri nominis condi, ut necessarius veritatum nexus in aprico constituatur, ne inscii amplectamur errores nocivos, & præjudiciis occœcati tribuamus veritatis defensoribus, quæ ex illis necessario consequuntur. Discant vero etiam athei, se humanam naturam exuere velle, si indifferentismum moralem cum atheismo conjungant. Discant denique omnes, quibus ob vivendi licentiam atheismus se commendat, atheismum ipsis non prodesse, nisi ut tanto securius in propria viscera sævire sibi permissum esse putent, insania profecto pudenda.

§. 92.

De atheismo præcavendo.

Qui ab atheismo sibi cavere vult, perpendat necesse est, non ante negari posse existentiam Dei, quam demonstretur notionem Dei esse impossibilem, & ne in dubitationem de existentia Dei adducatur, sollicite inquirat, an non in argumentis contra existentiam Dei allatis quædam precario aut manifesto falsa sumantur, vel ex iis, quæ recte sumuntur, inferantur, quæ inde minime consequuntur. Nisi enim demonstretur notionem Dei esse impossibilem, cum saltem impossibile existere nequeat (§. 132. 133. *Ontol.*), incertum manet, utrum Deus existat, nec ne, consequenter nec vera agnoscitur propositio, Deum non existere (§. 505. *Log.*). Quamobrem cum atheus demonstrare nequeat impossibilitatem notionis Dei (§. 416. *part. 2. Theol. nat.*), ideoque negare non possit, dari Deum; qui ab atheismo sibi cavere vult, perpendat necesse est existentiam Dei non ante negari posse, quam demonstretur, notionem Dei esse impossibilem. *Quod erat unum.*

Enimvero quodcunque argumentum contra existentiam Dei mundi autoris proferat atheus, id in formam artis reda-

redactum vel vitio formæ laboret, vel vitio materiæ necesse est, quatenus nimirum atheus falsa principia supponit (§. 488. *part. 2. Theol. nat.*). Quodsi ergo quis sibi cavere velit, ne argumentis contra existentiam Dei allatis in dubitationem de eadem adducatur sollicite inquirere tenetur, an non in iisdem precario quædam principia, aut prorsus manifesto falsa sumantur, vel ex iis, quæ recte sumuntur, inferantur, quæ inde minime consequuntur. *Quod erat alterum.*

Aliquid esse non ante negari potest, quam demonstratum fuerit, id contradictionem involvere, consequenter id esse impossibile. Quamobrem si quis neget dari Deum, necesse est, ut demonstret, impossibile esse, ut existat Deus. Atheus igitur demonstrare tenetur, notionem Dei contradictionem involvere (§. 79. *Ontol.*). Non sufficit, ut ostendatur ens, cui talia attribuuntur, qualia Deo attribuimus, nobis incomprehensibile esse (§. 88.), cum perperam sumatur, id esse impossibile, quod nobis incomprehensibile, ac in præsenti præsertim casu ratio manifesta sit, cur incomprehensibile esse debeat, nimirum quia usu facultatum nostrarum admodum limitaturum ea fieri non possunt, quæ a Deo fieri affirmantur, veluti quod totum universum quoad omnem ejus statum prorsus distincte atque simul sibi repræsentet. Sane ipsa anima nostra continuo producit ideam totius universi, non modo quoad statum præsentem, verum etiam quoad omnes status præteritos & futuros (§. 190. *Psych. rat.*) & in eo assimilatur Deo. Ast non uno obtutu distincte comprehendit, quæ eidem insunt, sed propter limitationem facultatum animæ ad certas leges vi principii rationis sufficientis restrictarum quoad usum ea saltem clare ac distincte percipit, quæ juxta leges istas clare ac distincte perceptibilia sunt, quemadmodum satis patet per ea, quæ in Psychologia tam empirica, quam rationali tradita sunt. Atque in hoc differt a Deo,

a Deo; cujus intellectus illimitatus est, prouti differentia inter intellectum illimitatum & limitatum exigit. Nisi igitur ostendat atheus, intellectum illimitatum, quem Deo tribuimus, & sine quo concipi nequit, si autor esse debet hujus universi, contradictionem involvere, dari Deum negare nequit. Non autem verendum est, ne demonstret, cum contrarium ostenderimus (§. 416. *part. 2. Theol. nat.*), ut taceam nos notionem intellectus Dei non formasse per arbitrariam determinationem, sed via demonstrationis in parte prima Theologiæ naturalis ad eam pervenisse, ut de ejus realitate nullum dubium superesse possit. Quamvis itaque concedatur atheo, gentiles finxisse idola, quibus notio Dei veri minime convenit; non tamen hinc probatur, notionem veri Dei a Politicis fuisse confictam, cum immensa sit differentia inter notionem veri Dei & notiones idolorum, quæ Gentiles coluerunt. Immo si vel maxime quis contendat, notionem idolorum primitus effictam ab hominibus & agnita deinceps eorum absurditate alios eandem transformasse in notionem Dei, quem verum dicimus; non tamen aliud inde inferri potest, quam homines ab initio erroneas de Deo fovisse opiniones, quæ vero Deo agnoscendo occasionem dederunt. Ecquis vero est qui nesciat, haud esse insolens ut opiniones vel maxime absurdæ occasionem dent veritati investigandæ? Quod attinet rationes ad dubitationem injiciendam sufficientes, primo loco notandum est, aliud esse rem in medio relinquere, aliud de eadem dubitare. Qui enim rem in medio relinquit, is agnoscit, se ignorare, utrum quod dicitur verum sit, an falsum: ast qui dubitat, ejus assensus in alteram contradictionis partem propendet, non tamen sine formidine oppositi. Ut autem assensus propendeat in alterutram contradictionis partem, rationes sufficientes adesse debent ad dubitationem dandam: quæ si fuerint precariæ, vel etiam vitiosa argumentatione illatæ, pro sufficientibus haberi neque-

unt. Sed accuratior horum discussio ad Logicam probabilium pertinet. Dubitatio enim rationalis probabilitate nititur. Unum saltem adhuc monendum est de differentia, quam intercedere diximus inter dubitantem & eum, qui rem in medio relinquit. Nimirum ut quis rem in medio relinquat, subinde effectus dubitationis esse potest, quando nimirum dubitanti nullæ sunt assentiendi rationes ex utraque contradictionis parte, vel si quæ ex utraque prostant, videntur æque probabiles (§. 419. *part. 2. Theol. nat*). Tum enim tollitur dubitatio, quam primum in medio relinquitur, utra pars contradictonis vera sit. Quamdiu autem dubitatur, assensus in alterutram contradictionis partem indeterminate propendet, ita ut velis alterutri assensum præbere, etsi adhuc quasi erectus hæreat inter utramque, & rationes quærantur, quibus in alterutram inclinetur, sicque pronior efficiaris ad affirmandum, quam ad negandum, vel contra. Hæc qui perpendit, ultro fatebitur, examen argumentorum contra existentiam Dei in medium allatorum, quod in propositione præsente commendamus, sufficere tollendæ dubitationi de existentia Dei, eidemque præcavendæ. Majus vero præsidium adversus dubitationem in eo est, si rationes pro existentia Dei militantes cum argumentis contra eam prolatis conferas: quo fine in anterioribus istiusmodi comparationes instituimus, quæ non tantummodo ad retundendum atheorum fastum prosunt.

§. 93.

De præsidio contra atheismum & dubitationes de Deo.

Firmissimum contra atheismum & dubitationes de Deo præsidium petitur ex scientia ex systemate Theologiæ naturalis veri nominis hausta: si quis vero hebetior fuerit, quam ut demonstrationes capere possit, aut impatientior, quam ut capere velit, persuasio cum habitu implendi officicia erga Deum firmo præsidio est. Etenim qui scientiam ex systemate Theologiæ naturalis veri nominis sibi comparavit, is certam habet Dei cognitionem (§. 595. *Log*),

Log.), consequenter agnoscit vera esse omnia, quæ de Deo ex systemate didicit, ideoque fieri nequit, ut pro falsis eadem habeat (§. 28. *Ontol.*), aut ut ignoret, utrum ea pro veris, an pro falsis habere debeat, ac propterea in dubitationem adducatur (§. 417. *part. 2. Theol. nat.*). Præsidium itaque contra atheismum & dubitationes de Deo firmissimum petitur ex scientia ex systemate Theologiæ naturalis veri nominis hausta. *Quod erat unum.*

Enimvero qui saltem persuasus est, esse Deum & ipsi convenire ea, quæ eidem attribuuntur, cum scientia careat, utpote sine demonstratione non acquirenda (§. 598. *Log.*), ideoque insufficienter probatis assensum præbeat (§. 599. *Log.*), nonnisi opinionem habet (§. 602. *Log.*): quæ cum mutabilis sit (§. 604. *Log.*), fieri potest ut rationibus in contrarium allatis vel ad negandam existentiam Dei, vel in dubitationem de existentia Dei & attributis ejus adducatur. Quodsi tamen habitu pollet implendi officia erga Deum, re ipsa expertus est, quantum adjumentum ad culturam virtutis, sine qua nemo felix esse potest (§. 400. *part. 1. Phil. pract. univ.*), afferat pietas erga Deum (§. 344. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & quod Deus agnitione sui nostram intendat felicitatem (§. 74.): id quod ex tractatione sequente de singulis erga Deum officiis multo clarius adhuc elucescet. Quoniam itaque in agnitionem Dei propendet appetitus, qui naturaliter fertur in felicitatem (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*), in assensum influit & quod ad convictionem deest supplet, ut eidem quoad effectum æquipolleat persuasio ad veritatem facta. Quamobrem cum sibi eripi nolit medium felicitatis præstantissimum; persuasio cum habitu implendi officia erga Deum ei, qui vel habe-

tior est, quam ut demonstrationes capere possit, aut impatientior, quam ut capere velit, contra atheismum & dubitationes de Deo firmo præsidio est. *Quod erat alterum.*

Ex systemate veri nominis hauriri posse scientiam, non dubitabit qui novit, quid nomine systematis veri indigitetur. In systemate nimirum, quod tam augustum nomen meretur, veritates demonstrantur, demonstratio autem scientiam parit (§. 594. *Log.*). Vide, quæ de scientia ex libris haurienda demonstravimus (§. 409. 410. *part. 1. Eth.*). Condidimus systema Theologiæ naturalis in parte prima & minus completum in parte altera, in quo facile ex prima supplentur, quæ desunt, quamvis etiam in parte altera demonstrata sunt, quæ systemati in parte prima contento superaddi possunt, ut ideo non inconsultum sit, si utramque partem eadem diligentia pervolvamus. Scientiam vero, quam gignit demonstratio, non ferre, ut quæ scimus in dubium vocemus, multo minus ut eadem pro falsis habeamus, & alias jam demonstravimus (§. 427. *part. 1. Eth.*) & exemplo eorum confirmavimus, qui vi demonstrationis compulsi fuerunt ad præbendum assensum propositionibus *Euclideis* (*not.* §. 427. *part. 1. Eth.*). Quantum vero valeat influxus appetitus in assensum, ubi probationes sunt insufficientes, ad convincendum, in dies experimur, cum plerique homines parum apti sint, ut convincantur, opiniones tamen suas, quas veras esse volunt, firmissimo assensu complectantur: quæ sane ratio est, ut nonnulli assensum quasi natura sua ab appetitu pendulum esse statuerint, quia demonstrationis notione distincta carentes, nec ejus vim unquam experti, influxum appetitus in assensum indies experti fuerunt. Quamvis vero cavendum sit, ne appetitus in assensum influens in causa sit, ut errores, præsertim nocuos, amplectamur (§. 115. *part. 1. Eth.*), nil tamen obstat, ut hoc medio utamur ad firmandum assensum, qui præbetur veritati præsertim arduæ, qui casus propositionis præsentis est.

§. 94.

§. 94.

De affectatione atheiſmi ob acuminis gloriam.

Si quis atheiſmum amplectitur, ut acumine præſtare videatur; ei oſtendenda eſt ablepſia atheorum, ſeu defectus acuminis, quem ubivis produnt. Etenim ſi cui oſtendas ablepſiam atheorum, ſeu defectum acuminis, quem ubivis produnt (§. 84. & *ſeqq.*), is ſibi perſuaderere nequit, atheos ceteros omnes acumine ſuo vincere, ac ideo fore, ut acumine præſtans videatur, ſi atheiſmum profiteatur. Quodſi ergo quis fuerit, qui ideo atheiſmum amplectitur, ut acumine præſtans videatur, ei oſtendenda eſt ablepſia atheorum, ſeu defectus acuminis, quem ubivis produnt.

Qui atheiſmum amplectitur, ut acumine præſtare videatur, animadverſa ablepſia atheorum agnoſcit, ſe parum certo uti medio ad finem propoſitum conſequendum, ideoque profeſſione atheiſmi ad nominis gloriam non contendet. Notum eſt, quantum valeat affectus gloriæ in eo, qui ſibi perſuadet, ſe acutiorem aliis videri, ſi hanc, vel iſtam opinionem foveat. Hinc nimirum eſt, ut qui de veritate per ſe ſtatuere nequeunt eam ſententiam faciant ſuam, quam celebritas nominis autorum, præjudicium nationis, aut novitas commendat. Et in academiis invaluit hic mos, ut qui importune in docentium numerum ſe ingerunt, cum diſcentium ſubſellia occupare deberent, hoc artificio utantur ad juventutis ignaræ, credulæ ac deſidis applauſum ſibi conciliandum. Recentiſſimum exemplum habemus in iis, qui attractiones magneticas dudum exploſas tanquam cauſas phænomenorum naturalium in Phyſicam revocant, tanquam inventum novum *Newtoni*, quamvis autoritate viri ſummi abuſi (*not.* §. 86.). Immo huc pertinet integra perperam ſic dicta *philoſophia Newtoniana* (*not.* ſ. *cit.*). Plurimum ideo intereſt, ne acuminis gloria triumphet atheiſmus, ideoque bo-

næ causæ plurimum nocent, qui acuminis laudem atheis minime dubiam reddentes defendunt, intellectum nimis acutum ad errores noxios hominem seducere. Vide, quæ jam alibi de hoc præjudicio annotavimus (*not.* §. 104. & *not.* §. 213. *part. 1. Eth.*).

§. 95.

De iis, qui argumenta contra existentiam Dei & pro eadem allata ponderare nequeunt.

Qui argumenta contra existentiam Dei & pro eadem allata ponderare nequit imprudentiæ arguendus non est, si malit existentiam Dei defendentibus, quam atheis credere. Etenim qui argumenta contra existentiam Dei & pro eadem allata per se ponderare nequit, is ignorat, cuinam contradictionis parti assensum præbere debeat, consequenter utrum Deus detur, an non detur dubitat (§. 417. *part. 2. Theol. nat.*), nec pronior est ad affirmandum, quam negandum (§. 419. *part. 2. Theol. nat.*). Quodsi vero perpendit, quantum adjumentum ad culturam virtutis, sine qua nemo felix esse potest (§. 400. *part. 1. Phil. pract. univ.*), afferat pietas erga Deum (§. 344. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & quod Deus agnitione sui intendat nostram felicitatem (§. 74.), præsertim si hæc in seipso jam fuerit expertus (§. 272. *part. 2. Phil pract. univ.*), cum ex adverso sibi omnium maxime noceat, si ab atheismo vivendi licentiam sibi promittit, nemini sano probatam, sed omnibus bonis exosam (§. 91.); melius omnino esse agnoscit, ut affirmantibus dari Deum, quam negantibus credat. Quoniam itaque in casu dubio, in quo alterutrum eligendum, prudentiæ esse nemo diffitetur, ut eligatur id, quod est melius, aut tutius; si qui argumenta contra existentiam Dei & pro eadem allata ponderare nequit, existentiam Dei defendentibus, quam atheis eam negantibus (§. 411. *part. 2. Theol. nat.*), credere malit, propterea imprudentiæ arguendus non est.

Cum

Cum Christiani credant, impios ac sceleratos post mortem manere pœnas infernales; qui tutius esse affirmant, ut credamus Deum confitentibus, quam atheis, ad pœnas infernales potissimum animum attendunt. Enimvero cum ex principiis rationis de statu hominum post mortem nihil certi adhuc fuerit demonstratum, quamvis etiam gentiles de inferno & pœnis infernalibus multa commenti fuerint; in demonstratione metus pœnarum infernalium nullam mentionem facere voluimus, ne ubi cum atheis nobis negotium est ea, quæ certa sunt, in dubitationem, aut saltem in disceptationem non terminandam adducamus, inprimis cum non desint principia certa ad demonstrationem sufficientia. Et quamvis nec rationi impervium sit, quod Deus homines puniat ob male facta (§. 1078. *part.* 1. *Theol. nat.*); non tamen ignotæ sunt exceptiones atheorum, quas refellere non est eorum, qui argumenta contra existentiam Dei & pro eadem allata ponderare nesciunt. Consultius itaque visum fuit ad talia provocare, quæ unusquisque in se experiri potest, qui demonstrationes de pœnis divinis capere & justitiam Dei vindicativam adversus objectiones defendere nequit: ut taceam consultius esse in præsenti casu, ut Deum nobis repræsentemus tanquam ens amore, quam tanquam timore servili dignum, præsertim cum atheorum hæc sit opinio, nonnisi metum pœnarum Deos in mundum introduxisse, ut ideo omni animi contentione exaggerent absurditatem eorum, qui Deum confitentur, quod vano metu Deorum animos hominum torqueant. Turpiter vero confundunt athei more suo defectum acuminis ubivis prodentes, si rationem, ob quam in casu dubio eligitur, quod melius, vel tutius, venditent pro argumento, quo Dei existentia probatur, ut cum ratione insanire videantur, si imbecillitatem judicii Deum existere credentium traducere volunt.

§. 96.

§. 96.

Id porro expenditur. Quoniam imprudentiæ arguendus non est, qui, cum argumenta pro existentia Dei & contra eandem allata ponderare nequeat, existentiam Dei defendentibus credere mavult, quam atheis (§. 95.); ideo *nec reprehendendi sunt, qui hebetioribus, quam ut argumenta pro existentia Dei & contra eandem allata ponderare queant, persuadere student, consultius esse ut credant dari Deum, quam ut non credant.*

In præsenti casu non probanda est existentia Dei, sed saltem reddenda est ratio, cuinam potius credendum sit, num Deum confitentibus, an vero atheis. Qui enim propriis oculis cernere nequeunt, aliorum dictis fidem habere tenentur. Danda igitur est ratio, cur sententia affirmans, quam negans potius sit eligenda. Istiusmodi autem rationes non afferuntur eum in finem, ut evincatur existentia Dei, quemadmodum modo monuimus (*not.* §. 95.).

§. 97.

De disseminatione atheismi. *Atheus concedens opinionem de Deo esse medium coercendi plebem indomitam, stulte agit, si in vulgus disseminat opinionem, quod Deus sit figmentum Politicorum, quo plebis credulæ licentiam refrenare student.* Etenim si athei in vulgus disseminant opinionem, quod Deus sit figmentum Politicorum, quo plebis credulæ licentiam refrenare student, opinioni de Deo omnem vim coërcendi licentiam indomitam detrahunt. Quoniam vero eo ipso, quod contendunt, Politicos finxisse Deum, ut indomitam licentiam plebis refrenarent, concedunt, opinionem de Deo esse medium coërcendi plebem indomitam, stultitiæ autem sit per præcipitantiam statuere de mediis (§. 458. *part. 1. Eth.*); atheus omnino stulte agit, si opinionem de Deo medium esse concedit coer-

coërcendi plebem indomitam, in vulgus tamen disserminat opinionem, quod Deus non sit nisi figmentum Politicorum, quo plebis credulæ licentiam refrenare student.

Tanto major autem athei insania est, si simul aliis persuadere nititur, quod nulla sit actionum moralitas, nisi quam voluntas superioris, metu pœnarum civilium licentiam vivendi naturaliter homini competentem, quatenus eam statui civili adversam putat, refrenantis. Constat educatores multa fingere pueros, quorum imbecille adhuc est judicium, ad certas actiones committendas obligandi causa. Ecquis vero non rideret eorum stoliditatem, si ipsis dicerent, se omnia tantum fingere, quæ ipsis inculcant & quo fine fingant? Nulla est exceptio, quasi disseminatio atheismi non noceat Reip. quod pauci sint, qui doctrinam tam sublimem, quæ dicitur, capere possint, vulgus autem præjudicia de Deo, quibus ab incunabulis est imbutus animus, non deponat atque abjiciat. Experientia enim loquitur, quam facile vulgo persuadeantur opiniones, quæ vivendi licentiam spondent. Et nonne verendum, ne successu temporis profana dogmata, quæ libidini favent, sese adolescentium & juvenum animis insinuent, quibus nunc Dei notio a prima infantia ingignitur? Si atheismus secretior quædam philosophia esse debeat, quæ nonnisi generosis atque excelsis ingeniis convenit, & a qua arcendum est vulgus imperitum, arcendi sunt qui non supra vulgus sapiunt; minime propalandus erat, sed more Alchymistarum instar arcani adeptis reservandus, quos in eo imitantur athei, ut soli Philosophi veri dici ament.

§. 98.

Erroneæ de Deo opiniones evitantur, si quæ de Deo cognosci possunt in systema veri nominis redigantur. Quoniam enim in systemate veri nominis sequentia per antecedentia continuo

Erroneæ de Deo opiniones quomodo vitentur.

tinuo demonstrantur (*not.* §. 313. *part.* 1. *Eth.*); si quæ de Deo cognosci possunt in systema veri nominis redigantur, ea Deo convenire nobis certum est (§. 568. *Log.*), consequenter agnoscimus vera esse, quæ affirmamus (§. 164. *Log.*). Quoniam itaque verendum non est, ne affirmemus, quod erat negandum, vel negamus, quod erat affirmandum, seu ut propositionem fulsam pro vera habeamus, erremus vero si falsam proqositionem habemus pro vera (§. 623. *Log.*); erroneæ de Deo opiniones evitantur, si quæ de Deo cognoscimus in systema veri nominis redigantur.

Non alio fine systema Theologiæ naturalis condidimus, cumque principia ex Ontologia, Cosmologia & Psychologia in eodem petantur, hasce disciplinas ante methodo demonstrativa pertractavimus, quam ut certam de Deo haberemus cognitionem & sic erroneas de eodem opiniones evitaremus. Ex eo apparet omnium, quæ Deo tribuuntur, inter se nexus, ut verendum non sit, ne quædam admittantur, quæ ceteris repugnant. Acutiorum itaque est, ut veritatis inde convicantur & ea, quæ certo agnoscunt, ad sensum communem reducentes hebetioribus persuadeant eosque a dubiis liberent. Accedit, quod, qui demonstrationes in systemate datas perspectas habet, etiam videat, quomodo erroneæ opiniones sint refutandæ (§. 1036. *Log.*), &, ubi alterum erroris convincere vult, utrum inanem operam sumturus sit, nec ne (§. 1037. *Log.*): aliud nimirum est refutare errorem, ne alii in eundem seducantur, aliud vero refutare errantem, ut errorem agnoscat & missum faciat.

§. 99.

De erroribus tolerabilibus *Si qui hebetiores sunt, quam ut veritates abstrusas capere possint, eorum erroneæ, quas de Deo fovent, opiniones toleran-*

dæ

dæ sunt, quæ minime obstant, quo minus officia erga Deum colant. Si quis enim hebetior est, quam ut veritates abstrusas capere possit; nec fieri poterit, ut easdem ipsi persuadeas, & per consequens erroneam opinionem, quam fovet, ex animo ejus evellas. Quoniam vero Deus non curiositatis gratia agnoscendus (§. 34. *part. 1. Eth.*), sed ut ipsi debita officia præstare valeamus (§. 1.); si erroneæ quædam opiniones minime obstant, quo minus officia Deo præstentur, ideoque eodem modo colantur ab eo, qui veritatem agnoscit, quam qui opinionem erroneam fovet, finis agnitionis Dei obtinetur, quamvis veritas penitus non perspiciatur. Istiusmodi ergo errores tolerandi sunt, si quis hebetior fuerit, quam ut veritates abstrusas capere possit.

Dari istiusmodi errores, qui veritatis vicarii sunt, cum eodem modo quo veritas in praxin influant, exemplis doceri potest. Ita constat Deum providere rebus in hoc universo per nexum rerum (§. 927. *part. 1. Theol. nat.*). Nexus vero rerum ad abstrusas veritates omnino referendus, quem paucissimos capere noto notius est. Atque ideo plerique sibi imaginantur Deum hodie demum decernere, quid fieri debeat, seu quid facere ac permittere velit, dum ad ea, quæ fiunt, attendit animum. Et quamvis confiteantur, Deum omnia prævidisse ab æterno & quid in tempore facere ac permittere velit decrevisse; admittunt tamen Deum per concursum suum ordinarium determinare causas secundas ad agendum, vel non agendum, utut per naturam suam & rerum ceterarum ad sic agendum, vel non agendum determinatæ non sint. Atque inde est, quod nexum rerum providentiæ divinæ adversum statuant & precum inutilitatem ex eo inferant, quia preces in nexu rerum simul contentas esse minime vident. Enimvero quia demonstravimus Deum in

hoc universo ita providere rebus, ac si ad ea, quæ fiunt, attentus hodie demum decerneret, quid fieri debeat, seu quid facere ac permittere velit (§. 938. *part. 1. Theol. nat.*); opinio erronea de modo providendi rebus in hoc universo veritatis vicaria esse potest in praxi officiorum erga Deum, in quam agnitio providentiæ divinæ influit. Similiter constat, inter naturale, quod vi naturæ rerum ad actum perducitur, & supernaturale, quod eadem produci nequit, non dari medium (§. 53. *Ontol.*). Quamobrem cum differentiæ specificæ per ea, quæ rebus intrinseca sunt, constituantur (§. 252. *Ontol.*), qui supernaturale a miraculoso distinguunt, quod illud ordinarium sit seu quotidianum, hoc vero extraordinarium, seu rarius contingens, vel etiam inter naturale & miraculosum actus quosdam providentiæ divinæ specialis medios fingunt, utique errant. Errores tamen isti, quatenus pietati minime nocent, sed in eandem perinde ac veritas influunt, propter hebetudinem intellectus in infirmioribus tolerandi sunt (*not.* §. 603. *Psych. rat.*). Similiter in philosophia morali, in qua ultra ea, quæ ex principiis rationis demonstrari possunt, non progredimur, non nocet error de creatione & ætate mundi, si vel maxime quis statuat, Deum ex materia ab æterno sibi coëxistente fecisse mundum, aut observationes Ægyptiorum quadraginta septuaginta millium annorum in dubium minime vocet, cum nec modus creationis, nec ætas mundi in praxin officiorum erga Deum influat, quemadmodum de ætate mundi jam supra monuimus (*not.* §. 58.). Et alias jam ostendimus, in gratiam systematis commercium inter animam atque corpus explicandi in philosophia practica nihil esse immutandum (§. 538. *Psych. rat.*), cum in systemate omni supponendum sit, perceptiones rerum sensibilium in anima & motus voluntarios in corpore eodem modo oriri, ac si anima & corpus in se mutuo influerent (§. 537. *Psych. rat.*), sicuti in Astronomia computandi phænomena motu

prin

primi causa sumitur motus primus tanquam verus loco vertiginis Telluris & computandi loco Solis causa motus Solis annuus in ecliptica loco motus Telluris circa Solem in orbe annuo (*not.* §. *cit.*). Taceo plurimos errores anthropomorphismi subtilis, in quos incidunt, qui Deum ad similitudinem animæ nostræ concipientes tacite admittunt, quæ limitationes in ipsum inferunt (§. 580. *part. 2. Theol. nat.*), quales notavimus (§. 602. & *seqq. part. 2. Theol. nat.*), & a quibus pauci alieni sunt, qui humano more de Deo loquuntur.

§. 100.

Quoniam erroneæ opiniones de Deo, quæ culturæ officiorum erga Deum minime officiunt, tolerandæ sunt, si qui hebetiores sunt quam ut veritates abstrusas capere possint (§. 99.); *acutiores, quibus datum est Deum intimius cognoscere, sibi cavere debent, ne opiniones erroneas hebetiorum culturæ officiorum erga Deum minime adversas publice traducant in præjudicium culturæ.* *Cur istiusmodi errores publice non traducendi.*

Hebetiores abstrusas veritates capere non possunt, veluti quomodo Deus per nexum rerum provideat rebus omnibus in hoc universo, ita ut posito hoc nexu providentia divina tolli ipsis videatur & preces inutiles existimentur. Quoniam itaque de Deo nonnisi humano more cogitare didicerunt, si opiniones ipsorum, veluti de modo, quo Deus providet homini, publice traducantur; facile contingit, ut cum eo, quod erroneum est, simul abjiciant quod verum est, aut saltem de hoc dubitare incipiant, sicque officium erga Deum inde pendens vel prorsus negligatur, vel langvescat. Equidem non videas viros, quorum profunda scientia est, errores hebetiorum perstringere, nec horum censuras frivolas & iniquas curare, quibus incitari poterant ad eorum inscitiam scite retundendam; non tamen

 propter

propterea superfluum ac inutile videri potest, ut inculcetur officium, quod sua veluti sponte servant. Dantur enim multi, qui sibi acutiores ceteris videntur, aut aliis videri volunt, ideoque perstringendo opiniones erroneas hebetiorum gloriam quærunt, si vel maxime ipsimet veritatem intime non perspiciant, sed plus apud eos valeat eam profitentium fama & autoritas, quam ratio. Horum maxime interest, ut discant, quodnam sit officium vere acutiorum & altissimorum animorum. Invaluit apud nos mos, quo multorum ingenia corrumpuntur, qui ad scientiam pervenire possent, nisi se jam pervenisse putarent, ut censendis iis, quæ nondum satis intelligunt, acumen suum prodere velint, sicque in errores ipsimet incidant, dum alios ablepsiæ insimulare student, & nondum satis intellecta pro modulo acuminis sui emendaturi tanquam pueri puerilia loquuntur. Ast de juvenili hoc puritu, incremento scientiarum valde inimico, alibi plura dicenda erunt.

§. 101.

An in iis subsistendum acutioribus.

Similiter quia erroneæ opiniones de Deo, quæ culturæ officiorum erga Deum minime officiunt, tolerandæ saltem sunt in iis, qui hebetiores sunt, quam ut veritates capere possint (§. 99.); hoc non obstante *acutiores omnem operam dare debent, ut intimiorem Dei cognitionem consequantur, quam hebetioribus concessum:* id quod etiam obligationi generali convenit (§. 177. *part. 1. Jur. nat.*).

Unusquisque pro modulo intellectus sui Deum agnoscere tenetur. Quemadmodum itaque permittendum hebetioribus, ut, dum de Deo humano more loquuntur, errores admisceant ad anthropomorphismum subtilem referendos; ita ex adverso concedendum acutioribus, ut ea, quæ de Deo dicuntur humano more, ita explicent, quemadmodum Deum decent, sicque ab erroribus istis purgent. Male igitur

igitur facit Theologus, ultra captum vulgi non sapiens in iis, quæ abstrusa sunt, & majus acumen exigunt, ut intime perspiciantur, quam sibi concessum, si Philosophum adigere velit, ne & ipse ultra captum vulgi sapiat, nec veritatem liquidam, quam agnoscere ipsi datum est, profiteatur. Decet ipsum se modulo suo metiri, non vero captum suum statuere mensuram intellectus aliorum, qui eundem magis perfecerunt, cum ipse eidem perficiendo nullam singularem operam impenderit. Ast nosse, quantum valeant vires, quid eas transcendat, non adeo facile est, præsertim si quis sibi blanditur nomine Theologi, quod fortuna dedit. Quodsi objicias, si imperfecta Dei agnitio eodem modo influit in praxin officiorum erga Deum, quo magis exasciata, nos in illa acquiescere posse, nec opus esse, ut in ea inquiramus, quæ non sunt ad captum omnium; duo habeo, quæ respondeo. Nimirum qui sufficiente acumine gaudet, ut erroneum, quod admiscetur veritati, pervideat, is pro vero habere nequit, quod vulgus pro certissimo habet, consequenter non id præsidii ad pietatem inde expectare potest, quod illud in eo invenit. Deinde ex speciali tractatione patebit, veritatem liquidam non destitui effectu suo in praxi officiorum, qui ab imperfecta cognitione sperari nequit. Exempli loco esto amor Dei: ostendemus enim, quo clarius agnoscitur perfectio Dei summa, eo magis quoque nos eadem delectari.

§. 102.

Quæ hinc in veritate proponenda differentia resultet.

Quoniam erroneæ de Deo opiniones, quæ culturæ officiorum erga Deum minime officiunt, tolerandæ sunt in iis, qui hebetiores sunt, quam ut veritatem liquidam capere possint (§. 99.), acutiores vero operam dare debent, ut intimiorem cognitionem Dei consequantur, quam hebetioribus concessum (§. 101.); *quæ de Deo scribuntur, vel traduntur,*

duntur, aliorum erudiendorum causa, non promiscue omnibus scribuntur, cumque *pro diversitate temporum* variet studium perficiendi intellectum, *veritatum quoque explicatio & probatio variari debet.*

Si veritati assensum præbere debent, quibus eandem persuadere, aut quos ejusdem convincere debes, necesse est, ut ad captum singulorum accommodetur explicatio & probatio, quantum sufficit ad intelligendum & persuadendum, aut convincendum in casu dato. Quamobrem sicuti ad intellectum veritatis non eadem lux convenit omnibus, sed nimia plurimos confundit, nec ad persuasionem, aut convictionem eadem probatio satisfacit omnibus, sed hebetiores se persuasissimos esse, immo convictos putant, quando acutiores insufficientiam probationis agnoscunt; ita quoque quæ uno tempore sufficienter explicata & probata visa fuerunt, alio tempore pro sufficienter explicatis & probatis non habentur, prouti scilicet illustrius, aut obscurius fuerit seculum. Hæc probe notanda sunt, ne per præcipitantiam damnentur, quæ recte fiunt, aut per oscitantiam negligantur, quæ fieri poterant atque debebant. Absurditatis hinc arguuntur, qui tanquam pro aris & focis defendunt, argumenta quædam omni tempore a præstantissimis viris pro validissimis ad adstruendam veritatem habita fuisse, nec ferre volunt, ut infirmitas eorum detegatur, & alia solidiora iisdem substituantur, dum præsens ætas firmiora postulat. Neque enim propterea aliquid detrahitur autoritati illorum, qui ea luce contenti fuerunt, qua pro ratione temporis, quo vivebant, ipsis frui datum est (§. 100.).

CAPUT II.

CAPUT II.

De Pietate.

§. 103.

De medio colendi pietatem.

Qui pietatem colere vult, operam dare tenetur, ut Deum agnoscat: Qui Deum non agnoscit, pietatem colere nequit, ast non contra pietatem colit, qui Deum agnoscit. Quoniam enim pietas, quam philosophicam dicimus, est habitus conformandi actiones legi naturæ vi motivorum ab attributis divinis & providentia divina desumtorum, quatenus lumine rationis innotuerunt (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*); qui pietatem colere vult, habitum acquirere tenetur actiones suas determinandi per motiva ab attributis divinis & providentia divina desumta. Quamobrem necesse est, ut certus sit, Deum existere, atque norit, quænam ipsi conveniant attributa, & quod provideat rebus omnibus in hoc universo. Operam igitur dare tenetur, *ut Deum* agnoscat. *Quod erat primum.*

Qui Deum non agnoscit, is ignorat dari Deum, ignorat quænam sint ipsius attributa, ignorat quod rebus omnibus in hoc universo provideat. Quamobrem nec fieri potest, ut, dum actionem quandam edere vult, animum ejus subeat cogitatio eandem determinandi per motivum ab attributis divinis, aut providentia divina desumtum, multo minus autem fieri potest, ut habitum voluntatem ac noluntatem in agendo & non agendo per istiusmodi motiva determinandi acquirat. Quoniam vero pietas in hoc habitu consistit (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque eodem destitutus pietatem colere nequit; qui Deum

non agnoſcit, pietatem colere nequit. *Quode erat ſecundum.*

Enimvero quamvis quis norit, dari Deum & providentiam divinam, & quænam ſint ipſius attributa, nondum tamen novit, quibusnam attributis divinis in hoc vel iſto actionum genere uti debeat, multo minus adſuetus eſt iisdem uti, ſed habitus utendi multo demum exercitio acquirendus (§. 430. *Pſych. empir.*). Pietatem igitur nondum colit, qui Deum agnoſcit, propterea quod eundem agnoſcit. *Quod erat tertium.*

Agnitio Dei medium eſt colendi pietatem, quatenus pietatem nemo colere poteſt, qui eundem non agnoſcit. Exemplo ſunt Sinenſes, qui etſi virtutis fuerint ſtudioſiſſimi de pietate tamen colenda non cogitarunt. Sola tamen agnitio Dei non ſufficiens medium eſt, ut pietatem colas, quemadmodum fieri poteſt ac debet. Hinc etiam videas, non omnes, qui Deum agnoſcunt, in omnibus ſuis actionibus Deum colere, & pleroſque nonniſi in eo pietatem conſiſtere arbitrari, ut actiones noſtras ad voluntatem Dei referamus, ideo eas patrantes, quia novimus, Deum velle, ut patremus. Quemadmodum vero ad virtutis cujuslibet culturam non ſufficit, ut ejus notitiam habeamus; ita quoque pietas non acquiritur, ſi ſaltem noverimus, quænam ſint attributa divina, per quæ tanquam per motiva actiones noſtræ determinandæ: immo ne quidem ſufficit notitia, quænam attributa divina in quodlibet actionum genus per modum motivorum influere poſſint. Patet ratio ex iis, quæ in altera parte Philoſophiæ practicæ univerſalis de generali actionum humanarum directione & modo conſequendi ſummum bonum & felicitatem tereſtrem demonſtrata ſunt. Generalia enim iſta principia ad quamlibet virtutem, & ad pietatem quoque omnium virtutum ſociam applicanda.

§. 104.

§. 104.

Cognitio Dei ad pietatem requisita viva esse debet. Qui enim pius esse vult, actiones legi naturæ conformare debet per motivum ab attributis divinis & providentia divina desumtum (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero si ea, quæ cognoscimus, motivum voluntatis vel noluntatis fieri debent, cognitio viva sit necesse est (§. 244. *part. 2. Phil. pract. univ*). Quamobrem etiam Dei cognitio, quæ ad pietatem requiritur, viva esse debet. *Qualis cognitio Dei ad pietatem requiratur.*

Neque alia ratio est, cur ipsa lege naturali obligemur cognitionem Dei vivam acquirere (§. 1139. *part. 1. Jur. nat.*). Deus enim agnoscendus non curiositatis gratia, ita ut in sola speculatione acquiescamus (§. 34. *part. 1. Eth.*); sed ut eum in omnibus actionibus nostris colamus (§. 1124. *part. 1. Jur. nat.*): id quod facere nequit, nisi qui pius est (§. 1127. *part. 1. Jur. nat.*). Ac ideo ex ipsa naturali obligatione ad pietatem colendam deduximus obligationem ad agnitionem Dei (§. 1129. *part. 1. Jur. nat.*). Neque enim Dei interest, ut ab homine agnoscatur; sed maxime interest hominis, ut Deum agnoscat, quemadmodum ex iis omnibus, quæ de praxi officiorum erga Deum demonstrantur, luculentissime apparet.

§. 105.

Quoniam cognitio Dei ad pietatem requisita viva esse debet (§. 104.), certitudo autem cognitionem vivam efficit (§. 246. *part. 2. Phil. pract. univ.*); *Qui pietatem colere vult, omnem operam dare debet, ut cognitio, quam de Deo acquisivit, ipsi certa sit*, consequenter *ut agnoscat, vera esse ea, quæ de Deo cognovit* (§. 564. *Log.*), *neque de veritate eorum dubitet* (§. 511. *part. 2. Theol. nat.*) *Quænam eo fine fieri debeant.*

Historica Dei cognitio ad pietatem minime sufficit. Ea instructus de Deo quidem disserere potest; non vero eadem movetur voluntas ad Deum colendum. Inde est, quod multi recte ac pulchre de Deo disserere didicerint, a pietate tamen procul absint, Deum ore confitentes, factis autem abnegantes.

§. 106.

Quomodo agnitio Dei efficiatur certa.

Quoniam qui pietatem colere vult, operam dare debet, ut cognitio Dei, quæ acquiritur, ipsi certa sit (§. 105.), certitudo autem hæc aliter obtineri nequit, nisi convictione (§. 982. *Log.*), sive a posteriori vi experientiæ (§. 985 *seqq. Log.*), sive a priori vi demonstrationis (§. 990. *Log.*), in iis autem, qui convictionis incapaces sunt, convictionis vicem subit persuasio ad veritatem, quemadmodum indies experimur; *Qui pietatem colere vult, vel a posteriori, vel a priori convincendus veritatis eorum, quæ de Deo cognoscit, vel si convictionis non fuerit capax, ad veritatem persuadendus*, cumque sensus certitudinis societur memoriæ veritatis, si argumenta, quibus convincimur, probe ac sæpius ponderemus, sine hoc sensu autem cognitio viva esse nequit, ut in voluntatem vel noluntatem influat, quando ejusdem meminimus (§. 246. *part. 2. Phil. pract. univ.*); *Qui pietatem colere vult, argumenta, quibus convincitur veritatis eorum, quæ de Deo cognoscit, aut saltem ad veritatem persuadetur, iterato ponderare tenetur, donec sensum certitudinis in se experiatur, quando eorum meminerit.*

Sensus iste certitudinis consistit in confusa perceptione, vi cujus meminimus, argumentis assensum nostrum fuisse extortum, ut nihil prorsus dubii nobis remanserit, quo minus eundem propositioni probatæ præberemus. Pertinet is ad recessus in

in animis hominum, quia toti dependent ab influxu actuum præteritorum animæ in actum præsentem, in quo recessus iste consistit (§. 72. *part. 1. Eth.*). Sensum hunc certitudinis facillime in se experiri possunt, qui vi demonstrationis propositionum Geometriæ convicti sunt, modo sufficientem afferant attentionem, inprimis si simul distinctam notionem successivæ generationis assensus habuerint (§. 992. *Log.*), & acumen ad observationes psychologicas requisitum sibi comparaverint. Apparet hinc necessitas systematis Theologiæ naturalis, nostro præsertim tempore, quo non modo athei magno fastu elati certitudinem agnitionis Dei labefactare conantur, verum etiam alii libertate sentiendi in licentiam versa absurdis opinionibus certam eorum, quæ Deo conveniunt, cognitionem in dubitationem adducere allaborant (§. 102.). Apparet quoque necessitas systematis respectu eorum, qui supra vulgus sapiunt, & quibus persuasio esse nequit loco convictionis. Nec minus hinc apparet necessitas studii in pervolvendo systemate collocandi, & quantum fallantur, qui sibi persuadent ad hauriendam scientiam ex systemate sufficere, ut perfunctoriam saltem operam eidem perlegendo impendant, nullo facto discrimine inter systema & librum vulgari methodo conscriptum. Nobis curæ cordique est, ut pietatem pro virili promoveamus, propagemus & conservemus: media igitur expositurі veritatem profiteri tenemur. Quodsi quis iis uti voluerit, quemadmodum a nobis urgentur, veritatem a nobis dictorum in se ipso experietur.

§. 107.

Qui pius esse vult, nosse debet, quænam attributa divina in Notitia in-quolibet actionum genere motivis inservire possint, & quænam offi- fluxus atri-cia erga Deum cum quolibet officio alio conjungenda, aut quomodo butorum di-officium aliud quodcunque determinandum sit per illa. Etenim qui *vinorum in* pius est, actiones suas legi naturæ conformat vi motivo- *determinati-*

 rum *onem actio-*

num humanarum. rum ab attributis divinis de sumtorum (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque hoc fieri nequit, nisi norit, quænam attributa divina motiva præbeant in quolibet actionum humanarum genere, quod per se patet, qui pius esse vult, nosse debet, quænam attributa divina in quolibet actionum genere motivis inservire possint. *Quod erat unum.*

Cum sine agnitione Dei nullum officium Deo debitum præstari possit (§. 1.); absque repræsentatione attributorum divinorum, in quibus continetur ratio officiorum Deo debitorum, quemadmodum ex demonstrationibus eorundem *cap. 4. part. 1. Jur. nat.* datis apparet, officia Deo debita non præstantur. Quamobrem si certa attributa divina per modum motivorum influant in præstationem certorum officiorum aliorum, sive erga se, sive erga alios, ab iisdem quoque pendent certa officia erga Deum, atque conjunguntur cum officiis erga alios, si quis pius fuerit (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*), immo ipsa hæc officia, quæ pius Deo præstare paratus est, nos impellere possunt ad officia alia, quæ per eadem attributa tanquam motiva determinantur, facienda, sicque evadunt motivum officia alia præstandi (§. 887. *Psych. empir.*). Quamobrem qui pius esse vult, nosse quoque debet, quænam officia erga Deum cum officio quolibet alio conjungenda, aut quomodo officium aliud quodcunque per illa determinandum sit. *Quod erat alterum.*

Quamvis in genere noris, singulas actiones, qualescunque tandem sint, determinandas esse per motiva ab attributis divinis desumta, nondum tamen constat, quænam attributa huic, vel isti actionum generi convenientia motiva præbeant. Hanc igitur scientiam sibi comparare debet, qui pius esse vult.

§. 108.

§. 108.

Quoniam qui pius esse vult, nosse debet, quænam attributa divina in quolibet actionum humanarum genere motivis inservire possint, & quænam officia erga Deum cum quolibet alio conjungenda, aut quomodo hoc per illa determinandum (§. 107.); *in Ethica demonstrandus est influxus agnitionis Dei in quodlibet actionum humanarum genus & officiorum erga Deum in quamlibet virtutem influxus atque cum eadem conjunctio, consequenter qui pietatem colere vult scientiam horum ex Ethica petere debet.* *Unde eorum scientia petenda.*

Cum praxis in Philosophia morali hactenus parum exculta fuerit, nec mirum videri potest, quod de influxu agnitionis Dei in quodlibet actionum humanatum genus & officiorum erga Deum in virtutes ceteras non cogitaverint Philosophi. Quamobrem ne videamur ad Ethicam referre, quæ ad eandem minime pertinent; ostendendum erat, id in Ethica doceri debere. Urget lex naturæ, ut actiones nostras determinemus per motiva ab attributis divinis desumta (§. 251. *part. 2. Phil. pract. univ.*), ut si quis actionem aliquam lege naturali præceptam per ea non determinat peccet (§. 1126. *part. 1. Jur. nat.*): urget eadem lex, ut Deum colamus in omnibus actionibus nostris (§. 1124. *part. 1. Jur. nat.*). Quomodo igitur hoc a nobis fieri possit, in Ethica demonstrandum (§. 10. *part. 1. Eth.*). Ut hoc ostenderemus, præsentis temporis ratio inprimis postulat, quo pietatis nomen in contemtum fere abiit culpa Neo-Pharisæorum Ecclesiam perturbantium & doctrinam solidam evertere studentium. Velim igitur, ut de pietate non ex nomine parum intellecto, sed ex distincta ejus, quam dedimus & demonstravimus, notione statuant. Ita enim intelligent, nihil a nobis dici, quod sit a ratione alienum, nec ad amussim cum lege naturæ consentiat. Hominum vero male feriatorum judicia non moramur.

§. 109.

§. 109.

De scientia legis naturæ ad pietatem requisita.

Ad culturam pietatis requiritur, ut legis naturæ scientia instructi simus & erroneas de eadem opiniones evitemus. Qui enim pietatem colere vult vi motivorum ab attributis divinis & providentia divina desumtorum actiones suas legi naturæ conformare debet (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Necesse igitur est, ut legem naturæ cognitam atque perspectam habeat, consequenter ad culturam pietatis requiritur, ut legis naturæ scientia instructi simus. *Quod erat unum.*

Ponamus vero aliquem erroneas de lege naturæ fovere opiniones. Cum lex naturæ vel prohibitiva sit, vel præceptiva, vel permissiva (§. 163. & *seqq. part. 1. Phil. pract. univ.*); aut lege naturæ præceptum, vel permissum putabit, quod prohibitum est, aut prohibitum, quod præceptum vel permissum, (§. 624. *Log.*), sicque continget, ut agnitione Dei abutatur, dum actiones suas per motiva ab attributis divinis & providentia divina desumta legi naturæ conformare studet, atque pietas cœca eum seducet ad legem naturæ transgrediendum (§. 139. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quem ad servandum ducere debebat (§. 138. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque pietatem culturus sibi ab hisce aberrationibus cavere debet; quin erroneas de lege naturæ opiniones evitare debeat, dubitandum non est. *Quod erat alterum.*

Non desunt, qui sibi persuadent, se bene ac recte agere, modo pietatis impetu ad agendum abripiantur, aut a non agendo retrahantur. Atque hi sunt, qui voluntatem bonam sufficere arbitrantur ad bene & recte agendum, quæ consistit in generali determinatione ad commistendas actiones, quas Deus

Deus a nobis committi vult & ad abstinendum a contrariis (§. 121. *part. 2. Eth.*), parum solliciti, num de eo, quod Deus a nobis fieri vult, recte sentiant. Oppido autem falluntur. Etenim cum pietas saltem praebeat motiva ad actiones legi naturae conformandas (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*); cognitionem legis naturae supponit. Ut vero certi simus, haec lege naturae praecipi, vel prohiberi, aut permitti, necesse est ut scientiam ejus habeamus (§. 595. *Log.*). Pietas suis numeris absoluta scientiam legis naturae requirit, sit ita quod in hebetioribus toleranda sit persuasio ad veritatem, quemadmodum in anterioribus de agnitine Dei idem ostendimus (§. 93.). Pietas non supplet defectum scientiae legis naturae, sed appetitum saltem fortius stimulat ad custodiam ejus (§. 343. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & virtutem, quae consistit in habitu actiones suas legi naturali conformiter dirigendi (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ad sublimiorem gradum evehit, quemadmodum ex sequentibus clarius elucescet. Quod vero erroneae opiniones, quas fovet pietati deditus in jure naturae, hanc ipsam efficiant seductricem, docent exempla piorum, qui de actionibus bonis, vel malis, aut licitis aliter senserunt, quam lex naturae definit. Poterat huc trahi exemplum Abrahami *Gen. XVI.* & Jacobi *Gen. XXX.* cum ancillis coitum celebrantium prolis procreandae causa, quod putarent istiusmodi coitum esse licitum, motivo, quemadmodum ex circumstantiis colligitur, usi promissione Dei de seminis sui multiplicatione. Sed nolo disertius docere, quomodo homo pius, si erroneas in jure naturae fovet opiniones, motivis ab attributis divinis & providentia divina desumtis atque ipsis officiis erga Deum male agendo abutatur, inprimis cum ex recto usu suo loco explicando facile pateat abusus, cujus distincta explicatio in praesenti offendiculo esse poterat infirmioribus.

§. 110.

De voluntate bona & perfecta ad culturam pietatis requisita.

Qui pietatem colere vult, operam dare tenetur, ut voluntas non modo bona efficiatur, verum etiam perficiatur. Qui enim pietatem colere vult, is actiones suas legi naturæ conformare debet per motiva ab attributis divinis & providentia desumta (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero lege naturali, ideoque & voluntate divina (§. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*), obligamur actiones liberas determinare per motiva ab attributis divinis desumta (§. 251. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem qui pietatem colere vult, ejus voluntas generaliter determinata esse debet, ad committendum actiones legi naturæ convenientes & voluntati divinæ conformes. Quoniam itaque voluntas bona efficitur, si generaliter determinetur ad committendum actiones legi naturæ convenientes & voluntati divinæ conformes (§. 121. *part. 2. Eth.*); qui pietatem colere vult, operam dare tenetur, ut voluntas efficiatur bona. *Quod erat unum.*

Enimvero quia voluntas bona non sufficit, ut in casu quolibet dato actiones bonas edamus (§. 131. *part 1. Eth.*), sed ut hoc fiat, voluntas perfecta esse debet (§. 271. *part. 1. Jur. nat.*), quæ exactam requirit actionum bonarum & malarum scientiam (§. 133. *part. 2. Eth.*); qui pietatem colere vult, cum in omni casu dato actiones suas legi naturæ confirmare debeat actu per motiva ab attributis divinis desumta (§. 399. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideo quoque operam dare tenetur, ut voluntas perficiatur. *Quod erat alterum.*

In quonam opera ista consistat, quam dare tenemur, ut voluntas bona efficiatur & perficiatur, in parte secunda Ethicæ abunde documus. Ast quia pauci differentiam inter voluntatem bonam & perfectam considerant, quemadmo-

modum debebant; ideo longe plurimi sibi persuadent ad pietatem sufficere voluntatem bonam, ut ea nempe generaliter determinata sit ad non committendum actiones, nisi quas Deus a nobis committi vult. Atque inde est, ut etiam superstitiosi sibi videantur esse pii, & opinione pietatis plurima committantur mala, immo & hypocritæ sibimetipsis imponant, qui sibi videntur pii, cum non sint, voluntate bona, cujus sibi conscii sunt, occœcati. Pertinent huc inprimis illi, qui non agnoscunt intellectum ante perficiendum esse, quam de perficienda voluntate cogitetur (§. 13. *part. 1. Eth.*). Cum enim intellectum perficere negligant, præjudicia de actionum bonitate & malitia veritati consentanea esse putant, quibus cum seducantur, voluntas bona pietatem in transversum agit, ut re ipsa magis noceat, quam prosit. Ex hactenus demonstratis intelligitur, quomodo vera pietas, in qua nihil desideratur, obtentu non adeo facilis sit, quemadmodum illis videtur, qui pietatis promotores præ aliis videri volunt. Qui ea perspexit, quæ de voluntate perficienda & emendanda in parte secunda Ethicæ demonstravimus, ei nihil obscuritatis superent in hisce, quæ dicuntur, multo minus autem virtutem aliquam, consequenter nec pietatem spectabit tanquam habitum infusum, cujus acquisitio per usum facultatum nobis concessarum inexplicabilis. Equidem mihi non constat fuisse aliquos, qui expresse statuerint, virtutem esse habitum infusum; quodsi tamen consideremus, quamnam plurimi de modo acquirendi virtutem notionem habeant, vix eos ab hoc errore tacite in mentem ipsorum irrepente liberare poterimus.

§. 111.

Qui pius est, gloriam Dei promovet & contra. Qui enim pius est actiones suas legi naturæ conformat vi motivorum ab attributis divinis & providentia divina desumtorum (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero homo per

De promotione gloriæ divinæ signo pietatis.

per determinationem actionum liberarum non aliter gloriam Dei manifestare, seu promovere (§. 610. *part. 1. Theol. nat.*) potest, quam si attributa divina sint motiva earundem (§. 919. *part. 1. Theol. nat.*). Qui ergo pius est, gloriam Dei promovet. *Quod erat unum.*

Ex adverso qui gloriam Dei promovet, verbis & factis testatur, se agnoscere perfectionem Dei summam & quod eadem gaudeat pro certo habere (§. 610. *part. 1. Theol. nat.*). Enimvero actiones suas liberas determinat per motiva ab attributis divinis desumta qui ipso facto testatur, se perfectionem Dei summam seu attributa ipsius agnoscere, ac pro certo habere, quod eidem conveniant (§. 246. 244. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum pius sit qui per motiva ab attributis divinis desumta actiones suas liberas determinat (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*); qui gloriam Dei promovet pius est. *Quod erat alterum.*

Promotio itaque gloriæ divinæ, quando nimirum quis verbis & factis testatur se Deum habere pro ente perfectissimo, cui ea conveniunt attributa, quæ ipsi in Theologia naturali attribuuntur, est signum pietatis. Ita intelligimus, Josephum fuisse pium, quia in adulterium consentire nolebat, ne peccaret in Deum, cujus voluntati adulterium adversum esse agnoscebat. Utebatur nimirum tanquam motivo adulterii non committendi voluntate divina, in quod simul influebat omniscientia Dei & amor ipsius atque inde fluens timor filialis, prouti ex sequentibus clarius elucescet.

§. 112.

De promotione gloriæ Quoniam qui pius est, gloriam Dei promovet (§. 111.), qui vero gloriam Dei promovere vult, verbis & factis

factis testari debet, se pro certo habere ea, quæ Deo attribuuntur (§. 610. *part. I. Theol. nat.*); *Qui pietatem colere vult, quicquid agit perpendere debet, quomodo hac actione sua testari possit, se Deum agnoscere,* consequenter *quodnam officium Deo debitum eidem una præstari debeat.* *Dei tanquam pietatis medio.*

Hoc pacto promotio gloriæ divinæ fit quoque medium culturæ pietatis. Nimirum si cui fuerit voluntas constans & perpetua promovendi gloriam Dei, ejus mens a qualibet actione in Deum ascendet, ut eundem sibi repræsentet tanquam præsentem, cujus attributa veluti coram intuetur, qualitate actionis determinante attentionem in certo attributo defigendam & in memoriam revocante officium Deo debitum hic & nunc præstandum. Ita non modo satisfit pietati, ut attributa divina influant per modum motivi in actionem præsentem; verum etiam ut ipsa actio modificetur, & novam quandam induat formam, quatenus per hæc ipsa motiva determinantur actus eidem superaccedentes, qui alias absunt, & officia quædam erga Deum eidem associentur. Quodsi enim habitus sic & non aliter agendi contrahatur, actus isti & qui ad exercitium officii spectant agente ne quidem advertente actioni admiscentur, ut actio confuse saltem percepta diversa appareat ab actione eadem pietatis influxu minime modificata, vi eorum, quæ de latebris in actione omni ex habitu proficiscente inexistentibus & de recessibus in animis hominum demonstravimus (§. 73. & *seqq. part. I. Eth.*). Poteramus hoc illustrare exemplo ejus, qui cibum, quem capit, considerat tanquam munus divinum a bonitate ipsius profectum eoque fruitur cum gratiarum actione, amore Dei in fruitionem simul influente, nisi talia ex instituto declaranda essent suo loco. Equidem nullus dubito, fore permultos, qui cum influxum pietatis in actiones humanas experti non sunt, consequenter nullam actionis per eandem modificatæ perceptionem habere possunt, neque illius possibilitatem ab usu facultatum animæ pendentem a priori agno-

ſcunt, ad ſomnia ſuavia cultorum pietatis affectatæ & pomposæ hæc relaturi ſunt; non tamen propterea nos pudet ea confiteri, quæ vera eſſe ex legitimo uſu facultatum animæ a priori demonſtramus, & unusquisque in ſe, ſi experimentum in ſe capere voluerit, quamvis arduum & difficile pro diverſitate ſubjectorum, experiri poteſt, cum & certa ſint, quæ demonſtrantur (§. 568. *Log.*), & quæ de actionibus humanis in Philoſophia practica demonſtrantur omnium rectiſſime intelligantur (§. 264. *par. 2. Phil. pract. univ.*), & veritatis eorundem omnium optime convincamur, ſi ea in nobis ipſis experiamur (§. 271. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Non tradimus praxin moralem niſi rationi convenientem, quæ maxime decet hominem rationis uſu a ceteris animantibus diſtingvendum (§. 332. *part. 1. Theol. nat.* & §. 762. *Pſych. rat.*). Multa in eadem caſui debentur, prouti circumſtantiæ obviæ uſum facultatum eliciunt, agente de eodem parum cogitante, ac in determinandis actionibus humanis magnum momentum habent latebræ atque receſſus; ſed Philoſophi eſt, qui rationem reddere debet eorum, quæ fiunt (§. 6. *Diſc. prælim.*), ut quonam facultatum uſu praxis perficiatur demonſtret eandemque poteſtati noſtræ ſubjiciat, ne quod conſilio certo fieri poteſt atque debet, a caſu demum expectandum ſit, quem in poteſtate noſtra minime habemus. Neque vero opus eſt multa diſceptatione, qua nihil efficitur: veniendum in rem præſentem, atque demonſtrationes perperpendæ, prout fieri debet, ſi aſſenſum extorquere debent (§. 998. *Log.*), & danda opera, ut veritatem in nobismet ipſis experiamur (§. 265, 271. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quodſi cui iter, quod ingrediendum, nimis longum viſum fuerit, is ſibi imputet, quod veritatem aſſequi minime valeat. Nihil hic poſtulamus, quod non jure poſtulari poſſit, & de quo conquerantur Aſtronomi ac Geometræ, qui ipſo opere didicerunt, non dari ad ulteriora progreſſum, niſi ante cognoſcantur, quæ præſupponen-

da sunt, & intellectus certo modo fuerit perfectus, qui usu sibi compararunt notionem modi scientiam acquirendi, quem nos a priori demonstravimus (§. 404. *& seqq. part. 1. Eth.*).

§. 113.

Sine pietate homo perfectionem, cujus capax est, acquirere nequit. Perfectio enim hominis consistit in aptitudine manifestandi gloriam Dei (§. 917. *part. 1. Theol. nat.*). Quoniam vero qui per determinationem actionum liberarum gloriam Dei promovet, seu manifestat, pius est (§. 111.), ideoque sine pietate homo aptus non est ad manifestandam gloriam Dei; sine pietate quoque perfectionem, cujus capax est, acquirere nequit.

De pietate ad perfectionem humanam acquirendam requisita.

Propositionem præsentem vix ac ne vix quidem satis intelliget, multo minus veritatis ejusdem convincetur, nisi intime perspexerit, quæ de perfectione hominis (§. 917. *par. 1. Theol. nat.*) & de perfectione universi demonstravimus (§. 673. *part. 1. Theol. nat.*), a fine ultimo creationis dependente (§. 629. *part. 1. Theol. nat.*). Constat perfectionem hominis aliam esse essentialem, aliam vero accidentalem. Essentialem natura dat, & vi ejusdem homo perinde ac res ceteræ omnes per dependentiam suam ab attributis divinis Deum repræsentat, ut ideo quoque homo Deum ex se ipso cognoscere obligetur (§. 1135. *part. 1. Jur. nat.*): accidentalis vero demum acquirenda, & ad eam ducit obligatio naturalis ad se statumque suum perficiendum (§. 128. *part. 1. Phil. pract. univ.*), determinando scilicet actiones liberas per easdem rationes finales, per quas determinantur naturales (§. 49. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Perfectionem essentialem homo cum brutis communem habet, nisi quatenus ea, quæ studio ac labore acquiri possunt, natura insunt, seu dispositiones naturales exercitatione ad habitum evehendæ. Ac ideo perfectio inprimis accidentalis hominem

nem ultra sortem brutorum ponit, & ea præstantissima perfectionis humanæ pars est. Complementum hujus perfectionis est pietas, quæ hominem aptum efficit, ut qua creatura rationalis gloriam divinam promoveat (§. 610. *part. 1. Theol. nat.*), fini creationis ultimo convenienter (§. 629. *part. 1. Theol. nat.*), sicque actiones suas dirigat ad perfectionem totius universi, quemadmodum Deus vult (§. 920. *part. 1. Theol. nat.*), quippe quæ in aptitudine manifestandi gloriam Dei consistit (§. 673. *part. 1. Theol. nat.*). Sublimior hæc philosophia est, cum scriptura sacra consentiens, quemadmodum facile ostendere poteramus: quod vero pauci eam capiant, non alia ratio est, quam quod veritatum concatenationem cum inter se, tum cum iis, quæ sensui obvia sunt, introspicere negligant, parum considerantes nos operam dare debere, ut rationem perficiamus (§. 753. *part. 1. Jur. nat.*), & hoc officium hominem creatutam rationalem maxime decere (§. 332. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem omni opere annitendum, ut hæc philosophia ad captum communem accommodetur, ne ignorent homines, quomodo se tales præstare debeant, quales se præbent natura sua res ceteræ creatæ omnes, ut cum ratione faciant, quod hæ solo naturæ ductu faciunt. Ita enim demum creaturarum præstantissimæ erunt & prærogativam suam adversus creaturas ceteras tuebuntur, nec erunt animalia contradictoria, imperfectione accidentali perfectioni essentiali continuo repugnante.

§. 114.

De motivo pietatis, si quis fuerit virtutis amans.

Quoniam virtus habitus est actiones suas legi naturali conformiter dirigendi (§. 321. *part. 1. Phil. Pract. univ.*), consequenter se & statum suum perficiendi (§. 152. *part. 1. Phil. pract. univ.*), sine pietate autem homo perfectionem, cujus capax est, acquirere nequit (§. 113.); *qui virtutis amans est, pietatem acquirere studebit, si perpenderit, pietatem es-*

se

se perfectionis humanæ creatricem, consequenter *perfectio pietatis beneficio obtinenda erit motivum pietatis acquirendæ* (§. 887. *Psych. empir.*).

Cum vis motivorum dependeat non modo ab influxu intellectus in voluntatem & noluntatem (§. 890. *Psych. empir.*), verum etiam a naturalibus inclinationibus & reclinationibus (§. 895. 896. *part. 2. Phil. pract. univ.*), atque a determinationibus appetitus & aversationis præcedentibus (§. 72. *part. 2. Ethic.*); eadem motiva non conveniunt omnibus. Ita ei, cujus voluntas generaliter determinata est ad faciendum, quod Deus vult, ei voluntas divina motivum agendi est (§. 378. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quamobrem non est, quod miremur, hic commendari motivum pietatis, quod nullius efficaciæ videbitur plerisque, quia vim in animum suum nullam sentiunt, quamvis revera fortissimum sit, modo agens fuerit, qualis usu facultatum sibi concessarum, sed rite perfectarum, quemadmodum fieri debebat, esse poterat atque debebat. Præsupponitur virtutis amor. Qui virtutem amat, eadem delectatur (§. 657. *Psych. empir.*). Ast quot, quæso, sunt, quas virtus per se delectat? In hunc censum minime veniunt, qui saltem formidine pœnæ peccare nolunt (§. *not.* 91.). Enimvero si quis virtute delectatur, is quoque delectabitur pietate, quamprimum agnoverit, virtutem maximum splendorem trahere a pietate. Nullus dubito, si Sinenses agnovissent Deum & influxum agnitionis Dei in virtutem, futurum fuisse, ut maximum præsidium in splendore virtutis, quem a pietate trahit, collocassent, atque hoc motivum pietatis fortissimum agnovissent, quod ob Dei ignorantiam insuper habuerunt. Amor nimirum virtutis supponit, ut intime virtutis indoles fuerit perspecta: id quod fieri nequit nisi intime perspecta perfectione humana, quæ absque agnitione Dei nonnisi imperfecte agnoscitur. Atque hinc

videre licet perspicacioribus, quam pulchre omnia in systemate nostro consentiant.

§. 115.

Cur homo a Deo fuerit conditus.

Homo a Deo conditus est, ut gloriam suam promoveat. Etenim Deus mundum produxit, ut perfectionem suam summam patefaceret (§. 608. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem cum in eo etiam condiderit hominem atque velit, ut is actiones sua liberas ad manifestationem gloriæ divinæ dirigat (§. 918. *part. 1. Theol. nat.*); hominem quoque eo fine condidit, ut per determinationem actionum humanarum perfectio ipsius summa manifestetur. Quamobrem cum id fiat, si attributa divina sint motiva actionum humanarum (§. 919. *part. 1. Teol. nat.*), consequenter si homo verbis factisque testetur, se perfectionem Dei absolute summam agnoscere, & quod eadem gaudeat pro certo habere, hoc modo autem ab eodem gloria divina promoveatur (§. 610. *part. 1. Theol. nat.*); homo a Deo conditus est, ut gloriam suam promoveat.

Vulgo dicitur, hominem factum esse propter Deum: quid vero sit factum esse propter Deum, non omnes perspiciunt. Plurimum autem refert, ut intime perspiciamus, quid sit factum esse propter Deum, si pietatem colere velimus. Quamobrem in finem, ob quem Deus hominem condidit, erat inquirendum. Facile autem patet, cum Deus vi sapientiæ suæ fines particulares subordinet fini ultimo (§. 631. *part. 2. Theol. nat.*), finem, cur hominem fecit, derivandum esse ex fine ultimo, quem per creationem totius universi intendit. Quoniam itaque finis hic est manifestatio gloriæ suæ (§. 629. *part. 1. Theol. nat.*), hominem quoque ideo fecit, ut qua homo, hoc est, quatenus creatu-

creatura rationalis & agens liberum est, gloriam suam manifestet: id quod fit, eandem promovendo (§. 610. *part. 1. Theol. nat.*). Per agens enim liberum gloria Dei, seu perfectio Dei summa manifestatur, si ex determinatione actionum liberarum patet, qualia sint Dei attributa, consequenter si hæc in illam per modum motivorum influant. Ita nimirum actiones humanæ testantur, quod homo perfectionem Dei summam agnoscat & pro certo habeat, quod eadem Deo conveniat. Et hoc modo homo perinde ac naturæ ceteræ omnes factus est propter Deum, & non minus homo, qua homo, hoc est, quatenus est liberum agens, ac creaturæ omnes est speculum perfectionum divinarum, quatenus ab attributis divinis dependent (§. 798. *part. 1. Theol. nat.*). Dependet vero etiam homo quoad determinationem actionum liberarum ab attributis divinis, si hæc in eam influunt per modum motivorum, ideoque etiam per officia Deo debita modificentur actiones liberæ, quemadmodum paulo ante observavimus (*not.* §. 112.). Atque nunc distincte concipimus, quomodo homo factus sit propter Deum, quatenus homo est, hoc est a ceteris creaturis in eo differt, quod habet voluntatem liberam: in quibus enim per essentiam & naturam suam cum entibus ceteris convenit, eodem modo speculum perfectionum divinarum est, quo ceteræ creaturæ existunt. Non tamen diffiteor, si cui hæc, quæ hic dicuntur, penitus perspecta esse debeant, ut plenissima luce fulgeant; supponendum esse, ut ea, quæ in Theologia naturali de Deo & creatione mundi demonstravimus, penitus cognoverit atque perspexerit. Veritates enim cum inter se connexæ sint, sibi mutuo lucem affundunt, ut nec claritas deficiat in intelligendo,, nec evidentia in convincendo. Hac igitur luce nemo frui potest, nisi qui nexum veritatum intime perspicit, atque in ista claritate & evidentia, quæ perspicientiæ nexus inhæret, lumen rationis consistit, quod omnes in ore habent, pauci vero intelligunt.

§. 116.

Quomodo homo sit civis mundi dignus.

Quoniam homo a Deo conditus est, ut gloriam Dei promoveat (§. 115.), gloriam autem Dei promovet, si pius est (§. 111.); *Qui pietatem colit, finem consequi studet, ob quem creatus est, & civem mundi dignum se præstat.*

Habemus hic motivum, quo animi generosi atque excelsi, veræ gloriæ cupidi, ad culturam pietatis permoventur. Cives sunt digna societatis civilis membra, si actiones suas ita dirigunt, ut ad consequendum finem civitatis pro virili conferant, quod ab ipsis conferri potest. Instituit Deus societatem quandam inter creaturas omnes, quæ dantur in hoc universo, quatenus per eas gloria Dei manifestari debet, cum hæc ipsa manifestatio sit finis ultimus, ob quem omnes a Deo factæ sunt (§. 629. *part. 1. Theol. nat.* & §. 1. *part. 7. Jur. nat.*). Dignum itaque membrum hujus societatis est homo, si ipse quoque actiones suas liberas ad manifestationem gloriæ divinæ dirigit, consequenter si pietatem colit (§. 111.). Creaturæ omnes agunt naturaliter propter finem, cujus causa a Deo fuerunt factæ, ac ideo digna hujus universi membra sunt. Agunt nimirum per essentiam & naturam suam propter fines particulares, quos Deus fini ultimo, quem per creationem mundi intendit, subordinavit (§. 631. *part. 1. Theol. nat.*), cum nulla in agendo libertate fruantur & ratione careant. Dedecet igitur maxime hominem, qui cum ratione præditus sit & libertate in agendo polleat, creaturas ceteras omnes antecellit, si actiones suas liberas ita determinat, ut fini ultimo subordinari nequeant per modum medii, sicque ad finem, cujus gratia membrum hujus universitatis factus est, aut minus conferat, quam creaturæ ceteræ, aut prorsus eidem contrarias actiones edat, ut vel membrum minus dignum,

dignum, vel prorsus indignum censeri debeat. Equidem scio, hæc apud eos, qui sordididis ingeniis præditi sunt & mentes monstrosas habent, nihil proficere, cum dignitatem humanam non prospiciant, & doctrinam solidam atque profundam fastidiant; non tamen ex eorum genio æstimanda sunt, quæ in Ethica tradenda. Sufficit non adeo male sperandum esse de genere humano, ut dentur prorsus nulli, qui digni civis hujus mundi laude excitantur ad pietatis culturam. Quoniam vero distinximus inter civem mundi minus dignum & indignum, ut distinctio recte intelligatur, nec per consequentias fallaces in abusum trahatur, quædam adhuc monenda sunt. Nimirum fieri potest, ut quidam virtutem colant sine pietate, quemadmodum Sinenses, alii vero cum pietate, quemadmodum facere debebant omnes (§. 1128. *part. 1. Jur. nat.*). Qui virtutem absque pietate colunt, cum acquirant habitus intellectus & voluntatis ad perfectionem accidentalem hominis referendos, apti quidem efficiuntur ad manifestandam gloriam Dei, quatenus inde alii non minus, quam ex perfectione naturali hominis in agnitione Dei proficere possunt eo modo, quem supra sufficienter declaravimus, cum de agnoscendo Deo consideratione hujus universi ageremus; non tamen gloriam Dei manifestant, quemadmodum faciunt, qui pietatem colunt & tam verbis, quam factis testantur, se perfectionem Dei summam agnoscere ac pro certo habere, quod hæc ipsi conveniat: id quod homini proprium est, nec cum ceteris creaturis commune. Quodsi ergo homo subsistat quoad liberarum actionum determinationem in manifestanda gloria divina in modo, quem cum ceteris creaturis communem habet, membrum minus dignum censetur, quemadmodum creaturæ ceteræ illius societatis, quam Deus inter creaturas finis ultimi causa, quem per creationem mundi intendit, instituisse intelligitur, membrum autem dignius, qui cum virtute pietatem jungens gloriam Dei promovet eo modo, qui homini proprius est. Ast

membrum prorsus indignum est homo, qui animum a virtute alienum habet & vitio deditus est, ut per determinationem liberarum actionum prorsus ineptus reddatur ad gloriam Dei manifestandam, sublato etiam modo, quem cum ceteris creaturis communem habet, quatenus spectatur tanquam agens liberum.

§. 117.

De pietatis cultore Deum imitante. *Qui pietatem colit, in determinandis actionibus liberis Deum imitatur.* Qui enim pietatem colit actiones suas legi naturæ conformare studet vi motivorum ab attributis divinis & providentia divina desumtorum (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*). In determinandis igitur actionibus liberis non modo rationem desumit a convenientia earundem cum lege naturæ, verum etiam a perfectione sua, quæ consistit in aptitudine manifestandi gloriam Dei (§. 917. 919. *part. 1. Theol. nat.*), ideoque ratio objectiva (§. 118. *part. 1. Theol. nat.*) & subjectiva simul sumta constituunt rationem sufficientem, cur quid velit (§. 336. *part. 1. Theol. nat.*), consequenter motivum voluntatis suæ (§. 887 *Psych. empir.*), & actionibus suis gloriam Dei promovere studet (§. 111.). Enimvero cum etiam ratio objectiva & subjectiva simul sumta constituant rationem sufficientem, cur Deus quid velit (§. 339. *part. 1. Theol. nat.*), & motiva voluntatis divinæ partim ab objecto, partim ab ipso Deo volente desumantur (§. 340. *part. 1. Theol. nat.*), atque Deus existentiam hujus decreverit gloriæ suæ manifestandæ causa (§. 611. *part. 1. Theol. nat.*), & nihil eorum, quæ ad præsentem rerum seriem spectant, decrevit nisi respectu finis, ob quem decrevit existentiam totius universi (§. 606. *part. 1. Theol. nat.*), consequenter nonnisi quatenus facit ad manifestationem gloriæ suæ; qui pietatem colit, modum

dum determinandi actiones liberas ad modum, quo Deus eas determinat, couformare studet. Quamobrem cum in conformatione actionis suæ ad actionem alterius imitatio consistat (§. 204. *part.2. Phil.pract. univ.*); qui pietatem colit, in determinandis actionibus liberis Deum imitatur.

Imitatio Dei in determinatione actionum liberarum non confundenda est cum imitatione Dei in agendo, veluti si beneficentiam Dei imitemur benefaciendo aliis, vel sapientiam ejus sapienter agendo, ut in casu priori bonitatem Dei, in posteriori sapientiam Dei nobis proponamus tanquam exemplar. Quando Deum imitamur in agendo, actio nostra similitudinem quandam habet cum actione divina; quando vero eundem imitamur in determinatione actionum liberarum, modus determinandi voluntatem nostram similitudinem quandam habet cum modo, quo ipse Deus voluntatem suam determinat. Equidem voluntatis determinatio non concipitur sine motivis (§. 889. *Psych. empir.*), ita ut etiam motivum aliquod adsit necesse est, ut Deus quid velit (§. 312 *part. 1. Theol. nat.*); determinatio tamen per motiva in genere spectata non sufficit ad imitationem Dei in determinatione actionum liberarum, immo illa ad imitationem ne quidem referri potest, cum imitatio requirat actum a libertate agendi dependentem, seu voluntarium. Quamobrem ea redit ad modum, quo motiva inveniuntur & dijudicantur, quemadmodum ex demonstratione propositionis præsentis apparet. Ac ideo patet, cur hæc imitatio restringenda sit ad eum, qui pietatem colit. Possunt rationes objectivæ & subjectivæ conjunctim constituere motivum voluntatis, sed hinc nondum voluntatis humanæ determinatio similitudinem acquirit cum determinatione voluntatis divinæ. Vult Deus, quicquid summæ rerum perfectioni, quam habere possunt (§. 443. *part. 1. Theol. nat.*); & quod perfectionibus divinis convenit (§.

445.

445. *part. 1. Theol. nat*) : pius vero dum actiones suas legi naturæ conformat similiter vult, quicquid perfectioni facultatum animæ, corporis & status exerni, quam urget lex naturæ (§. 152. *part. 1. Phil. pract. univ.*), acquirendæ, vel conservandæ, & perfectioni humanæ, aptitudini promovendi gloriam Dei (§. 917. *part. 1. Theol. nat.*), convenit. Observanda est differentia, quæ inter ens infinitum, quod Deus est (§. 1004. *part. 1. Theol. nat.*), & finitum, quale hominem esse constat, & inter ens independens, quod itidem Deus est (§. 25. *part. 2. Theol. nat.*), ac dependens, quale hominem esse novimus, intercedit. Deus, qui summa perfectione gaudet, cui nihil decedere potest, pro objecto habet creaturas, dum decernit, quid facere velit; ast homines conservationem perfectionis naturalis & acquisitionem accidentalis animæ, corporis ac status externi, quando decernunt, quid facere velint. Perfectio Dei absoluta est, nec ad ens aliud refertur, at humana respectiva est, quæ refertur ad Deum, a quo dependet. Deus agit gloriæ suæ manifestandæ causa; homo vero gloriæ divinæ promovendæ causa. Ceterum hæc ipsa imitatio Dei in determinandis actionibus liberis, quæ a pietate dependet, motivum est culturæ pietatis iis, qui recte agere & quod hominem qua hominem decet decreverunt.

§. 118.

De directione actionum ad finem totius universi.

Pius actiones suas omnes dirigit ad finem totius universi. Quoniam enim pius actiones suas conformare studet legi naturæ per motiva ab attributis divinis & providentia divina desumta (§. 339. *part. 1. Theol. nat.*), ideo quoque testatur, se attributa divina agnoscere & pro certo habere, quod Deo competant (§. 244. 245. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum gloriam Dei promoveat, qui verbis & factis testatur, se agnoscere perfectionem Dei absolute

ſolute ſummam & quod eadem gaudeat pro certo habere (§. 610. *part. 1. Theol. nat.*); pius omnibus actionibus ſuis gloriam Dei promovere ſtudet. Enimvero finis ultimus, quem Deus per exiſtentiam hujus univerſi intendit & ad quem omnes fines particulares refert (§. 626. *part. 1. Theol. nat.*), eſt manifeſtatio gloriæ ſuæ (§. 629. *part. 1. Theol. nat.*). Pius igitur actiones ſuas omnes dirigit ad finem totius univerſi.

In actionibus liberis, de quibus in Philoſophia morali ſermo eſt, diſtinguendum eſt phyſicum a morali. Actio phyſice ſpectata non differt a naturali, cum interna conſiſtat in modificatione animæ, quæ uſu facultatum eodem modo perficitur, quemadmodum naturalis, externa autem in motu organorum corporis, qui eodem modo perficitur, quemadmodum in actione naturali. Quamobrem cum actiones naturales referantur per eſſentiam & naturam animæ ac corporis, ſicuti actiones omnes rerum quarumcunque in hoc univerſo ad finem ultimum creationis ſeu finem totius mundi; ita etiam ad eundem ab ipſa natura diriguntur actiones hominum liberæ, quatenus phyſice ſpectantur. Quemadmodum itaque ex actionibus naturalibus diſtincte agnitis, ut intelligatur, quomodo per eſſentiam & naturam rerum ad actualitatem perducuntur, attributa divina colliguntur, ſicque per eas gloria Dei manifeſtatur; ita idem ſimiliter obtinet in actionibus liberis phyſice ſpectatis. Legenda hic ſunt, quæ de actionibus malis phyſice ſpectatis alias, etſi fine alio, demoſtravimus (§. 569 & *ſeqq. part. 1. Theol. nat.*). Actio moraliter ſpectata conſideratur tanquam dependens a libertate animæ, quatenus ea eligit, quod ipſi placet, cum ad neutrum per eſſentiam ſuam determinata ſit (§. 941. *Pſych. empir.*), utpote ſeipſam determinans ad volendum, vel nolendum motivis ſuis convenienter (§. 932. *Pſych. empir.*). Ac ideo moraliter ſpectata ad fi-

ad finem universi non refertur nisi per motiva ab attributis divinis & providentia divina desumta, sicque quod morale est cum eo, quod physicum est in actione libera, consentit quoad relationem ad finem universi, homine vi libertatis actionem dirigente ad eundem finem, ad quem natura eandem dirigit. Quodsi hoc non fiat, actio humana, etsi a virtute, se posita tamen pietate, proficiscatur, talis quidem est, quæ ad finem totius universi dirigi potest, non tamen actu dirigitur, atque tum eadem in se legi naturæ equidem non repugnat, defectu tamen quodam adhuc laborat, quatenus non determinatur per motiva ab attributis divinis desumta, quemadmodum fieri poterat (§. 253. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & debebat (§. 251. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodsi vero actio libera legi naturæ repugnat, tum per se talis est, quæ ad finem totius universi referri nequit, utpote minime determinabilis per motiva ab attributis divinis desumta, sicque fini totius mundi, nimirum manifestationi gloriæ divinæ repugnat. Velim ut hæc probe perpendantur: ita enim demum penitus perspicietur differentia inter actiones humanas, quam intime perspectam habere multum interest, non modo quando de rectitudine actionum humanarum judicium exactum ferendum, verum etiam ut nebulæ dispellantur in aliis, quæ circa actiones humanas menti offunduntur. Ceterum hic quoque relegenda sunt, quæ de aptitudine hominis ad repræsentandum perfectionem Dei alias annotavimus (*not.* §. 920. *part. 1. Theol. nat.*).

§. 119.

De medio dirigendi actiones ad perfectionem universi.

Pietas medium est dirigendi actiones suas omnes ad perfectionem universi. Pius enim dirigit actiones suas ad finem totius universi (§. 118.), ideoque ad manifestationem gloriæ divinæ (§. 629. *part. 1. Theol. nat.*). Quoniam itaque per-

perfectio consistit in aptitudine manifestandi gloriam Dei (§. 673. *part. 1. Theol. nat.*); pius actionum suarum liberarum determinatione ad perfectionem universi confert, quicquid qua agens liberum conferre potest. Quamobrem cum hoc modo perfectio totius universi obtineatur, pietas medium est dirigendi actiones suas omnes ad perfectionem totius universi (§. 937. *Ontol.*).

Vult Deus, ut homo actiones suas dirigat ad perfectionem totius universi (§. 920. *part. 1. Theol. nat.*). Quodsi ergo huic officio satisfacere velimus, pietatem colere debemus. Equidem qui pietatem colit, actiones suas omnes ad perfectionem universi actu dirigit, etiamsi directe id non intendat; non tamen propterea existimandum est, quasi superfluum ac inutile sit, ut demum demonstretur hominem obligari ad hanc actionum directionem ac pietatem esse medium eas sic dirigendi. Interest enim, ut agnoscamus, quaenam sit nostra obligatio & quinam sit pietatis effectus. Cum enim ad satisfaciendum obligationi requiratur omnium facultatum usus (§. 172. *part. 1. Jur. nat.*), eam quoque intime cognitam atque perspectam habere debemus. Accedit, quod bonitas & malitia intrinseca actionum penitus non cognoscatur, nisi perspecta sint omnia, quae ex iis necessario consequuntur (§. 554. 565 *Psych. empir.* & §. 57, 59, *part. 1. Phil. pract. univ.*): quae cum debeat esse motivum recte agenti (§. 80. *part. 1. Phil. pract. univ.*), fortius utique motivum est, quo penitius cognoscitur. Notandum praeterea est, cum actionem appetere, vel aversari nequeamus, antequam eandem cognoscamus (§. 148. *part. 2. Eth.*); nos dici minime posse obligationi satisfecisse, nisi habeamus animum eidem satisfaciendi, si vel maxime contingat ut nobis insciis actio eidem respondeat. Denique fieri quoque potest, ut, qui pietatem nondum colit, ubi intelligit, pietatem esse medium dirigendi actiones suas

omnes ad perfectionem universi, ad pietatis culturam incitetur, aut ubi eidem jam studet, studium efficiatur ardentius, si ad præclara nititur: id quod excelsorum animorum proprium est, quibus pulchra sunt, quæ non vulgaria, aut si quis animum habet recte agendi, ut in actione sua nihil desiderari possit.

§. 120.

De harmonia actionum naturæ & humanarum.

Qui pietatem colit, qua individuum physicum & qua persona moralis una cum creaturis ceteris omnibus propter eundem finem ultimum agit. Etenim corpora omnia & tota rerum natura agunt propter fines a Deo intentos, ac si ipsamet eos intenderent (§. 661. *part. 1. Theol. nat.*) & Deus fines hos particulares subordinat fini ultimo (§. 631. *part. 1. Theol. nat.*), ut se habeant per modum mediorum ad ultimum (§. 634. *part. Theol. nat.*). Quamobrem cum homo qua individuum physicum cum rebus ceteris in numero creaturarum sit (§. 779. 782. *part. 1. Theol. nat.*); qua individuum physicum similiter agit propter fines a Deo intentos & fines hi subordinantur ultimo per modum medii. Quoniam itaque homo, quatenus agens liberum est, tanquam persona moralis spectatur (§. 70. *part. 1. Jur. nat.*) &, si pietatem colit, actiones suas omnes ad finem totius universi, seu ultimum, quem Deus per creationem universi intendit, dirigit; qua persona moralis quoque propter finem ultimum eundem agit, propter quem agunt creaturæ ceteræ, *per demonstrata*. Qui ergo pietatem colit, qua individuum, physicum & qua moralis persona una cum creaturis ceteris propter eundem finem ultimum agit.

Nascitur hinc perfecta harmonia inter omnes omnium creaturarum & hominis actiones, qua mirifice delectatur, qui

qui pietatem colit, si eandem intime perspicit. Cum voluptas stimulus sit appetitus (§. 156. *part. 2. Eth.*), fieri non potest, quin hac harmonia inflammetur ardor pietatem colendi, ut ejus scientia merito ad motiva pietatis referatur. Deus nihil prætermisit eorum, quæ ad consequendum finem ultimum, quem per creationem mundi intendit, facere potuit, cum tamen homini, quatenus agens liberum est, determinationem actionum liberarum relinquere debuerit, sufficit ex parte ipsius, quod eum obligaverit ad pietatem colendam: quod si homo facit, nec officio suo deest, etiam qua persona moralis ad eundem finem actiones suas dirigit. Hominis igitur est, ut voluntatem suam ad voluntatem Dei componat, quemadmodum debet (§. 970. *part. 1. Theol. nat.*): quod si non facit, Deus fine suo, quem intendit, propterea non excidit, cum non modo actio, quatenus physice spectatur, adhuc fini ultimo consequendo servit (*not.* §. 118.); verum etiam non obstante repugnantia cum fine ultimo, quatenus tanquam moralis consideratur, ad bonum finem, ideoque ultimi consequendi causa (§. 617. *part. 1. Theol. nat.*), dirigitur (§. 680. *part. 1. Theol. nat.*).

§. 121.

De ignorantia pietatis impedimento.

Qui notionem pietatis distinctam non habet, pietatem colere nequit, quemadmodum debebat. Qui enim notionem pietatis distinctam non habet, is non perpendit, quod ope attributorum divinorum tanquam per motiva actiones suas omnes legi naturæ conformare debeat (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*), consequenter nec de eo sollicitus est, quænam attributa divina in quolibet actionum genere motivis inservire possint, & quænam officia Deo debita cum officio alio quocunque conjungenda, aut quomodo officium aliud quodcunque per illa determinandum sit. Quamobrem

obrem cum hæc nosse debeat, qui pius esse vult (§. 107.), ideoque pietatem non recte exerceat, quemadmodum debebat, qui in determinandis actionibus suis hæc non observat; qui notionem pietatis distinctam non habet, pietatem colere nequit, quemadmodum debebat.

Dantur pietatis gradus, quemadmodum virtutum omnium. Quamobrem fieri quidem potest, ut, qui confusam quandam pietatis notionem habet, aut minime completam, pietatem colat pro modulo cognitionis suæ, non tamen eandem colet in omnibus actionibus suis, quemadmodum fieri potest, ac debet. Sunt longe plurimi, qui non aliam actionum bonarum notionem habent, quam quod sint a Deo præceptæ, nec aliam malarum, quam quod sint a Deo prohibitæ, pietatem vero in eo consistere putant, ut faciamus, quæ Deus præcipit, & non faciamus, quæ prohibet, atque hinc bonam voluntatem, quæ in determinatione generali ad faciendum ea, quæ voluntati divinæ conformia sunt, consistit (§. 121. *part. 1. Eth.*), ad pietatem quidem requisita, sed quæ non ipsa pietas est, cum pietate confundunt. Nimirum qui per voluntatem Dei voluntatem suam determinat ad agendum, quod pietati convenit facit, cum in numero attributorum divinorum etiam sit voluntas Dei (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*), facit etiam, ad quod obligatur (§. 1143. *& seqq. part. 1. Jur. nat.*); non tamen animus faciendi nonnisi ea, quæ Deus vult, pietatem exhaurit, *per antea demonstrata.* Et qui non adsueti sunt judicare de rebus ex distinctis notionibus, multa comminiscuntur tanquam ad pietatem requisita, quæ ab ea aliena sunt, immo ei prorsus contraria, & commentis opinionum suarum nasutioribus se & ipsam pietatem deridendam propinant, ut, quam exemplo suo docere & propagare debebant, eam aliis exosam reddant. Sicuti ignorantia in omni praxi morali plurimum nocet; ita non minus nocet in studio pietatis, cui nihil magis adversatur, quam si quis ea addiscere negligit, quæ ad pietatem rite colendam requiruntur.

runtur. Proſtant hodie ubivis exempla, quibus propoſitio præſens illuſtrari & confirmari poteſt, & utinam non tam obvia eſſent?

§. 122.

Quoniam pietatem colere nequit, quemadmodum debebat, qui notionem pietatis diſtinctam non habet (§. 121.), eandem vero colere debemus in omnibus actionibus noſtris (§. 1127. *part. 1. Jur. nat.*), & lex naturæ urget, ut eam recte colamus (§. 189. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *omni animi contentione id agendum, ut diſtinctam pietatis notionem nobis comparemus*, conſequenter *quæ ad exercitium pietatis in quolibet actionum genere requirantur, nobis familiaria reddamus.* *De ſublatione iſtius impedimenti.*

Qui pietatem colere vult, non modo noſſe debet, quomodo ſit exercenda, ſed certus quoque eſſe debet, quod ita recte exerceatur. Pietatis igitur ſcientiam ſibi comparare debet (§. 595. *Log.*). Ea inprimis inſtructus ſit neceſſe eſt, qui aliorum animos ad pietatem formare vult. Quænam requirantur ad ſcientiam acquirendam, ſufficienter demonſtravimus, cum de virtutibus intellectualibus ageremus (§. 403, *& ſeqq part. 1. Eth.*), & unde haurienda ſit, oſtendimus (§. 409. *part. 1. Eth.*). Atque hinc intelligitur, quantum fallantur, qui putant, ſe ſine ſcientia ad pietatem pervenire poſſe, immo qui putant, ſtudio perficiendi intellectum animum ineptum effici ad pietatem, quaſi vero pius eſſe nequeat, niſi qui ſcientiæ ac doctrinæ ſolidæ hoſtis ſit. Teſtantur vero, qui ita ſentiunt, exemplo ſuo, quam perverſa ſit eorum pietas, qui ab ea ſcientiam ſeparant, & quanta labe inficiantur etiam ea, quæ in ſe ſpectata recta ſunt. Quamobrem ut pietatem recte colamus, quemadmodum urget lex naturæ, a Deo nobis lata, non modo huc

huc usque in genere demonstravimus, qualis esse debeat pietas, ut legi naturæ conformis sit; verum etiam, quando suo loco ad ceteras virtutes explicandas accedemus, in specie ostensuri sumus, quomodo pietas in earum exercitium influere debeat. Quoniam itaque ex libris methodo demonstrativa conscriptis scientia haurienda, nec aliunde hauriri potest (§. 409. *part. 1. Eth.*); si Ethicæ nostræ studium ad pietatem veram adspirantibus commendamus, non facimus nisi quod veritas imperat, cum nec alio fine in pietate explicanda tantum studii collocemus, quam ut alios ad pietatem rite exercendam adducamus.

§. 123.

De erroneis in Theologia naturali opinionibus pietatis cultumaram impedientibus.

Errores de Deo impedimento sunt; quo minus pietas recte colatur, quemadmodum debebat. Etenim qui errores de Deo fovet, vel novit pietatem coli, si attributa divina influant per modum motivorum in determinationem actionum committendarum, & omittendarum, vel sibi persuadet, pietatem consistere in animo faciendi ea, quæ Deus vult. In casu priori comminiscitur actus tanquam ad exercitium pietatis requisitos, quos erroribus istis convenire judicat, consequenter pietatem in superstitionem (§. 1255. *part. 1. Theol. nat.*), vel etiam idololatriam vertit (§. 1258. *part. 1. Theol. nat.*). In casu posteriori cum pietas cum voluntate bona confundatur (§. 121. *part. 2. Eth.*), non modo se exponit periculo committendi actiones malas, non committendi bonas, cui obnoxia est voluntas bona (§. 131. *part. 2. Eth.*); verum eriam quia nonnisi voluntate divina utitur tanquam motivo in determinandis actionibus suis, insuper habitis attributis divinis ceteris, pietatem intra arctiores limites coërcet, quam fieri debebat (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & voluntati divinæ confor-

conformes judicans actiones, quae ab eadem abhorrent, quippe de quibus judicat non ex veritate, sed erroneis opinionibus, perinde ac in casu priori in actus superstitiosos et idololatricos incidit, pro errorum, quos de Deo fovet, diversitate. Quamobrem patet errores de Deo impedimento esse, quo minus pietas recte colatur, quemadmodum debebat.

Pietas supponit veram Dei agnitionem, ut sit recta (§. 103.). Qui erroneas de Deo fovet opiniones, Deum non agnoscit, qualis revera est. Vera igitur agnitione Dei si quis destitutus, pietas recta esse nequit. Erroneæ de Deo opiniones non minus nocent pietati, quam ignorantia Dei. Quodsi quis prorsus ignoret, dari Deum; pietas tollitur. Si quis ignoret quædam attributa divina, cum ea influere nequeant in determinationem voluntatis; pietas tollitur ex parte, ideoque minus perfecta evadit. Si quis vero erroneas de Deo opiniones fovet, cum eædem in determinationem voluntatis influunt, pietatem labe inficiunt atque pervertunt. Perversa pietas quantum damnum det veræ, experientia abunde docet; & quantum illud sit, omnium optime perspicit, qui pietatem veram & ab omni labe immunem quoad omnem extensionem suam cognitam atque perspectam habent.

§. 124.

Quoniam errores de Deo impedimento sunt, quo minus pietas recte colatur, quemadmodum debebat (§. 123.); *Qui pietatem colere vult, ab erroneis de Deo opinionibus sibi cavere debet*, consequenter *omni animi contentione in id eniti, ut certam de Deo cognitionem consequatur*, consequenter cum certa sint, quæ demonstrantur (§. 568. *Log.*), *in Theologia naturali nihil admittendum tanquam verum, nisi quod fuerit demonstratum.* *Quomodo errores isti evitentur.*

Non alio fine methodo demonstrativa condidimus systema Theologiæ naturalis, quam ut certam Dei cognitionem consecuti in pietatis cultura a vero tramite non aberremus & officia ipsi debita recte cognosceremus: neque enim Theologia naturalis curiositatis saltem gratia addiscitur, quemadmodum faciunt, qui contenti sunt, ut de Deo pulchre disserere & in arduis de Deo disputationibus vires ingenii sui ostentare valeant. Quid juvat profunda Dei cognitio & ardua de eodem disputatio, nisi cognitio influat in actiones tuas, ut iisdem gloriam Dei promoveas ipsique placere studeas? Hoc enim nisi fiat, Dei notitia vitiorum fomes erit, quæ incitamentum ad pietatem & virtutem esse debebat. Ast nihil in se tam bonum ac utile est, quod per abusum ad malum trahi nequeat. Facile hinc videre licet, quantum pietati adversentur, qui cum pietatem promovere volunt, doctrinam solidam & profundam in Theologia naturali damnant, immo si possunt vexas iis creant, qui quæ de Deo cognoscuntur ad certitudinem via demonstrationis perducere student, & agnitionem Dei ultra limites promovere, quos arrogantia ipsorum eidem statuit. Cum in vulgus notum sit, quantum erroneæ de Deo opiniones pietati nocuerint, & quomodo eandem in monstra absurda & horrenda transformaverint; absonum quoque est, urgere pietatem & locum facere impedimento pietatis, sublato fundamento certitudinis, a qua si recedamus nobis satis cavere non valemus, ne in errores incidamus. Ad Theologiam revelatam cum in philosophia non digrediamur; Theologis relinquimus, quæ hic & in aliis ex illius principiis deducta dici poterant, etsi nobis non difficile foret omnia ex scriptura sacra demonstrare, quemadmodum in Theologia naturali consensum cum scriptura evicimus. Notanda tamen hic sunt, quæ de erroribus tolerabilibus supra demonstravimus & annotavimus (§. 99.). Quinam vero errores sint tolerabiles, nemo dijudicare potest, nisi qui veri-

ritatem agnovit, nec ignorat, quomodo ea in determinationem actionum humanarum influat.

§. 125.

Sententia atheorum de pietate.

Atheus pietatem pro figmento habet, quae ad vulgi imperiti cupiditates refrenandas inventa, hominem vero supra vulgus sapientem dedecet. Atheus negat dari Deum (§. 411. *part. 2. Theol. nat.*), ideoque notionem Dei a Politicis plebis indomitae coërcendae causa confictam esse contendit. Quamobrem cum pietas tota pendeat ab hypothesi quod detur Deus & quod ipsi conveniant ea attributa, quae eidem tribuuntur (§. 339 *part. 1. Phil. Pract. univ.*); si ponatur atheismus, sequitur omnino, ut pietas nulla sit & nonnisi a Politicis conficta plebis indomitae coërcendae causa, ubi poenae civiles eidem coercendae non sufficiunt. Atheus igitur pietatem pro figmento habet, quae ad vulgi imperiti cupiditates, metu poenarum civilium non reprimendas, refrenandum inventum. *Quod erat unum.*

Enimvero cum praejudicia, quibus a primis incunabulis imbutus est animus, dedeceant hominem, qui supra vulgus imperitum sapit, ad ista praejudicia vero referenda quoque sit ex hypothesi athei opinio de Deo, cui tota innititur pietas, atheus aliter opinari nequit, quam quod pietas dedeceat hominem supra vulgus sapientem. *Quod erat alterum.*

Equidem dantur athei, qui pietatem cum omni religione traducunt; quod tamen atheorum sit traducere pietatem & in contemtum adducere noluimus dicere: neque enim demonstrari potest, nisi quod ex hypothesi necessario sequitur. Quodsi enim fuerint pietatis irrisores, id non atheismo, quem profitentur, sed vitiis aliis, quibus laborant, tribuendum, veluti si fastu turgidi aliis acutiores videri volunt.

Quoniam vero Deum dari negant, pietatem quoque cum Deo in eundem censum referre tenentur. Quamobrem cum Dei notionem a Politicis confictam esse contendant plebis indomitæ coercendæ causa; pietatem quoque pro simili commento habere tenentur. Atheismus itaque pietatem tollit, ideoque eidem e diametro adversatur, & recte inter impedimenta pietatis refertur. Cum athei falsum esse existiment, quod detur Deus; opinionem de Deo, & per consequens de pietate, non possunt non accensere præjudiciis a prima infantia ingenitis (§. 1011. *Log.*). Nemo non fatetur, turpe esse viro, qui ubi intellectu rectius uti didicit, quam vulgo imperito concessum, præjudicia in pueritia hausta non deponit. Atheus igitur vi hypotheseos suæ aliter sentire nequit, quam quod pietas dedeceat eos, qui supra vulgus imperitum sapiunt in aliis, nisi forsan e re esse judicet, ut pietatem simulet: id quod ad rem præsentem minime facit. Patet itaque, nos atheis non imputare, nisi quod ex hypothesi eorum necessario sequitur, & quod ultro confiteri debent, si se atheos profitentur.

§. 126.

Quomodo impedimentum istud tollatur. Quoniam athei pietatem pro figmento Politicorum habent, quæ ad vulgi imperiti cupiditates refrenandum inventa sit, hominem vero supra vulgus sapientem dedeceat (§. 125.); stante autem hac opinione corruit pietas omnis; *ut pietas salvetur, ex animo evellenda est opinio, quasi notio Dei saltem conficta sit a Politicis refrenandi cupiditates plebis indomitæ causa, quæ metu pœnarum civilium compesci nequeunt* (§. §. 436. *part. 1. Theol. nat.* & §. 90. *h.*)

Quæ de pietate demonstramus, quod vera esse debeant, si quis pro certo habet dari Deum & ea ipsi convenire attributa, quæ in Theologia naturali eidem vindicavimus, in dubium vocare nequit atheus, cum ex iis, quae de Deo ex

ex Theologia naturali sumuntur, necessaria consequentia deducantur. Admittere igitur tenetur pietatis in determinationem actionum influxum, quo virtutis studium facilitatur & firmatur, & dignitatem hominis, quam ipsi conciliat pietas virtuti juncta. Quamobrem si urget, opinionem de Deo in mundum introduxisse superstionem multorum malorum genetricem, immo hominibus persuasisse actiones prorsus nefandas, aut saltem maxime absurdas, provocans ad exempla apud Gentes passim & olim, & hodienum obvia; ostendendum est, id tribuendum esse erroneis de Deo opinionibus, non vero agnitioni veri Dei, unde nos deduximus, quæ de pietate docuimus, & quod ipsimet ultro confiteamur, errores de Deo impedimento esse, quo minus pietas recte colatur, quemadmodum debebat (§. 123). Neque enim pietas vera, quæ ex agnitione Dei veri fluit, quem nos confitemur, rejicienda est, propterea quod homines erroneas foventes opiniones pietatis quandam speciem sibi finxerint, quæ a ratione aliena est & hominem sanæ mentis dedecet, aut saltem defectum judicii arguit. Sicuti absurdæ de Deo opiniones non consistunt cum iis, quæ nos de Deo demonstravimus in Theologia naturali (§. 98.); ita quoque pietas vera, quam ex iisdem derivavimus, non fert pietatem superstitiosam, qualiscunque tandem fuerit, ex fonte putido profluentem, quæ pietatis nomen minime meretur. Qui contendit pietatem dedecere eum, qui supra vulgus sapit, aut sapere debet, ostendere tenetur, quod dedeceat pro vero habere ea, quæ in Theologia naturali de Deo demonstravimus, & ex iis de pietate deduximus. Quodsi hoc facere audeat, tum usui erunt ea, quæ de absurditate atheismi supra inculcavimus (§. 84. & *seqq.*). Pertinet etiam huc, quod supra demonstravimus, hominem nihil magis decere, quam agnitionem Dei (§. 75.) & pietatem (§. 116.).

§. 127.

De ignorantia Dei & atheismo pietatis impedimento & quando hic ad impietatem ducat.

Ignorantia Dei & atheismus pietatem tollunt: quodsi accedat erronea de indifferentismo morali & obligatione naturali nonnisi a voluntate Dei deducenda opinio, atheismus ad impietatem viam sternit. Qui enim ignorat dari Deum, ei nulla Dei notio est, saltem is nihil de Deo distincte cognoscit (§. 428. *part. 1. Theol. nat.*), ideoque nulla ipsi perspecta sunt attributa divivina. Quamobrem fieri nequit, ut vi motivorum ab iis desumtorum actiones suas legi naturæ conformare studeat, si vel maxime eidem convenienter easdem dirigat, quatenus agnoscit posita hominis rerumque essentia poni legem naturæ (§. 136. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & ejus obligationem rationem sufficientem in ipsa hominis rerumque essentia atque natura habere (§. 143. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque pius non est, qui actiones suas vi motivorum ab attributis divinis & providentia divina desumtorum conformare non studet (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ignorantia Dei pietatem tollit. *Quod erat primum.*

Atheus negat dari Deum (§. 411. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem nec concedere potest, hominem obligari ad actiones suas vi motivorum ab attributis divinis desumtorum legi naturæ conformandas. Quoniam itaque pietas consistit in habitu actiones suas vi motivorum ab attributis divinis desumtorum legi naturæ conformandi (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*); atheismus pietatem omnem tollit. *Quod erat secundum.*

Enimvero lex naturæ subsistit etiam in hypothesi athei (§. 245. *part. 2. Phil. pract. univ.*), atque differentia inter actiones

ones malas & bonas (§. 247. *part. 2. Phil.pract. univ.*), nec atheus necessario delectatur actionibus malis & bonas aversatur (§. 501. *part. 2. Theol. nat.*), ut ideo nolit actiones suas legi naturæ, & per consequens voluntati Dei, quem non agnoscit, etiam inscius convenienter determinare, ac per consequens non necessario impius est (§. 1149. *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero si atheismo admiscet errorem de indifferentismo morali & obligatione naturali nonnisi a voluntate Dei deducenda, licentiam vivendi sibi fingit, & legem naturæ nullam esse contendit. Quoniam itaque putat sibi natura competere jus sine ulla restrictione faciendi, quod vult (§. 150. *part. 1. Jur. nat.*), nulla habita ratione legis naturæ; eidem quoque actiones suas conformare non vult, consequenter non ad Dei voluntatem (§. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*), sed ad suam, prouti nempe sibi visum fuerit, easdem componere vult. Quamobrem cum impius sit, qui actiones suas ad voluntatem Dei componere non vult (§. 1149. *part. 1. Jur. nat.*); si ad atheismum accedat erronea de indifferentismo morali & de obligatione naturali a sola voluntate Dei deducenda opinio, atheismus ad impietatem ducit. *Quod erat tertium.*

Impium non esse, qui legi naturæ actiones suas conformat sejuncta pietate, alias jam monuimus (*not.* §. *1149 part. 1. Jur. nat.*). Et quis dixerit *Confucium*, virtutis infucatæ cultorem maxime sincerum, hominem impium, propterea quod, cum Deum ignoraret, pietatem cum virtutis cultura non conjunxerit? Virtute is multos antecellit, qui pulchre de Deo disserere & alios ad agnitionem veri Dei perducere ac de voluntate ipsius instruere didicerunt. Fatentur Missionarii, in proœmiali Declaratione scientiæ Sinensi sub titulo *Confucii Sinarum Philosophi* Parisii editæ præmissa, philosophiam moralem *Confucii* optime consentire cum doctrina morali

morali Christi. Constat vero *Confucium* omni animi contentione id egisse, ut doctrinam, quam tradebat discipulis, exemplo suo confirmaret, ac omnium maxime ursisse actionis externæ cum interna consensum & ab omni hypocrisi & laudis affectatione maxime alienum fuisse. Quod vero nec atheis annumerandus sit, non minus liquet (§. 427. *part. 2. Theol. nat.*). Quamvis itaque ignorantia Dei pietatem tollat, propterea tamen ad impietatem minime ducit, modo non accedat erronea de lege naturæ opinio, quasi sine Deo nulla concipi possit. Quod vero ab hac opinione venit, id ab ignorantia Dei derivari nequit. Immo idem valet de atheismo, cum dudum ostenderimus, quod atheus admittere teneatur differentiam inter actiones malas & bonas (§. 500. *part. 2. Theol. nat.*), & supra demonverimus perperam sumi, quod nullo modo probari potest, si non detur Deus, non dari legem naturæ & hanc legem esse jugum homini impositum, felicitati ejus adversum (§. 91.). Non obstante atheismo agnoscitur, sine custodia legis naturalis neminem felicem esse posse, cum id independenter ab existentia Dei demonstretur (§. 399. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Tantum igitur abest, ut demonstrari possit, atheismum parere licentiam vivendi.

§. 128.

Cur atheismus plerosque ad impietatem seducat.

Quoniam atheismus ad impietatem viam sternit, si ad eum accedat erronea de indifferentismo morali & obligatione naturali nonnisi a voluntate Dei, seu, quod perinde est, a metu Dei tanquam mali vindicis (§. 301. *part. 1. Phil. pract. univ.*), unice derivanda opinio (§. 127.), hæc autem opinio plerorumque animos obsedit, cum bonitatem & malitiam intrinsecam actionum & originem obligationis naturalis ex essentia atque natura humana minime capiant

capiant, et contraria opinio in praxi communi a prima pueritia hominum animis saltem tacite insinuetur, atque in adultis deinceps foveatur; *ex accidente fit, ut atheismus plerumque ad impietatem viam sternat, eumque amplectantur, quibus vivendi licentia arridet.*

Contingit hinc, ut, qui de rebus ex earum notionibus statuere adsueti non sunt, cum videant atheismum ob vivendi licentiam affectare eos, qui eum nulla ratione probabili defendere, nec contra existentiam Dei dubium quoddam, quod vel minimam speciem veri habet, proferre valent, sibi persuadeant, atheismum licentiam vivendi parere, ac per consequens ad impietatem viam sternere. Atque hoc sibi tanto firmius persuadent, si in se ipsis experiantur, animadversa difficultate refrenandi cupiditates suas sese malle, ut non sit, quam ut sit Deus, aut se ad actiones legi naturæ, seu voluntati divinæ repugnantes omittendum non nisi metu Dei eas committentem punientis compelli. Ac inde est, ut atheismus simpliciter hypothesis impia dicatur, etsi impietatis labem eidem adspergat opinio de indifferentismo morali & obligatione servandi legem naturæ metu pœnarum a Deo introducta (§. 127.): quæ appellatio tanquam terminus retineri potest, cum in denominatione non attendatur veritas, multo minus si ratio denominandi saltem aliquid erronei admixtum habet.

§. 129.

De negligentia pietatis ob ignorantiam Dei & atheismum.

Quoniam ignorantia Dei & atheismus pietatem tollunt (§. 127.); *si quis ob ignorantiam Dei pietatem negligit, ad agnitionem Dei perducendus, sive vi demonstrationis, ope systematis Theologiæ naturalis (§. 9.), sive consideratione hujus universi (§. 21. & seqq.), aut utroque modo (§. 251. part. 2. Phil. pract. univ.).* Sed *ne atheus pietatem negligat*, cum opinio-

nem erroneam deponere debeat, *absurditatis atheismi convincendus* (§. 84. & *seqq.*), & *vitia, quibus laborant argumenta ipsius contra existentiam Dei allata, ostendenda* (488. *part.* 2. *Theol.*).

Nihil in hisce difficultatis est. Sublata enim causa neglectus pietatis tollitur quoque ipse neglectus. Nimirum agnitionem quoque Dei recte referimus ad cultum divinum, a quo pietas abesse nequit (§. 1127. *part.* 1. *Jur. nat.*) Et quando sumimus, ob ignorantiam Dei negligi pietatem; supponimus hominem habere voluntatem bonam, quæ generaliter determinata est ad actiones legi naturæ conformandas (§. 121. *part.* 2. *Eth.*). Similiter cum atheus neget dari Deum, cui ea conveniunt attributa, quæ ipsi in Theologia naturali vindicantur (§. 411. *part.* 2. *Theol. nat.*); historicam eorum cognitionem habere debet, nec ignorare, quid pietatis nomine veniat, si vel maxime non adeo distinctam habeat ejus notionem, qualem nos dedimus. Quicquid vero hujus sit, si atheismus profligatur, is non amplius obstare poterit culturæ pietatis, quam nos urgemus, quem in præsenti eidem obstare supponimus. Per se autem patet, ne huic impedimento pietatis locus concedatur, operam dandam esse, ut certam de Deo cognitionem consequamur, firmissimum contra atheismum & dubitationes de Deo præsidium (§. 93).

§. 130.

Quomodo præcaveatur, ne atheismus vivendi licentia sese commendet. Quia atheismus ad impietatem viam sternit, opinione de indifferentismo morali & obligatione a voluntate Dei mali vindicis unice derivanda ad eum accedente (§. 127.); *ne atheismus licentia vivendi ad impietatem pronis sese commendet, ad agnitionem bonitatis & malitiæ intrinsecæ actionum & obligationis naturalis ex ipsa hominis essentia & natura fluentis homines deducendi sunt argumentis, quæ in parte prima Philosophiæ*

losophiæ practicæ universalis demonstravimus; eorumque voluntas emendanda vi eorum, quæ in parte secunda Ethicæ ostendimus.

Cum pauci sint, quos speculatio sola ad atheismum ducit, plerisque autem vivendi licentia eundem commendet, ideo ad profligandum atheismum maxime conducit, ut intrinseca actionum bonitas & malitia intime perspiciatur, & quomodo per ipsam essentiam atque naturam humanam obligemur ad actiones bonas committendas, malas omittendas convincamur, aut saltem ad veritatem persuadeantur, qui hebetiores sunt, quam ut vi demonstrationis convinci possint, ac præterea in emendanda voluntate omne studium collocetur. Quæ eo fine scitu necessaria sunt, abunde nos docuimus, ut nihil præcipiamus, quod a nobis fieri minime possit.

§. 131.

Cur nostro tempore id ut fiat maxime opus sit.

Quoniam plurimum conducit ut præcaveatur, ne atheismus licentia vivendi se commendet ad impietatem pronis (§. 130.), consequenter effrenatas animi cupiditates satiare desiderantibus (§. 1149. *part. 1. Jur. nat.*), maxime vero opus sit ut præcaveatur, si luxus in animis hominum prædominatur, cupiditatum effrenatarum genitor, & atheismus in vulgus spargitur; *nostro seculo, quo luxus pudendus animos hominum occupavit, & atheismus in vulgus spargitur, ac religio omnis, immo ipsa virtus in contemtum adducitur, maxime opus est, ut indifferentismus moralis ex animis hominum evellatur, & bonitatis intrinsecæ actionum atque obligationis, & legis naturalis genuina notio iisdem ingignatur.*

Nihil hic sumitur, nisi quod omnibus satis exploratum sit. Luxum esse dissuasorem honesti, dudum agnoverunt veteres, & indies hoc experimur. Quam pudendus hodie in hominibus dominetur luxus, opum populator tam pro-

priarum, quam alienarum, fraudis ac impudentiæ suasor, honestatis eversor, nemo est qui nesciat. Quod hodie atheismus in vulgus spargatur ac religio cum virtute in contemtum adducatur, testantur tot scripta profana, quæ hodie passim prodeunt, & ex lingvis exoticis in vernaculam quoque nostram vertuntur. Bonitatem vero & malitiam intrinsecam in Philophiæ practicæ universalis parte prima sufficienter explicavimus & quomodo lex naturæ, quæ actiones intrinsece bonas committere præcipit, intrinsece malas committere prohibet, ex ipsa essentia & natura humana derivetur & inde quoque naturalis obligatio actiones liberas ad eam componendi fluat luculenter ostendimus. Atque ideo nihil hic præscribitur, quod fieri debeat, nisi quod quomodo fieri possit ex alibi dictis satis constet.

§. 132.

De Deismo pietatis impedimento.

Deismus pietatem tollit: quodsi accedat error de indifferentia morali & obligatione naturali a voluntate Dei unice deducenda, ad impietatem viam sternit. Deista enim opinatur, Deum parum curare res humanas (§. 529. *part. 2. Theol. nat.*), consequenter opinione ipsius perinde est, sive homo per motiva ab attributis divinis desumta actiones suas liberas determinet, sive id non faciat. Quamobrem cum pietas sit habitus actiones suas liberas legi naturæ conformandi vi motivorum ab attributis divinis desumtorum (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*); pietatis studium superfluum judicat. Quoniam itaque inanem operam in pietate acquirenda sumi arbitratur, omnis autem habitus acquisitio molesta accidit, quod quilibet in se facile experitur; ideo aliter fieri non potest, quam ut deista pietatem negligat, consequenter Deismus pietatem tollit. *Quod erat unum.*

Quodsi

Quodsi jam ad Deisinum accedat error de in differentismo morali & obligatione naturali a voluntate Dei unice derivanda, quæ in ipsius hypothesi nulla est (§. 539. *part. 2. Theol. nat.*); eodem modo patet, Deismum ad impietatem viam sternere, quo idem de atheismo paulo ante demonstravimus. (§. 127.). *Quod erat alterum.*

Ex eo, quod negetur providentia divina inferri nequit in actionibus hominum nullum dari boni ac mali discrimen, sed stante opinione sua Deista admittere tenetur, differentiam inter actiones bonas & malas, quatenus moraliter spectantur (§. 537. *part. 2. Theol. nat.*), ac ideo non repugnat, ut actiones bonas appetat, malas aversetur (§. 538. *part. 2. Theol. nat.*), consequenter cupiditatibus suis perversis indulgere nolit. Enimvero si errorem de indifferentismo morali amplectatur, vi cujus obligationem naturalem, quæ ex essentia & natura humana fluit, nullam pronunciat, vi Deismi autem obligationem divinam nullam agnoscit; quin licentiam vivendi homini convenire arbitretur, dubitandum non est. Atque tum demum Deismus ad impietatem viam sternit, ad quam per se non ducit. Et in hoc Deismus atheismo æquiparatur.

§. 133.

Cur is plerumque ad pietatem viam sternat.

Quoniam Deismus ad impietatem viam sternit, si ad eam accedat erronea de indifferentismo morali opinio (§. 132.), constat autem homines plerosque effrenatis cupiditatibus indulgere, ideoque opinionem de indifferentismo morali avide amplecti ac propterea quoque Deismum licentia vivendi sese ipsis commendare; ideo *contingit, ut Deismus plerisque viam ad impietatem sternat.*

Ostendimus jam alias, Deistam in atheismum practicum facile incidere, si non certo agnoscit differentiam inter acti-

ones bonas & malas (§. 547. *part. 2. Theol. nat.*). Atheus autem practicus Deum factis negat, quatenus actiones ex habitu profluentes fuerint contrariæ iis, quarum motiva vel necessario sunt, vel esse possunt attributa divina (§. 502. *part. 2. Theol. nat.*), consequenter legi naturæ (§. 253. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque voluntati divinæ minime convenientes (§. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Atheus igitur practicus impius est (§. 1149. *part. 1. Jur. nat.*), nisi ex accidente contingat, ut actio externa cum lege naturæ consentiat, ut videatur, qui non est, aut, si malis, non videatur, qui est. Quamobrem etiam hoc modo patet, Deismum viam ad impietatem sternare, si opinionem foveat erroneam de indifferentismo morali.

§. 134.

Quomodo id præcavetur. Quoniam eadem de causa contingit, ut deismus plerumque viam ad impietatem sternat (§. 133.), ob quam atheismus eandem sternit (§. 127.); eodem quoque modo id impeditur, quo antea ostendimus, præcaveri, ne atheismus licentia vivendi sese commendet hominibus effrenatas animi cupiditates satiare desiderantibus (§. 130.). Nimirum cum deista neget providentiam divinam (§. 529. *part. 2. Theol. nat.*), *argumenta contra providentiam divinam sunt refutanda* (§. 551. & *seqq. part. 2. Theol. nat*), & *opinio de indifferentismo morali ex animis hominum evellenda*, *ex adverso autem*, ut ante (§. 130.), *notio bonitatis & malitiae intrinsecæ*, *atque ortus legis naturæ & obligationis ex essentia & natura humana iisdem ingignenda.* Apparet autem ut ante (§. 131.), *ut id fiat, nostro tempore quam maxime opus esse.*

Vide, quæ paulo ante annotavimus (*not.* §. 131.).

§. 135.

§. 135.

Sententia eorum de praxi morali, qui libertatem animæ negant.

Qui libertatem animæ negant, seu voluntatem & noluntatem non esse liberam contendunt; hoc non obstante concedunt, habitus tam intellectuales, quam morales iis mediis acquiri posse, quibus ad eos acquirendos utimur, & præstare, ut rationi convenienter agamus, quam ut cupiditatum effrenatarum impetu nos abripi patiamur. Nemo tam absurdus est, ut ea fieri posse neget, quæ fieri ipsemet experitur. Quamobrem cum videamus, habitus intellectuales ac morales certis quibusdam mediis acquiri, quin iisdem acquiri posset, nemo dubitare potest. Idem tenendum de eo, quod præstet, ut rationi convenienter agamus, quam ut cupiditatum effrenatarum impetu nos abripi patiamur. Hæc qui cognoscit, sive eadem fuerit experientia edoctus, sive via demonstrationis assecutus, ubi intelligit, quinam habitus sint acquirendi, ut rationi convenienter vivat, eos acquirere decernit. Et ubi novit media, quibus acquiruntur, iisdem utitur. Ac idem dicendum est de iis, qui aliorum mores formant. Nihil in hisce mutatur, sive quis putet se ex libero suo decreto hæc agere, sive existimet, id fieri ex immutabili Dei decreto, ut *Spinosa* loquitur, seu necessario, ut id non fieri repugnet. Controversia itaque de libertate voluntatis ac noluntatis humanæ in opinionem de meliori vivendi modo & determinationem voluntatis ac noluntatis minime influit, ut ideo quoque omnia eodem modo sequantur, si vel maxime de eo non cogitetur, utrum voluntas & noluntas libera sit, an ita necessitate absoluta determinetur, ut impossibile fuerit eandem aliter determinari. Quamobrem qui negant, voluntatem & noluntatem esse liberam, hoc non obstante concedunt, habitus tam intellectuales, quam morales iis mediis acquiri posse, quibus ad eos acquirendos utimur, & præ-

stare,

ſtare, ut rationi convenienter agamus, quam ut cupiditatum effrenatarum impetu nos abripi patiamnr.

Nemo eſt, qui neſciat, quanta animi acerbitate contra eos, qui libertatem animæ negant, aut quibus per conſequentiam imputatur, urgeantur conſequentiæ, quod omnis virtus, religio omnis, immo tota Reſp. ſubvertatur. Aſt quam abſonum hoc ſit, ex iis, quæ nunc dicta ſunt, ſatis perſpicitur, & quovis exemplo docetur. Ponamus me ea, quæ de philoſophia morali commentor, neceſſitate abſoluta ductum ſcribere. Ponamus Titium, qui a me ſcripta legit, ad ea legenda neceſſitate quadam irreſiſtibili compelli. Ponamus denique, eadem neceſſitate fieri, ut voluntatem ac noluntatem poſthac eo modo determinet, quem nos præſcribimus. Nonne omnia eodem modo ſe habebunt, ac ſi ponamus, me ex libero animæ decreto hæc ſcripſiſſe & Titium ex libero animæ decreto ſuo ad legendum acceſſiſſe & quæ didicit ad praxin transtuliſſe? Vides itaque diſceptationem de libertate animæ non influere in ſcriptionem meam, nec in lectionem Titii, neque etiam in uſum eorum, quæ ex ſcriptis meis didicit. *Spinoſa* animæ omnem in agendo libertatem denegavit, & hominem unumquemque ad ſic & non aliter agendum immutabili Dei decreto, cui reſiſtere nequit, determinatum eſſe defendit. Hoc tamen non obſtante concedit, hominem integro animo ex ductu rationis vivere poſſe ac debere & inculcat media, quibus id fieri poſſit, prouti conſtat ex Tractatu ipſius, quem vocat, Theologico-Politico. Hæc non eo fine a nobis dicuntur, ut patrocinemur iis, qui libertatem animæ in volendo & nolendo negant, cum contrarium dudum oſtenderimus (§. 942. *Pyſcb. empir.*); ſed ut diſceptationes inutiles ex Ethica proſcribamus, nec pro impedimentis virtutis venditemus, quæ non ſunt, præſertim ſi nulla prorſus urgente neceſſitate controverſiam non facile tollendam inferamus. Ecquis enim eſt qui neſciat, quantum varient libertatis notiones, ſi quæratur,

in quo-

in quonam ea consistat, & quod eodem argumento alii animam liberam esse in volendo atque nolendo, alii non esse liberam probent? Necesse igitur non est, ut scrupulum non evellendum iis injiciamus, qui ad culturam virtutis animum appellunt, cum nec scepticismus de libertate animæ noceat.

§. 136.

An negatio libertatis sit impedimentum virtutis.

Quoniam qui libertatem negant, hoc non obstante concedunt, habitus tam intellectuales, quam morales iis mediis acquiri posse, quibus ad eos acquirendos utimur, & præstare, ut rationi convenienter agamus, quam ut cupiditatum effrenatarum impetu nos abripi patiamur (§. 135.); *ad culturam virtutis & fugam vitiorum eodem modo adduci potest, immo virtutem colit, qui libertatem negat & qui libertatem defendit, & in dato casu qui libertatem negat facit, quod facturus erat, qui eandem defendit.*

Opinio de libertate nihil mutat in natura & usu facultatum. Manent facultates animæ, quales sunt, nec immutantur regulæ, juxta quas actus earum eliciuntur, quamcunque opinionem de libertate quis foveat. Neque quod hic obtinet singulare est, quod non perinde obtineat in casibus aliis. Sane si quis falsam fovet opinionem de generatione fœtus, ad quem coitum requiri exploratum est; propterea non impeditur, quo minus fœtum generare possit. Non omnis error praxi nocet, ac ideo supra in agnitione Dei distinximus errores tolerabiles a minus tolerabilibus, quorum hi impedimento sunt, quo minus officia erga Deum præstentur, illi minime (§. 99.). Quando occasio agendi offertur, & deliberandum, quid sit agendum, de libertate agendi non cogitatur, sed saltem quæritur, quid fieri a nobis possit & quid fieri consultum sit, parum autem refert, utrum quis putet, se libere hoc facere, an vero existimet, se necessario hoc

facere, ita ut aliter facere non possit. Fuga sibi consulit periculum praesens evitaturus, quia cognoscit hoc modo periculum evitari posse, parum sollicitus utrum libere fugam arripiat an fato inevitabili hoc faciat. Qui libertatem animae negant, necessitatem moralem, quam dicunt scholastici, libertati opponunt, quam tamen ab eadem inseparabilem esse constat, cum anima se determinare nequeat ad volendum vel nolendum sine motivis (§. 889. *Psych. empir.*), nec aliter quam iis convenienter se determinet (§. 932. *Psych. empir.*). Ceterum hic opinionem de libertate animæ non consideramus nisi in relatione ad praxin moralem, ut appareat, cur eam non inter impedimenta pietatis, aut virtutis in genere referamus, in quo tollendo operam collocare teneatur qui ad virtutem & in specie ad pietatem adspirat. Qui libertatem animæ defendunt, animum attendunt ad contingentiam actionis in se spectatæ, quatenus scilicet hoc, quod agendum, a nobis tam fieri potest, quam non fieri, & ad absentiam coactionis externæ, ut sponte nos determinemus ad agendum, vel non agendum; qui vero libertatem animæ negant, animum attendunt ad motiva, per quæ & quibus convenienter determinatur voluntas & noluntas, & ad status præteritos, a quibus dependet boni, vel mali repræsentatio, in qua motivum consistit. Constat autem ex iis, quæ in Psychologia empirica docuimus, animum advertendum esse ad utrumque simul, si notionem spuriam libertatis, quæ in indifferentia æquilibrii perfecti consistere fingitur, evitare & genuinam, quæ in facultate electiva consistit, formare debeamus. Quando homines decernunt, quid sit agendum, non minus contingentiæ actionis, quam motivorum rationem habent, & absentia coactionis externæ atque influxus statuum præteritorum animæ, unde pendet notitia & efficacia motivorum, quamvis de eo non cogitent, simul concurrunt. Quamobrem non est quod miremur, in dato casu hominem sic & non aliter

aliter agere, five puret animam esse liberam in volendo & nolendo, five opinetur, eam non esse liberam, sed ex necessitate naturæ sic & non aliter agere.

§. 137.

Si ponamus animam in agendo non esse liberam, inde tamen minime sequitur pœnas esse inutiles ad obligationem positivam introducendam. Constat metu pœnarum homines deterreri, ne faciant, quod alias facere mallent, nimirum quia sunt motiva actionum conmittendarum (§. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ac ideo iis obligari possunt ad actiones tam committendas vel omittendas. Quamuis itaque ponamus animam non esse liberam in agendo, propterea tamen negari non potest, hominem pœnas sancitas cognoscere posse, nec pœnarum repræsentatione concitari metum (§. 822. *Psych. empir.*), atque hoc metu eum deterreri posse, ne faciat, quod alias facere mallet, cum contrarium experientia loquatur. Quamobrem cum sanctione pœnali, consequenter adjectione pœnæ ad legem positivam (§. 289. *part. 1. Phil. pract. univ.*) obligatio positiva introducatur (§. 291. *part. 1. Phil. pract. univ.*); si ponamus animam in agendo non esse liberam, inde tamen minime sequitur pœnas esse inutiles ad obligationem positivam introducendam.

An pœnæ sint utiles, si anima libera non sit.

Non ignotæ sunt vociferationes consequentiariorum ingeminantium, negata libertate animæ tolli pœnas in Rep. aut vim omnem iisdem detrahi. Quasi vero metus pœnæ efficaciam suam habeat a libertate animæ, ut prævaleat adversus cupiditatem, vel etiam fugam? Non puto esse aliquem, qui libertatem tribuat brutis. Nemo vero est, qui nesciat, metu pœnarum bruta determinari ad obsequendum voluntati nostræ. Quodsi dicas, nisi homini competat libertas agendi, pœnas fore injustas; absonum omnino est

injuſtum appellare id, quod tanquam medium unicum exigit finis civitatis. Verum de hiſce ex inſtituto erit agendum in Politica. Hic loci ſaltem nobis reddenda fuit ratio, cur opinionem de anima in agendo non libera inter impedimenta pietatis & honeſtatis non retulerimus.

§. 138.

De falſis illationibus ex hypothebus falſis. *Si quis ex hypotheſi falſa infert, quæ praxi morali quomodocunque adverſantur, ex ea tamen minime conſequuntur, oſtendendum eſt, quod infertur, ex ea minime ſequi.* Etenim qui ex falſa hypotheſi infert, quæ inde minime ſequuntur; is hæc pro vero habet, non quod falſam fovet hypotefin, ſed quod putat, ea inde neceſſario ſequi. Quodſi ergo oſtendatur, ipſum falli, dum putat ea ex hypotheſi ſua ſequi, pro veris eadem non amplius habebit, ſed minimum in dubitationem adducetur, utrum vera ſint, nec ne (§. 417. *part. 2. Theol. nat.*). Quamobrem ſi quis ex hypotheſi falſa infert, quæ praxi morali quomodocunque adverſantur, ex ea tamen minime conſequuntur, oſtendendum eſt, quod infertur ex ea minime ſequi.

Non negamus fieri poſſe, ut quis ex falſis hybotheſibus inferat, quæ inde minime conſequuntur, conſequenter etjam quæ praxi morali adverſantur, veluti ut ſibi perſuadeat ſi non detur Deus nullam dari differentiam inter actiones bonas atque malas, & vivendi licentiam competere homini vel ſi homini nulla competat agendi libertas, pœnas eſſe inutiles & injuſtas, omnemque tolli praxin moralem. Cur enim conſequentiam primam ſibi perſuadeant tam atheiſmi propugnatores, quam oppugnatores rationem ſupra reddimus (§ 127.), & quod altera bonam cauſam male defendentium communis ſit, modo notavimus (§. 136. 137.). Et quis, quæſo, in dubium vocabit, quæ quotidie fieri obſervamus. Memini me jam alibi monuiſſe, dari non minus errorum

ſyſte-

ſyſtemata, quam veritatis, atque id ipſum dudum agnitum eſt: inde enim emanavit pervulgatum iſtud, dato uno abſurdo ſequuntur plura. Quemadmodum itaque ex ſyſtemate veritatum eliminantur, quæ ex vero, quod ſumitur, nulla conſequentia infertur, oſtendendo id ex aſſumto minime ſequi; ita ſimiliter ex ſyſtemate errorum ejiciendum, quod cum iis neceſſario non connectitur, demonſtrando ex eo, quod ſumitur, id minime ſequi. In erroribus quoque taxandis ratio veritatis habenda & peſſimus eſt mos conſequentiariorum ac nemini honeſto probatus, qui ut argumento ab invidia ducto uti poſſint moleſtis conſequentiis alios onerant ſive errantes, ſive veritatem ipſis minime perſpectam profitentes, quas pro lubitu fingunt, ſi malitioſi fuerint, vel defectu acuminis admittunt, ſi ablepſiam ſuam non agnoſcunt. Si in Ethica impedimenta removere velimus, opus non eſt, ut falſæ hypotheſes evertantur, ſi ex iis inferuntur, quæ pietati ac honeſtati adverſantur; ſed ſufficit oſtendi, ea, quæ inferuntur, inde non ſequi, ſed ſtante hypotheſi contrarium eſſe admittendum, cum enim in his, quæ inferuntur, non vero in hypotheſi conſiſtat impedimentum, id ipſum utique ſublatum eſt, ubi evictum fuerit, id ex hypotheſi minime ſequi, ſed ſtante ea admittendum eſſe contrarium. Atque ita magis conſulitur praxi morali, quam ſi falſam hypotheſin animo eradicare velimus, quod utique difficilius, quam alterum convincere, nulla conſequentia inferri quod infert, & facilius præcavetur, ne quis hypotheſin falſam amplectatur, cui ſeſe commendat eo, quod inde infertur, ubi agnoſcit, ex hypotheſi iſta id non ſequi. Quodſi homines veritatis eſſent amantes, quemadmodum eſſe debebant, ſibique caverent, ne appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva influant in actum judicii veritatem eorum, quæ hic dicuntur, facile perſpicerent, & veritati atque virtuti rectius conſulerent, quam ſi ex falſis conſequentiis præſidium petant. Ceterum nemo

non videt, modo attentionem in se desiderari non patiatur, aut affectibus animum in transversum rapientibus indulgeant, me non velle, ut falsæ hypotheses referantur promiscue in numerum errorum tolerabilium, de quibus supra dictum est (§. 99.), nec improbare studium, quod in illis refutandis collocatur; sed saltem urgere, ne pro consequentiis legitimis habeantur, quæ non sunt, & ubi hoc ostendi sufficit illarum refutationi vacetur, neglecto errore in illatione commisso, ex quo impedimentum emanat, quod tollendum in casu dato.

§. 139.

Quando aliquid propter se, quando propter aliud amemus.

Si rem quandam in se spectatam nobis repræsentemus tanquam voluptatis creatricem, eam amamus propter se: si vero eam consideremus tanquam medium consequendi aliud, quod voluptatem nobis creat, eandem amamus propter aliud. Amor enim rei concitatur, si ostendatur, eidem quid inesse, unde voluptatem multam percipere possumus (§. 289. *part 2. Eth.*), consequenter si eam nobis repræsentemus tanquam voluptatis creatricem. Quodsi ergo res in se spectatur citra ullum respectum ad rem aliam, dum eam tanquam voluptatis creatricem nobis repræsentamus; eam quoque amamus, quatenus in se spectatur, consequenter propter se. *Quod erat unum.*

Enimvero si rem consideremus tanquam medium consequendi aliud, quod voluptatem nobis creat, cum ex ea, quamdiu in se spectatur voluptatem nullam percipiamus, in se spectata quoque amorem minime concitat, concitat autem amorem, si consideremus, ejus ope nos consequi quod voluptatem nobis creat, quatenus nimirum per modum causæ remotæ concurrit ad voluptatem nobis creandam (§. 929. *Ontol.*), ideo-

ideoque fine ea nobis voluptas creari haud quaquam posset. Quamobrem cum participet amorem ejus, quod voluptatem nobis creat; non tam propter se, quam propter aliud amatur. *Quod erat alterum.*

Aliud omnino est rem amare propter se, aliud vero amare rem propter aliud. Ac interest in moralibus hanc differentiam attendi, cum amoris utriusque non idem sit effectus. Avarus, qui pecuniam amat propter luxum, quo delectatur, quatenus nimirum fine pecunia luxum suum explicare nequit, de pecunia conservanda non cogitat, sed eam potius profundit. Qui virtutem quandam propter se amat, is constantem & perpetuam habet eam colendi voluntatem, ut alia in præsenti taceamus: ast si quis eandem ama , quatenus sine ea alterius patrocinium sibi conciliare, vel conservare nequit, quando patrocinium alterius ipsi non amplius prodest, vel prodesse potest, aut si factum virtuti contrarium patrono innotescere non posse putat, aut idem ob circumstantias singulares excusationem habiturum sperat, virtus ejus nec constans, nec perpetua est (§. 1062. *part. 1. Theol. nat.*). Fieri tamen potest, ut quid ametur cum propter se, tum propter aliud. Quamvis enim hæc diversa sint, non tamen sibi mutuo repugnant, ut simul uterque amor in eodem subjecto locum habere possit, atque tum amor rei efficitur ardentior, cum gradus amoris pendeat a gradu voluptatis, quæ ex re amata percipitur (§. 654. *Pysch. empir.*). Quamobrem patet, curandum esse, siquidem fieri possit, ut & propter se, & propter aliud eadem res ametur. Et propositio presens cogitationes nostras dirigit, quoties de amore rei concitando incidit quæstio.

§. 140.

De amore pietatis concitando.

Si quis sibi repræsentat pietatem tanquam complementum perfectionis humanæ, aut virtutem amans tanquam medium virtutem faci-

facilius acquirendi & conservandi, amor pietatis concitatur. Etenim qui sibi repræsentat pietatem tanquam complementum perfectionis humanæ (§. 113.), perfectionis hujus sibi conscius est. Quamobrem cum voluptas oriatur ex intuitu perfectionis (§. 511. *Psych. emir.*), eaque non exigua, si hæc ingens fuerit (§. 516. *Psych. empir.*); ex pietate voluptatem magnam percipit. Quoniam itaque rem, quia nobis multam affert voluptatem, pro gradu illius voluptatis amamus (§. 654. *Psych. empir.*); si quis sibi pietatem tanquam complementum perfectionis humanæ repræsentat, amor pietatis concitatur. *Quod erat unum.*

Enimvero qui virtutem amat, voluptatem ex ea percipit (§. 657. *Psych. empir.*), consequenter etiam ex eo, quod considerat tanquam medium virtutem facilius acquirendi & conservandi. Quoniam itaque id amamus, quod consideramus tanquam medium consequendi aliud, ex quo voluptatem percipimus (§. 139.); si virtutis amans pietatem considerat tanquam medium virtutem facilius acquirendi amor pietatis concitatur. *Quod erat alterum.*

Amor pietatis plurimum confert ad ejus studium atque culturam cum arceat pugnam appetitus sensitivi cum rationali & illum ad consensum hoc reducat ut scilicet uterque ad idem tendant. Quoniam vero pietatem amare possumus cum propter se, tum propter aliud (§. 139.); ideo in propositione præsente ostendimus, quomodo uterque amor concitetur. Equidem concedo, perpaucos esse, qui pietatem tanquam complementum perfectionis humanæ sibi repræsentare valent, non tamen id impossibile esse ex supra demonstratis & uberius explicatis abunde patet (§. 113.). Immo quamvis pauci forsitan sint, qui vi demonstrationis convinci possunt, perfectionem hominis consistere in aptitudine

tudine manifestandi gloriam Dei (§. 917. *part. 1. Theol. nat.*), & pietatem perfectionis hujus complementum esse (*not.* §. 113. 119. 120.); non tamen impossibile est, ut quæ supra de eo annotata sunt ad captum communem reducantur, quantum sufficit ut id non tantum intelligatur, sed & persuadeatur iis, qui parum apti sunt ut convincantur. Quodsi ponderemus supra dicta, inficias ire non poterimus, quod admodum necessarium sit, ut veritas hæc omnium animis ingignatur, & quod eximius inde sperandus sit fructus in praxi morali. Generosis animis pietatem nihil magis commendare potest, quam si intelligant, sine ea perfectionem humanam ea carere parte, quæ præcipua censeri debet, modo satis intelligatur, quomodo creaturæ omnes sint specula perfectionum divinarum & homo quoque quatenus creatura libere agens est speculum earundem sit, ut ita omnia conspirent ad finem totius universi, quem Deus per creationem intendit. Atque hoc pacto pietatem propter se amamus, quando vero amanda propter virtutem, virtutis supponitur amor. Quamvis enim pietas quoque virtus sit (§. 339. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), a ceteris tamen virtutibus separabilis, quemadmodum vidimus in Sinis (*not.* §. 127.). Amor igitur virtutis nondum includit amorem pietatis, sicuti nec amor virtutis in genere concitatus se promiscue ad omnes virtutes efficaciter extendit, ita ut necesse sit virtutis cujuslibet in specie amorem peculiariter concitari. Amor potius pietatis se per omnem virtutem diffundit, quatenus ipsa sese per omnes virtutes diffundit, atque ad gradum sublimiorem eas evehit (*not.* §. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Ac ideo conducit, amorem pietatis quoque concitari eam repræsentando tanquam medium virtutem facilius acquirendi & conservandi, immo etiam ad gradum sublimiorem evehendi. Pertinent huc, quæ supra de actione humana ope pietatis modificata annotavimus (*not.* §. 112.).

§. 141.

De cupiditate pietatem obtinendi, conservandi & perficiendi concitanda.

Si quis amore concitato pietatem sibi repræsentat tanquam obtinendam, vel conservandam, aut perficiendam; cupiditas eam obtinendi, vel conservandi, aut perficiendi concitatur. Quoniam enim amor concitandus, antequam concitetur cupiditas (§. 390. *part. 2. Eth.*), antequam cupiditatem obtinendi, vel conservandi, aut perficiendi pietatem concimeus, pietatis amor concitandus. Enimvero si cupiditas concitanda, rem adhuc absentem nobis tanquam bonam atque obtentu possibilem repræsentare debemus (§. 387. *part. 2. Eth.*). Amore igitur pietatis concitato, si eam a nobis nondum obtentam esse cogitemus, quam tamen obtentu non impossibilem agnoscimus vi ipsius definitionis & eorum, quæ de pietate demonstrantur (§. 253. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*), si consideremus jam obtentam esse amissibilem, aut eam adhuc ulterius perfici posse, consequenter nos omnem nondum adeptos esse; cupiditas eandem obtinendi, vel conservandi, aut perficiendi concitatur.

Nimirum quando nobis pietatem repræsentamus tanquam conservandam, constantiam & perpetuitatem consideramus tanquam rem absentem, ideoque qui cupit conservationem, ejus appetitus revera fertur in constantiam & perpetuitatem pietatis. Similiter si nobis pietatem repræsentamus tanquam perficiendam, id quod jam acquisitæ adhuc deesse agnoscimus tanquam rem absentem nobis repræsentamus, a nobis adhuc obtinendum. In omni itaque casu adest opinio cupiditatis creatrix (§. 810. *Psych empir.*), & præsens propositio docet, qua opinione ingignendus sit amor, ut cupiditatem pariat. Ad hanc opinionem autem nos ducit ipse amor (§. 294. *part. 2. Eth.*).

§. 142.

§. 142.

De ardore pietatem colendi accendendo.

Quoniam cupiditas pietatem obtinendi, vel conservandi, aut perficiendi concitari potest (§. 141.), ardor autem oritur, si ad actum voluntatis accedat cupiditas vehemens (§. 218. *part. 2. Phil. pract. univ.)*; *si qui pietatem colere decrevit, cupiditatem eam obtinendi vel conservandi, aut perficiendi in se concitet, ardorem pietatem colendi accendit.*

Patet itaque ex hactenus demonstratis, quomodo ardorem pietatem colendi acquirere valeamus. Qui vero omnia, quæ hucusque demonstrata sunt, probe perpenderit, ut videat, quomodo agnitio unius in agnitionem alterius influat, & appetitus successive determinetur, ut tandem prodeat cupiditas, de qua hic nobis sermo est; is vel me tacente intelliget, cur fieri minime possit, ut nondum satis præparatus ardorem colendi pietatem in se concitet: id quod de omnibus resolutionibus problematum moralium tenendum. Neque hoc singulare est in hisce problematum generibus. Qui in Mathesi versati sunt, satis intelligunt, idem in resolutionibus problematum mathematicorum obtinere, nisi hypothetice tantummodo solvantur, veluti si Geometræ problemata solvunt, concessis curvarum quadraturis, quarum quadratura nondum in potestate est. Usum enim habet in scientiis etiam hypothetica problematum solutio. Ceterum quæ hic de amore pietatis ac inde nascente cupiditate atque ardore demonstrantur, ea de virtute qualibet valere, me vel tacente intelligitur. Quemadmodum vero in praxi morali multa casui debentur, ut ea, qua de eadem demonstrantur, saltem inserviant rationi reddendæ, quomodo hoc vel istud fieri potuerit; ita quoque idem observandum de amore pietatis atque iis, quæ inde porro sequuntur. Atque in his conspicitur providentia divina, sapientiæ ac bonitatis divinæ magistra, quæ hoc modo consuluit generi humano.

§. 143.

De acquiescentia in se ipso, qua pietatis cultor fruitur.

Si qui pietatem colit eandem sibi non modo repræsentat tanquam perfectionis humanæ complementum, verum etiam tanquam medium virtutem facilius acquirendi & conservandi, immo eandem perficiendi; acquiescentia in se ipso concitatur. Qui enim pietatem colit, eam perfectionem acquirit, cujus homo capax est, & quam sine pietate acquirere nequit (§. 113.), & pietas ipsi adjumentum affert ad virtutis cujuslibet culturam (§. 344. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodsi ergo huc animum attendit, non modo sibi conscius est, quod finem consequi studeat, ob quem creatus est, & civem universi dignum se præstet (§. 116.), quod actiones suas omnes dirigat ad finem totius universi (§. 118.) & cum qua individuum physicum, tum qua persona moralis una cum ceteris creaturis omnibus propter eundem finem ultimum agat (§. 120.) & quod in determinandis actionibus liberis Deum imitetur (§. 117.); verum etiam adjumentum, quod pietas ipsi affert ad virtutis cujuslibet culturam, in se experitur. Quamobrem fieri haud quaquam potest, quam ut sibi conscius sit, se bene facere, quod pietatem colat. Quoniam itaque acquiescentia in se ipso concitatur, si cui persuadeatur, ea, quæ fecit, bene facta esse (§. 353. *part. 2. Eth.*); ea in pietatis cultore concitabitur, si pietatem sibi repræsentat tanquam perfectionis humanæ complementum & tanquam medium virtutem facilius acquirendi & conservandi, immo etiam eandem perficiendi.

Dulcedinem hujus affectus sentire nequit, nisi qui eorum, ad quæ in demonstratione provocamus, si non convictus fuerit, saltem persuasissimus ad veritatem, ut non modo perceptiones præteritæ vi imaginationis simul reproductæ & in

in unam confusæ nobis parum consciis influant in appetitum, sed sensum etiam certitudinis habeamus, qui perceptioni confusæ adhæret. Quæ hic dicuntur, satis intelliguntur ab iis, qui in Philosophia nostra versati sunt, aut saltem eorum meminerint, quæ passim in Ethica a nobis tradita fuerunt & in anterioribus occasione sic ferente uberius explicata. Ceteris si surdis narremus fabulam, non nobis, sed sibi imputent, quia viam regiam ad scientiam desiderant, diversam ab Euclidea, qualis non datur. Atque hæc tenenda sunt non saltem in præsenti, sed & in aliis, quæ in Ethica demonstrantur. Quamobrem non curamus præcoces imperitorum censuras, ad quas refellendas sufficit, ut dicamus: veni animo præjudicatis opinionibus libero; lege attentione indefessa, conforma actiones tuas legi naturæ consideratione eorum, quæ didicisti, attende denique, qualem experturus sis animæ statum. Quodsi hæc tibi nimis molesta videantur, abunda sensu tuo: contemtus tuus non detrahet veritati efficaciam, quam a se, non ab hominum opinione habet. Absit autem, ut affectum, de quo hic nobis sermo est, confundas cum fastu pharisaico, vel ut tibi metuas, ne is in eundem te trahat. Fastus enim iste ex alio prorsus fonte profluit, quemadmodum suo loco ostendetur. Vide, quæ de acquiescentia in se ipso annotavimus, cum demonstraremus, quomodo per eminentiam Deo tribuatur hic affectus (*not.* §. 248. *part.* 2. *Theol. nat.*), & quæ de eadem demonstravimus, atque annotavimus, cum de affectibus concitandis ageremus (§. 355. & *seqq. part.* 2. *Eth.*). Quæ enim de eadem re passim traduntur, ea animo recolenda sunt, ubi ceteris, quæ alio loco extant, lucem uberiorem affundunt.

§. 144.

Quoniam pietatis cultor acquiescentia in se ipso fruitur (§. 143.), quæ haud postremam felicitatis nostræ par- *De stimulo ad pietatis*

studium perpetuandum. tem constituit (*not.* §. 248. *part.* 2. *Theol. nat.*), *acquiescentia* autem *in se ipso* stimulus est ad studium bene ac recte agendi perpetuandum (§. 358. *part.* 2. *Eth.*); idem affectus *stimulus est pietatis cultori ad studium pietatis perpetuandum.*

Naturale homini est, ut felicitatem appetat (§. 324. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Quodsi ergo quis in se ipso expertus fuerit, quantum felicitatis præsidium sit in pietate, cum experientia propria in veritate eorum confirmemur, quæ in Philosophia practica demonstrata cognoscimus (§. 272. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), a pietatis studio nulla ratione se dimoveri patietur, quod potius vehementius in dies incitabitur ac pertinacius evadet. Neque hoc eidem singulare est, sed de quocunque studio valet, quod eodem affectu inflammatur (*not.* §. 358. *part.* 2. *Eth.*).

§. 145.

De gloria in cultore pietatis concitata. *Si pietatis cultor sibi repræsentat judicium aliorum pietatis cultorum de pietate recte sentientium, inprimis vero ipsius Dei; affectus gloriæ concitatur.* Etenim si pietatis cultor pietatem, quam colit, refert ad judicium cultorum pietatis aliorum, quos de ea recte sentire novit, fieri non potest, quin pro certo habeat, quod iidem actiones suas sint approbaturi, consequenter benignum de iisdem judicium laturi (§. 765. *Psych. empir.*). Cumque non minus pro certo habeat, Deum ab æterno præscivisse omnes nostras cogitationes (§. 524. *part.* 1. *Theol. nat.*), consequenter ab æterno animum suum ipsi intime perspectum esse, & eundem velle, ut pii simus (§. 1128. *part.* 1. *Jur. nat.*); nec dubitare potest, quin Deus actiones suas approbet. Quamobrem cum gloria concitetur, si persuasi simus, quod alii de nobis

bis & factis nostris benigne judicent, vel judicaturi sint (§. 366. *part. 2. Eth.*); si pietatis cultor sibi repræsentat judicium aliorum pietatis cultorum & de pietate recte sentientium, inprimis vero ipsius Dei, affectus gloriæ concitatur.

Nemo de pietate rectius judicare potest, quam qui ipsemet eandem colit (§. 264. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Necesse vero est, ut pietatem veram colat, non vero superstitionem pro ea amplectatur, & ut sit sincerus pietatis cultor, non simulator. Quamobrem affectus gloriæ non concitatur in pietatis cultore, nisi referendo actiones suas ad judicium sui similium. Nemo autem in hisce judex magis competens est, quam ipse Deus, qui non modo omnium optime novit, quomodo pietatem a nobis exerceri velit, verum etiam de pietate nostra omnium optime judicare potest, ut ideo homini pio sufficiat Deum nosse quinam sit, quamvis hominibus omnibus non videatur qui est, aut ab ipsis prorsus damnetur. Pius itaque gloriam Dei magis diligit, quam hominum, ideoque etiam ad affectum gloriæ concitandum magis facit Dei judicium, quam hominum.

§. 146.

Quoniam *affectus gloriæ* in pietatis cultore concitatur, si sibi repræsentat judicium aliorum pietatis cultorum de pietate recte sentientium, inprimis vero ipsius Dei (§. 145.), quando vero judicium aliorum de eo, quod bene, vel recte fecimus, fuerit verum, felicitatis nostræ magna pars est (§. 369. *part. 2. Eth.*), atque tendit ad conservandam felicitatem & studium bene ac recte faciendi acre efficit (§. 371. *part. 2. Eth.*); idem affectus *studium pietatis acre efficit.* *Quomodo studium pietatis acre efficiatur.*

Vide,

Vide, quæ de tendentia gloriæ in genere annotavimus (*not. §. 371. part. 2. Eth.*), ad culturam pietatis facile applicanda. Me non monente apparet, stimulum ad studium pietatis effici acriorem, si ad acquiescentiam in se ipso accedat gloria (§. 144.).

§. 147.

De intentione sinceri pietatis cultoris.

Sincerus pietatis cultor in omnibus actionibus suis tanquam finem ultimum intendit aptitudinem sui & aliorum ad perfectionem Dei summam repræsentandam, seu ut gloria Dei per se & alios manifestetur. Etenim sincerus pietatis cultor omnes actiones suas legi naturæ conformare studet vi motivorum ab attributis divinis desumtorum (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*), consequenter per determinationem actionum liberarum gloriam Dei manifestare studet (§. 919. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem cum finis ultimus actionum humanarum consistat in aptitudine perfectionem Dei summam repræsentandi, seu gloriam Dei manifestandi (§. 29. *part. 2. Phil. pract. univ.*), finis autem ab agente intendatur (§. 617. *part. 1. Phil. pract. univ.*); sincerus Dei cultor in omnibus actionibus suis tanquam finem ultimum intendit aptitudinem sui & aliorum ad repræsentandam perfectionem Dei summam, seu ut gloria Dei per se & alios manifestetur.

Ostendimus jam alias, quod homo teneatur directe intendere in omnibus suis actionibus, ut efficiatur aptus aptique avadant alii ad perfectionem Dei summam repræsentandam, seu ut gloria ipsius per se & per alios manifestetur (§. 31. *part. 2. Phil. pract. univ.*), atque id requiri ad vitam perfectam (§. 27. *Part. 2. Phil. pract. univ.*). Quamobrem patet, sine pietate ad vitam perfectam neminem adspirare posse. Necesse autem est, ut pietas sit sincera, minime fucata. Sincera autem ut sit, a fine potissimum dependet, qui intenditur, tumque pietas appetitur propter se directa intentione. Quodsi enim

si enim quis pietatem affectet propter fines alios, quos tanquam ultimum intendit, pietas labe inficitur, ut eam potius simulare, quam colere dicendus sit (§. 716. *part. 2. Phil. pract. univ.*), actionibus nimirum externis cum internis minime consentientibus, cum ad internas utique etiam requiratur intentionis rectitudo.

§. 148.

Ob quem finem agat sincerus pietatis cultor.

Quoniam sincerus pietatis cultor in omnibus actionibus suis tanquam finem ultimum intendit gloriae diuinae manifestationem (§. 247.), homo vero a Deo conditus est ut gloriam suam promoveat (§. 115.); *sincerus pietatis cultor agit propter finem, ob quem a Deo conditus est.*

Ostendimus jam superius creaturas omnes agere propter finem, ob quem a Deo conditae sunt, nec hominem sibi in eo deesse, si similiter una cum ipsis propter eundem finem agat (*not.* §. 116.). Quamobrem propositionem praecedentem etiam huc modo demonstrare possumus. Qui pietatem colit, finem cosequi studet, ob quem creatus est (§. 116.), consequenter eundem intendit (§. 616. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Ast homo a Deo conditus est, ut gloriam suam promoveat (§. 115.). Quodsi ergo pietatem colit, gloriam Dei promovere intendit, consequenter aptitudinem sui & aliorum ad perfectionem Dei summam repraesentandam (§. 610. *part. 1. Theol. nat.*). Quoniam homines per ipsam essentiam & naturam suam obligantur ad perfectionem suam conjunctis viribus promovendam (§. 221. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & unusquisque ad perfectionem alterius conferre obligatur, quantum potest (§. 222. *port. 1. Phil. pract. univ.*), dum aptitudinem sui ad perfectionem Dei summam tanquam finem ultimum intendit, perfectionem nempe humanam (§. 917 *part. 1.*

Theol. nat.), ab hac intentione romoveri nequit aptitudo aliorum ad perfectionem Dei summam repraesentandam, consequenter pius non minus intendit, ut per alios, quam ut per se Dei gloria promoveatur.

§. 149.

Quod pietatis cultor Deo, non sibi vivat. Similiter quia *sincerus pietatis cultor* in omnibus suis actionibus tanquam finem ultimum intendit, ut gloria Dei per se & per alios manifestetur (§. 147.); *Deo, non sibi vivit & pro virili studet, ut etiam alii non sibi, sed Deo vivant.*

Atque ita intelligitur, quo sensu homo dicatur factus propter Deum, propter quem res quoque ceterae omnes factae sunt, nimirum si actiones tam hominum, quam creaturarum ceterarum referantur ad finem ultimum, ob quem Deus hunc mundum condidit (§. 629 *part. 1. Theol. nat.*). Probe autem notandum est, quando agitur de fine a sincero pietatis cultore intento, finem intelligendum esse ultimum, qui non excludit fines particulares, sed saltem exigit ut idem ipsi subordinentur, quemadmodum fieri debere ostendimus, si ad vitam perfectam adspiremus (§. 58. *part. 2. Phil. pract. univ.*).

§. 150.

Quod hypocrita non agat propter finem, ob quem a Deo conditus, & quando facilis in hypocrisin prolapsio. Quoniam hypocrita pietatem simulat (§. 1161. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter actiones ejus externae ab internis dissentiunt (§. 716. *part. 1. Phil. pract. univ.*), sincerus autem pietatis cultor in omnibus suis actionibus tanquam finem ultimum intendit aptitudinem sui & aliorum ad perfectionem Dei summam repraesentandam, seu ut gloria Dei per se & alios manifestetur (§. 147.) & agit propter finem, ob quem a Deo conditus est (§. 148.); *hypocrita non intendit tanquam finem ultimum in omnibus actionibus suis apti-*

tudinem

tudinem sui & aliorum ad perfectionem Dei summam repræsentandam, seu ut gloria Dei per se & alios manifestetur, nec agit propter finem, ob quem a Deo conditus est, consequenter patet *quam facilis sit prolapsio in hypocrisin, si qu ipietatem colere debet, ignoret finem, propter quem conditus est* (§. 115.) *& veram hominis perfectionem* (§. 917. *part.* 1. *Theol. nat.*), *sine pietate non acquirendam* (§. 113.).

Qui pietatem simulat, pius videri vult, cum non sit. Quamobrem animus ejus diversus esse debet ab animo pietatis sinceri cultoris. Voluntas igitur utriusque tendere nequit ad eundem finem. Quamobrem necesse est, ut finem, quem tanquam ultimum intendere debet pietatis sincerus cultor, perspectum habeat, qui pietatem colere debet. Alias nimirum facile contingit, ut inclinationes ipsius sive naturales, sive aquisitæ animum dirigant in finem pietati adversum, cumque animus ad pietatem colendam nondum sit dispositus, quemadmodum esse debebat, ipse eandem non appetat, nisi tanquam medium finem sibi propositum consequendi: ad quem consequendum cum sufficiat pietatis simulatio, in hypocrisin prolabitur (§. 1161. *part.* 1. *Jur. nat.*).

§. 151.

Quia *hypocrita* non agit propter finem, ob quem a Deo conditus est (§. 150.), nimirum ut gloria Dei per se manifestetur (§. 147.), consequenter propter fines alios, quos inclinationes in cupidine delectationum sensualium, lucri & honoris atque laudis consistentes (§. 182. *part.* 2. *Eth.*), & voluntatem corrumpentes (§. 183. *part.* 2. *Eth.*), insinuant (§. 181. *part.* 2. *Eth.*); *pietatem simulat, ut seipso delectetur, dum se meliorem aliis existimat, vel ut ab aliis laudetur, vel utilitatis cujusdam causa.* *Fines ab hypocrita intenti.*

Ad delectationes sensuales refertur etiam voluptas, quæ percipitur ex rebus aliis, quam sensibilibus proprie sic dictis, quatenus spectantur tanquam res, quæ voluptatem pariunt, quatenus sensum afficiunt, quemadmodum alias jam demonstravimus & uberius explicavimus de honore ac laude qua tali spectatis (§. 176. *part. 2. Eth.*). Quamobrem quando quis se ipso delectatur, quatenus se intuens se meliorem existimat aliis; voluptas ab ipso percepta ad delectationes sensuales refertur. Quodsi ergo quis pietatem affectat, ut se meliorem existimare possit aliis, ideoque sibimetipsi placere; eum utique intendit finem, quem cupido delectationum sensualium ipsi commendat. Qui vero pietatem affectat, ut se ipso delectetur, parum curat, quid de se judicent alii, modo ipse sibi placeat, & aliorum de se judicia contemnit. Prodit autem hanc sui placentiam vultu inprimis, gestu atque incessu. Sed de eo rectius dicendum, quando de fastu acturi sumus: hypocrita enim hunc finem intendens fit fastosus (§. 583. *part. 1. Jur. nat.*). Qui lucri cupidus est, utilitate bonum metitur, ideoque cupido lucri ipsi insinuat finem, propter quem pietatem simulat. Nec obstat quod subinde necessitas compellat nonnullos ad simulandam pietatem propter lucrum. Subsistimus enim in præsenti in rationibus proximis. Non desunt exempla eorum, qui alimentorum causa pietatem simulant. Et in eundem censum referenda est hypocrisis patrocinium eorum ambientium, qui nonnisi pios eodem dignos judicant. Unde etiam contingit, ut pietatem ex opinione illorum æstiment, & ea faciant, unde pietatem colligere solent, parum solliciti, quid revera sit pietas. Qui honoris atque laudis cupidus est, ei cupido hæc insinuat finem, propter quem pietatem simulat, nimirum ut ab aliis laudetur & pii nomen consequatur. His igitur sufficit, ut pii videantur aliis, parum solliciti, num sint qui videntur. Atque etiam hi pietatem æstimant ex opinione aliorum, a quibus æstimari & laudari volunt. In omni itaque casu hypocrita veram pie-

tatis

tatis notionem minime habet, nec curat, ut ideo quoque actus externos non ad veritatem, sed ad opinionem sive suam, sive aliorum componat, prouti vel sibi, vel aliis placere studet. Hæc opinionum diversitas in causa est, ut hypocrisis varias induat formas, quamvis in eas quoque influant inclinationes & mores pro diversitate subjectorum variantes, prouti ferunt latebræ & recessus in animis hypocritarum & cœca suadet aliorum imitatio.

§. 152.

Pietas pomposa dicitur, quæ proditur actibus externis aliorum oculos tenentibus. Quamobrem cum constet, quæ singularia, non vero communia sunt, ea aliorum oculos tenere; *pietatis pomposæ cultores in actibus externis singularitatem quandam affectant*, ad quos cum etiam referantur vultus, gestus, positus corporis, incessus, vox atque sermo (§. 708 & *seqq. part.* 2. *Phil pract. univ.* & §. 567. *part.* 1. *Theol. nat.*), *eandem quoque affectant in vultu, gestu, positu corporis, incessu, voce atque sermone, non tamen semper eodem modo, prouti inprimis certa quædam vitia tacite in animum irrepentia, vel certæ etiam virtutes in eorum determinationem influunt, aut de iis, quæ ad pietatem requiruntur, diversæ foventur opiniones, cum determinata eadem esse nequeant, nisi determinantia fuerint eadem* (§. 192. 193. *Ontol.*). *Quid sit pietas pomposa.*

Equidem ad pietatem requiritur omnium facultatum usus & plenus usus omnium consensus (§. 1162. *part.* 1. *Jur. nat.*), nec ab ejus cultura abhorrent ceremoniæ, quas vestitas diximus, (§. 490. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), exemplum quoque pietatis aliis præbere tenemur (§. 930. *part.* 1. *Jur. nat.*), immo aliis competit jus postulandi ut præ-

beamus (§. 933. *part. 1. Jur. nat.*); non tamen ideo requiritur singularitatis affectatio, qua pietas in pompam vertitur & ad hypocrisin via sternitur. Contingit sane ut pietas pomposa rectius sentientibus offendiculo sit, cum omnis affectatio displiceat iis, qui præjudiciis minime occæcatam mentem possident, ceteris autem, qui animum a pietate alienum habent, pietas deridenda propinetur, sicque exemplum, cui alii se addere debebant (§. 931. *part. 1. Jur. nat.*), contrarium sortiatur effectum. Quod vero singularitas, quam pietatis pomposæ cultores in vultu, gestu, positu corporis, incessu, voce atque sermone affectant, non eadem sit omnibus, & experientia docet, & ratio a priori in casu dato haud difficulter redditur, modo scientia morali satis fuerimus instructi. Ita videas alios componere vultum severum ac tristem & in humum dejectum, quasi hilaris pietati adversetur, alios vero fingere erectiorem & altum, oculis alternatim nunc in se, nunc in alios spartis, prouti scilicet quis vel aliis videri vult pius, vel sibimet ipsi videtur, aut humilitatis opinio in pietatem influit, aut tacita superbia serpit, aut aliud absconditur in recessibus animi atque latebris. Similiter videas alios instar statuæ stantes, aut lento gradu progredientes, manu sinistra ad pectus applicata, dextera vero vel demissa, vel fulcro cuidam præsenti, quale offert occasio, imposita, alios vero trementes manus attollere & quasi ad orandum componere. Gestant alii caput erectum cum vultu severo, qui sibi videntur pietatis heroës & contemtum omnium rerum terrenarum spirant, nec oculos attollunt nisi in cœlum: alii vero caput in latus alterutrum inclinant & oculis immotis in humum prospiciunt quasi pudore indignitatis suæ suffusi. Alii voce flebili utuntur & syllabis quam longissime productis vocabula pronunciant; alii utuntur voce truci & pronuntiationem verborum accelerant, ut zelum, quo delectantur, prodant. Neque etiam in sermone abest singularitatis affectatio.

tio. Fingunt loquendi formulas inusitatas, imaginationis haud raro non satis felicis fœtus, aut rectius abortus, quasi profunda mysteria continentes, cum sermo non sit nisi de rebus intellectu facilibus, si communi more loquerentur. Ita memini me aliquando audivisse ex ore cultoris cujusdam pietatis pompofæ, quod cor nostrum corde cum Christi colliquefieri debeat, ut non amplius sint corda duo, sed ut fiat cor unum, quando dicere debebat, nobis eundem animum esse debere, qui fuit Christo. Sed infinitum foret si omnia illa pantomimica ornamenta pietatis recensere vellemus, quibus pietas in pompam verti solet. Habent omnia ista, de quibus jam dixi, & alias his gemina suum usum, si recte & in loco adhibeantur, non vero præpostere, quemadmodum faciunt pietatis pompofæ cultores, ad affectationem pietatis singularis transferantur.

§. 153.

De pietate pomposa in hypocrisin degenerante.

Quoniam pietas pomposa amat actus externos aliorum oculos tenentes, quasi sine iis pietas consistere nequeat (§. 152.), facilius autem est actus istos imitari, quam pietatem sincero animo colere, quod nemo facile in dubium vocaverit, ut absque probatione tanquam a posteriori satis notum & per ipsam pietatis notionem in anterioribus satis explicatam manifestum sumatur; *pietas pomposa in hypocrisin facile abit & ad eandem homines ducit, qui a pietate animum alienum, vel genuinam ejus notionem minime habent* (§. 1161. *part. 1. Jur nat.*), immo cum pietatis pompofæ cultores ex actibus istis externis alios sui similes judicent, *in dies contingit, ut hypocritæ pietatis pompofæ doctoribus imponant, & ut pietatis sinceræ cultores si non pro impiis, saltem non pro piis habeantur.*

Non

Non facilius simulatur pietas, quam si pomposa fuerit. Cum enim ex actibus externis tanquam signis colligendus sit status animi internus, in quo vera pietas consistit, actus autem externi sine internis subsistere possint, consequenter voluntate minime emendata his adsuefiant homines rationibus extrinsecis permoti, quæ pro diversitate circumstantiarum variant; facilius id consequuntur, ut videantur pii, quam ut sint. Quoniam itaque non tanta animi contentione opus est ad pietatem simulandam, quam consequendam, homini vero naturale est, ut aversetur quod molestiam creat (§. 156. *part. 2. Eth.*); hypocritæ esse malunt plerique, quam pietatem minime fucatam colere. Et quia itidem formatores animorum minore studio atque labore actibus externis assuefaciunt alios, præsertim eos, quorum imbecille est judicium, quam animum immutant; ex ipsorum quoque disciplina si plures prodeunt hypocritæ, quam sinceri pietatis cultores non est quod miremur. Non adeo facile est simulationem detegere (§. 856. *& seqq. part. 2. Phil. pract. univ.*). Tanto igitur facilius contingit, ut hypocritæ pietatis pompofæ cultoribus videantur pii, præsertim si hi sibi persuadeant intellectus culturam pietati officere & nescio quam simplicitatem fingant ad eam requisitam, cujus hostis sit ratio, qua nihil præstantius homini a Deo datum est. Ex adverso autem cum pietatis pompofæ cultores actus ad pompam facientes pro necessariis pietatis requisitis habeant, quasi ea sine his consistere non possit; fieri quoque haud aliter potest, quam ut sinceræ pietatis cultores, si animum a pompa ipsorum alienum habeant, ex piorum numero excludant, nedum impiis accenseant.

§. 154.

De superstitione pietatem pompofam.

Si pietatis pompofæ cultores erroneas fovent de Deo & providentia ipsius opiniones; superstitio eandem deformat. Quoniam enim pietatis pompofæ cultor in actibus externis singularitatem

ritatem quandam affectat, quibus eandem prodere conatur (§. 152.), si erroneas de Deo & providentia ipsius opiniones fovet, actus istos per easdem determinat, consequenter agit pietatis ostendendæ causa, quæ ab ea aliena sunt, immo prorsus abhorrent. Cum vero in hac actionum determinatione consistat superstitio (§. 1255. *part. 1. Jur. nat.*), pietas autem per istiusmodi actus in aliam fingitur formam, quam quæ eidem convenit, si pietatis pompofæ cultores erroneas fovent de Deo & providentia ipsius opiniones; superstitio eandem deformat. *pomposam deformante.*

Cum singularitas, quam in actibus externis affectant pietatis pomposæ cultores, ad pietatem minime requiratur, quam tamen iisdem prodere volunt, fieri vix ac ne vix quidem posse intelligitur, quin in determinationem illorum actuum influant erroneæ de Deo & providentia ipsius opiniones. Ex vera enim Dei agnitione vera & infucata fluit pietas, quæ respicit actus externos cum iis, quæ de Deo agnoscuntur, minime consentientes. Pietati igitur pomposæ accedit superstitio, ut semper aliquid ejus admixtum habeat, quamvis non quivis sit adeo perspicax, ut id pervideat. Quemadmodum vero erroneæ istæ opiniones admodum variant, ac una cum iis pro diversitate subjectorum tam vitia diversa, quam virtutes in determinationem actionum influunt; ita quoque superstitio pietatem in diversas admodum formas fingit, & pietatis pomposæ cultores in varias scinduntur sectas. Et sicuti dudum animadversum est, nihil esse tam absurdum, quin statuatur ab aliquo philosophorum; ita quoque nihil tam insolens, nihil tam ridiculum, nihil tam impium est, quin arrideat alicui pietatis pomposæ cultori. Non opus est, ut exempla e longinquo petamus. Ecquis enim nostrum est, qui nesciat, quantum deformetur pietas ab *Herrenbuttis*, qui dicuntur? Sane ipsorum hymni, si ceteris omnibus, quæ de ipsis nar-

rantur, fidem detrahere velis, abunde probant, quantum isti homines delectentur absurdis, ridiculis, obscœnis ac impiis, cum videri volunt soli pietatis veræ cultores, ita ut vix quisquam sibi persuadere possit adeo insanire homines, quando pietatem ad pompam componunt, nec rationi, quam lucem quandam lumenque vitæ recte dixit *Cicero*, eandem subesse volunt, nisi rerum testimonia adessent. Discant vero horum exemplo qui rationem pietatis hostem esse contendunt, quam sit periculosum rationis usum ejurare, si pietatem colere decreveris. Tantum abest, ut ratio adversetur pietati, ut ex adverso eandem ad sublimiorem gradum evehat, quemadmodum in anterioribus abunde demonstravimus: adversatur autem pietati fucatæ, cui mendacem speciem detrahit, & deformationi pietatis pomposæ, cujus absurditatem detegit. Unde etiam *Herrenhutti* tantopere insanientes non habent, quod respondeant insaniam ipsorum improbantibus, quam quod rationi nondum valedixerint. Ratio hominem docet atque explanat, quid faciendum sit, quid fugiendum: id quod dudum agnitum est a veteribus. Et rationi convenienter vivere idem esse ac legi naturæ, voluntati divinæ ac naturæ humanæ convenienter vivere, alias demonstravimus (§. 57. *part. 2. Phil. part. univ.*). Quodsi ergo committere velis actiones, quæ rationi adversantur; facienda sunt, quæ legi naturæ, voluntati Numinis atque naturæ humanæ contrariantur, nec amplius est quod mireris, homines de pietate quodlibet fingentes sine ratione tandem insanire.

§. 155.

De contemtu eorum, quibus pietate se præstare quis putat.

Qui alios contemnit, quibus se pietate antecellere opinatur, aut hypocrita est, aut saltem pietas ejus labe quadam inficitur. Qui enim alios contemnit, quibus se pietate antecellere opinatur, is vel negat, eos esse pios, vel pietatem in multis deficere contendit (§. 788. *part. 1. Jur. nat.*), atque tam verbis, quam factis declarat, eos honore ac laude indignos esse

(§. 791.

791. *part. 1. Jur. nat.*). Quodſi ergo pius ſaltem videri velit, ut aliis melior exiſtimetur, cum in actibus externis acquieſcat, internos vero parum curet, ideoque pietatem tantummodo ſimulet (§. 716. *part. 2. Phil. pract. univ.*), qui vero pietatem ſimulat hypocrita ſit (§. 1161. *part. 1. Jur. nat.*), hypocrita eſt. Quodſi vero bona ipſi ſit voluntas, ut velit committere actiones, quas Deus a nobis committi vult, & abſtinere a contrariis (§. 121. *part. 2. Eth.*), conſequenter pius eſſe (§. 1128. *part. 1. Jur. nat.*); pietatem non ſimulat (§. 716. *part. 2. Phil. pract. univ.*), ideoque hypocrita non eſt (§. 1161. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam tamen alios comtemnit, quibus ſe pietate antecellere opinatur, *per hypoth.* ideoque ſupra alios ſe effert, conſequenter ſuperbus eſt (§. 888. *part. 1. Jur. nat.*); ſuperbia in pietatem ſaltem tacite influit: quæ cum abeſſe debeat (§. 889. *part. 1. Jur. nat.*), puritas animi deficit (§. 600. *part. 2. Eth.*), ideoque labe quadam inficitur animus (§. 599. *part. 2. Eth.*), conſequenter eadem pietas contaminatur. Patet itaque, ſi quis alios contemnit, quibus ſe pietate antecellere opinatur, eum aut hypocritam eſſe, aut ſaltem pietatem ejus labe quadam infici.

Hypocritarum mos eſt contemnere alios, quos ſibi pietate pares non eſſe judicant, & ſupra eos ſeſe efferre. Nondum tamen inde ſequitur, quod qui hoc faciunt hypocritæ ſint. Contemtus igitur iſte ſignum hypocriſeos non eſt. Conſtare nimirum ulterius debet, pietatem tantum ſimulari, quatenus eſt medium ſeſe efferendi ſupra alios. Exemplo ſunt Phariſæi, qui ſpeciem pietatis mentiebantur, ut pii viderentur aliis, quos grandi ſupercilio deſpiciebant pium præ ſe neminem putantes ac propterea pietatem pompoſam amantes, cum actus ſaltem externos legi divinæ con-

formarent & de puritate animi parum essent solliciti. Homines bonæ voluntatis pii quidem esse volunt; quoniam tamen voluntas bona ad puritatem animi non sufficit (§. 605. *part. 2. Eth.*), non est quod miremur, si pietas superbia contaminetur. Atque hoc facillime contingit, si pietati pomposæ litatur, propterea quod singularitas, quæ in actibus externis affectatur, facile instillat aliorum contemtum, sicque superbiam ingignat (§. 152.). Quamobrem quoque videas pietatem pomposam cum contemtu aliorum propagari, præsertim cum ejus cultoribus associentur hypocritæ (§. 153.). Unde citra injuriam sanctorum superborum; diomate patrio der stolzen Heiligen, nomen pomposæ pietatis propagatoribus fuit tributum. Qui enim superbiam atro carbone notat, pietatis propagandæ studium minime traducit, a qua omnis superbia, quam prodit aliorum, rectius præsertim sentientium, contemtus, procul abesse debet. Nimirum quamvis laudanda sit voluntas, non tamen ignorantia excusat superbiam, quæ præter intentionem sese in animum ingerit, dum ad pompam attenditur, qua pietatem illustriorem facere conantur a ratione mentem alienantes.

§. 156.

De hypocrisi ex vultu, voce & sermone detegenda.

Si in vultu eius, qui pius videri vult, vel inter vocem & vultum, inter vocem, vultum atque sermonem, inter actionem simulatam & sermonem apparet contrarietas; hypocrisis inde agnoscitur. Qui enim pius videri vult, cum non sit, is actibus externis, præsertim verbis, voce, vultu ac gestu pietatem simulat (§. 716. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum simulatio detegatur, si in vultu, inter vocem & vultum, inter vocem, vultum atque sermonem, inter actionem simulatam & sermonem observatur contrarietas (§. 856. *part. 2. Phil. pract. univ.*); ex eadem contrarietate quoque

que colligitur simulatio pietatis. Enimvero simulatio pietatis hypocrisis est (§. 1161. *part. 1. Jur. nat.*). Quodsi ergo in vultu ejus, qui pius videri vult, vel inter vocem & vultum, inter vocem, vultum atque sermonem, inter actionem simulatam & sermonem apparet contrarietas, hypothesis inde agnoscitur.

Vultum animi imaginem esse & sermonem tacitum mentis recte dixit *Cicero*. Quæ igitur intus in homine latent, vultus prodit. Quoniam vero vultus consistit in compositione faciei determinato situ partium faciei mobilium facta (§. 708. *part. 2. Phil. pract. univ.*); consequenter in toto vultu plura observabilia occurrunt; cum simulatio non concipiatur sive contrarietate actuum internorum tam animi, quam mentis (§. 716, 743. & *seqq. part 2. Phil. pract. univ.* in ipso quoque vultu contrarietas quædam apparet, quamvis non advertatur defectu acuminis in observando nonnisi singulari exercitatione acquirendi atque perficiendi (§. 187. *part. 1. Eth.*). Facilius autem observatur contrarietas inter vocem & vultum, vocem, vultum atque sermonem, actionem simulatam & sermonem, quamvis ad hanc observandam etiam requiratur exercitatio, quemadmodum intelligitur ex iis, quæ de arte observandi demonstravimus (§. 338. & *seqq. part. 1. Eth.*). Est autem ars hæc observandi specialis, quæ versatur circa differentias vultus, vocis, gestuum & sermonis observandas, & quando consideranda singula sunt tanquam signa eorum, quæ intus in anima latent, nec in sensus incurrunt, tam Psychologiæ, quam Ethicæ non proletaria requiritur cognitio. Contrarietas, de qua hic nobis sermo est, confuse percepta displicet, & hæc ipsa displicentia stimulus quidam naturalis est, ut ad eum animum advertant, qui alias ad eam eundem non attenderent, & sæpius ad hasce observationes valet natura sine doctrina. Cumque etiam hic multum tribuendum sit recessibus atque late-

bris in animis hominum; ideo contingit hypocrisin ex signis, de quibus sermo est in propositione præsenti, sæpius manifesta fieri iis, qui de ea detegenda minime cogitant. Exemplum mihi succurrit hypocritæ insulsi ad simulandum prorsus inepti, qui cum pietatem simulaturus prædicaret gratiam divinam, qua sibi datum gratulabatur, ne injuriis sibi illatis animus exacerbaretur, vocem lugubrem & anhelam emittebat, verba singultantia trahebat, & salivam exarescentem atque linguæ ac faucibus adhærentem aperto ore in fila subalbicantia diducebat, manifesto iudicio, quantum angebatur animus excandescens vindictæ cupiditate. Plurimum utique falluntur istiusmodi hypocritæ, quando sibi persuadent, se tanta animi impotentia paulo acutioribus imponere posse.

§. 157.

De hypocrisi ex factis cognoscenda.

Si qui pietatem præ se fert, ea facere non studet, quæ voluntati divinæ maxime consentanea esse novit, ea autem facere suevit, quæ eidem repugnare ultro confiteri tenetur; hypocrita est. Etenim qui ea facere non studet, quæ voluntati divinæ maxime consentanea esse novit, ea autem facere suevit, quæ eidem repugnare ultro confitetur; ei voluntas divina non est motivum determinandi voluntatem & noluntatem (§. 887. *Psych. empir.*). Quamobrem cum pius non sit, qui actiones suas legi naturæ, ideoque voluntati divinæ (§. 284. *part 1. Phil. pract. univ.*), conformare non studet, vi motivorum ab attributis diuinis desumtorum (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*), consequenter cui voluntas divina non est motivum determinandi voluntatem & noluntatem, qui ea facere non studet, quæ voluntati divinæ maxime consentanea esse novit, ea autem facere suevit, quæ eidem repugnare ultro confiteri tenetur, pius non est. Quoniam tamen pietatem præ se fert, eandem nonnisi simulat

(§. 716.

(§. 716. *part. 2. Phil. pract. univ.)*, consequenter cum hypocrita sit, qui pietatem simulat (§. 1161. *part. 1. Jur. nat.*), hypocrita est.

Æqui esse debemus morum alienorum judices. Cavendum itaque etiam est, ne de hypocrisi judicium præcipitemus. Quamobrem singula probe consideranda sunt, quæ in propositione præsente sumuntur, ut inde hypocrisis colligatur. Primum itaque supponimus, habere aliquem pietatis notionem, nimirum quod pius sit is, qui actiones suas voluntati divinæ conformat, seu ideo sic & non aliter agit, quam quia novit Deum velle ut sic agat, non aliter. Hæc enim communis est pietatis notio, ex qua equidem deduci possunt, quæ nos de pietate demonstravimus, non tamen omnibus ea cognita atque perspecta sunt. Quamobrem sufficit, ut constet, voluntatem divinam haberi motivum actionum committendarum & omittendarum. Ac ideo porro supponimus eum, de cujus pietate ferendum judicium, facere, quæ novit, quod Deus eadem a nobis fieri nolit, & ex adverso non facere, quæ novit, quod Deus eadem a nobis fieri velit, hoc enim pugnat cum pietate, cum motivum, quo utitur pius in determinanda voluntate & noluntate, tollatur. Supponimus præterea, actiones tam positivas, quam privativas fluere ex habitu. Fieri nimirum potest, ut subinde a recti tramite aberret, qui pius est, nec cupiditates pravas refrenare valeat, quamvis facti eundem mox pœniteat. Supponimus quoque habitum male agendi versari circa officia, quæ Deus maxime urget, veluti ut quis non diligat homines promiscue, quemadmodum seipsum, cujus dilectionis carentia fomes est omnium fere vitiorum, ut sit avaritiæ deditus, quam esse radicem omnium malorum satis constat, ut sit superbus, cum superbia, si non tollat, saltem contaminet officia quælibet alia lege naturæ a Deo hominibus præscripta. Supponimus

mus denique aliquem pietatem affectare, ita ut pius haberi velit, ut ex factis pietati contrariis certo colligatur simulatio. Videbimus itaque, quam circumspecti esse debeamus ne hypocritis accenseantur, qui non sunt. Neque enim quilibet defectus pietatis, sive ab usu, sive ab abusu facultatum animæ pendens, hypocrisin arguit. Pietas nimirum imperfecta hypocrisis non est, & dandum aliquid tam impotentiæ, quam infirmitati naturali (§. 369. *& seqq. part.* 1. *Phil. pract. univ.*), præsertim quando satis exploratum est, non deficere bonam voluntatem (§. 19. *part. 1. Eth.*). Velim hæc probe perpendi, ne quis sibi persuadeat, nos in numerum hypocritarum referre promiscue omnes, qui in promovendo pietatis studio aliquid humani patiuntur, nec rectam ingrediuntur viam, ut ex eorum disciplina plures habeant hypocrisin, quam pietatem sinceram. Nemo tamen a nobis requisiverit, ut, quos hypocriseos absolvimus, eorum opiniones erroneas & præposterum pietatis propagandæ studium, aut etiam male facta approbemus. Æqui esse debemus in censendis aliis, sed ita, ne veritati præjudicetur. Erit autem judicium de hypocrisi tanto certius & minus fallax, si propositionem præcedentem cum præsente conjungas.

§. 158.

De pietatis pomposæ propagandæ studio, quæstus ac gloriæ causa.

Qui pietatem pomposam promovere studet quæstus causa, aut ut nomen magnum in conditoribus sectarum habeat, hypocrita est. Qui enim quæstus causa, aut ut nomen magnum in conditoribus sectarum habeat, pietatem pomposam propagare studet, is non intendit, ut Deus in omnibus actionibus ab hominibus colatur (§. 616. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque pomposa pietas ipsi sese commendat, quod videatur medium aptius consequendi finem sibi propositum (§. 152.). Quoniam itaque pius non est, qui Deum in omnibus actionibus non colit (§. 1127. *part. 1, Jur. nat.*), ideoque nec

nec intendit, ut id faciant alii; qui pietatem pomposam promovere studet quæstus causa aut ut nomen magnum in conditoribus sectarum habeat, pius non est. Quoniam vero finem suum consequi studet prætextu pietatis (§. 718. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), consequenter ne medio, quo utitur, efficaciam detrahat, pietatem simulat (§. 716. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), qui vero pietatem simulat hypocrita est (§. 1161. *part. Jur. nat.*); qui pietatem pomposam promovere studet quæstus causa, aut ut nomen magnum in conditoribus sectarum habeat, hypocrita est.

Poterat præsens propositio etiam demonstrari ex eo, quod, qui pietatem colit, finem consequi studeat, ob quem creatus est (§. 116.), nimirum ut gloriam Dei promoveat (§. 115). Ab hoc enim fine differt quæstus & nomen in conditoribus sectarum habendi cupiditas. Exemplum quæstus causa pietatem pomposam propagare studentis habes in eo, qui pietatis obtentu communionem bonorum persuadet asseclis suis, eaque deinde administrat instar domini pro lubitu suo, ut in commodum suum vertat quicquid ipsi visum fuerit: exemplum vero ejus, qui magnum nomen in conditoribus sectarum habere cupit, luculentum prodit, qui cum contemtu aliorum universali novam sectam condit & eam secuturis nescio quam felicitatem, cujus nemo extra eam compos fieri possit, promittit & variis artificiis consequi studet, ne, qui semel eidem nomen dedit, eam deserere queat. Annon in hunc censum referendus sit autor sectæ famosæ *Herrenhuttorum*, de qua paulo ante diximus (*not.* §. 154.), Theologis discutiendum relinquo, quia is pietatem christianam promovere prætendit, nos vero ultra ea non progredimur, quæ lumine rationis agnoscuntur.

§. 159.

An necessario impius sit, qui pius non est.

Qui pius non est, non necessario impius est. Etenim qui actiones suas legi naturæ non conformat vi motivorum ab attributis divinis desumtorum, consequenter nec ideo easdem legi naturæ conformat, quia Deus vult, ut legem naturæ servemus, (§. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*); pius non est (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Hoc tamen non obstante, si agnoscit, sine custodia legis naturalis neminem felicem esse posse (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*), cum homines per naturam suam felicitatem appetant (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*), & felicitas sit motivum committendi actiones legi naturæ conformes (§. 326. *part. 2. Phil. pract. univ.*); actiones suas legi naturæ, ac per consequens voluntati divinæ (§. 284. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conformare potest, quamvis voluntas divina non influat per modum motivi in voluntatis determinationem. Quamborem cum impius actiones suas ad legem naturæ componere nolit, nec actionem eidem convenientem patret, nisi quando actio externa ex accidente cum lege naturæ consentit (§. 1150. *part. 1. Jur. nat.*), quatenus ad eam patrandam voluntas per motiva a bono, jucundo, vel utili desumta determinatur (*not. §. cit.*); qui pius non est, non necessario impius est.

Idem jam monuimus, cum impietatis definitionem uberius declararemus (*not.* §. 1149. *part. 1. Jur. nat.*), & legi possunt, quæ ibidem annotavimus & ad cetera, quæ de impietate demonstravimus (*not.* §. 1150. 1151. *part. 1 Jur. nat.*). Qui notiones distinctas in Moralibus insuper habent & in confusis acquiescunt, cum apud eos plurimum valeant rationes ex Grammatica petitæ, tanquam certum sumunt, impium esse qui pius non est. Ac ideo contingit,

git, ut pietatis pompofæ cultores, qui diftincta pietatis notione deftituti, faltem minus adæquata inftructi, pompam fuam ad pietatem tanquam neceffarium requifitum exigunt, cum ab ea alienos pro piis non habeant, eosdem impiis accenfeant, immo quæ recte ab iis dicuntur in fenfum perverfum trahant & bene facta in partem malam vertant. Maximopere igitur in Moralibus cavendum eft, ne ex notionibus confufis de virtutibus ac vitiis aliorum ftatuamus. Quamobrem etiam non minus cavendum eft, ne notiones theologicas cum philofophicis confundamus, non attenta differentia, quæ inter virtutem theologicam & philofophicam ac pietatem philofophicam & theologicam intercedit (§. 340. *part. 1. Phil. pract. univ.*), a Theologis uberius demonftranda. Quamvis vero fatis manifeftum fit, quod non effe pium & effe impium a fe invicem plurimum diftent, ita ut pofito priori non ponatur pofterius, fi ex notionibus diftinctis ducatur filum ratiocinationis, facile tamen contingit, ut non fatis acutis contrarium videatur, quia impietas carentiam pietatis includit. Quamobrem e re effe puto, ut fequens propofitio demonftretur.

§. 160.

Qui impius eft, pius effe nequit. Impius enim actiones fuas ad legem naturæ componere non vult (§. 1150. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum pius actiones fuas legi naturæ conformet vi motivorum ab attributis divinis defumtorum (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque pius effe nequeat, qui actiones fuas ad legem naturæ componere non vult; qui impius eft, pius effe nequit. *De nexu neceffario carentiæ pietatis cum impietate.*

Vera eft hæc propofitio: Qui impius eft, pius effe nequit; aft non licet eam invertere dicendo: Qui pius non eft, impius eft. Ratio fatis manifefta eft, modo utriusque propofitionis demonftrationem expendas. Pius actiones fuas

 legi

legi naturæ conformat vi motivorum ab attributis divinis desumtorum, sed fieri quoque potest, ut vi aliorum motivorum, veluti bonitatis & malitiæ intrinsecæ actionum, & felicitatis nonnisi custodia legis naturæ obtinendæ actiones legi naturæ conformentur. Ast impius actiones suas ad legem naturæ componere non vult, consequenter nec vi motivorum ab attributis divinis desumtorum eas legi naturæ conformare studet. Patet itaque impietatem excludere pietatem, ast carentiam pietatis non includere impietatem.

§. 161.

An qui impius non est, necessario pius sit. *Qui impius non est, non necessario pius est.* Cum enim impius actiones suas ad legem naturæ componere nolit (§. 1150. *part. 1. Jur. nat.*); qui actiones suas ad legem naturæ componit, impius non est. Enimvero qui actiones suas ad legem naturæ componit, uti potest motivis determinandi voluntatem ad actiones legi naturæ conformes patrandum felicitate, qua frui cupit (§. 326. *part. 2 Phil. pract. univ.*), aut bonitate atque malitia intrinseca actionum (§. 369. *part. 2. Phil. pract. univ.*), etsi non utatur motivis a voluntate Dei, aut aliis ejus attributis desumtis. Quamobrem cum pius non sit, nisi qui actiones suas legi naturæ conformare studet vi motivorum ab attributis divinis desumtorum (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*); qui impius non est, non necessario pius est.

Ex hactenus demonstratis patet, nec a carentia pietatis ad impietatem (§. 159.), nec a carentia impietatis ad pietatem *vi præsentis*, ab impietate vero ad carentiam pietatis valere consequentiam (§. 160.). Atque hæc probe notanda sunt, ut temeraria judicia de moralitate actionum alienarum, evitemus.

§. 162.

§. 162.

Odium impietatis eodem modo ingignitur ac alitur, quo odium vitii. Impius enim actiones suas, ad legem naturæ componere non vult (§. 1150 *part. 1. Jur. nat.*), consequenter animum a virtute alienum habet (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & vitia sectatur (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodsi ergo vitii odium ipsi ingignitur, ubi vitium oderit, impietatem quoque odio habebit. Quamobrem odium impietatis eodem modo ingignitur ac alitur, quo, odium vitii ingigni (§. 230. *part. 2. Eth.*) atque ali demonstravimus (§. 232. *part. 2. Eth.*). *De odio impietatis ingignendo & alendo.*

Qui vitium odit, is aversatur actiones legi naturæ contrarias (§. 322. *part. 2. Phil. pract. univ.*), consequenter legem naturæ normam actionum humanarum esse agnoscit, cui adeo actiones suas conformare studet. Cum odio igitur vitii ponitur fuga impietatis, quæ sine vitio non concipitur. Unde patet, non alia opera opus esse ad odium impietatis ingignendum & alendum, quam quæ requiritur ad odium vitii ingignendum & alendum. Quamprimum enim odio habetur vitium, nec impietas placebit amplius. Sufficit itaque odium vitii concitari, ut displiceat impietas.

§. 163.

Voluntas & noluntas impii mala est. Etenim impius actiones suas ad legem naturæ componere non vult, & nonnisi ex accidente actiones quædam externæ cum lege naturæ consentiunt (§. 1150. *part. 1. Jur. nat.*). Necesse igitur est, ut voluntas ejus generaliter determinata sit ad actiones malas certi generis committendas & noluntas ad actiones bonas certi generis non committendas. Quamobrem cum voluntas & noluntas sic determinata *Qualis sit voluntas & noluntas impii.*

mala sit (§. 129. *part* 2. *Eth.*); voluntas & noluntas impii mala est.

Ostendimus jam alias nemini esse voluntatem adeo malam quin in certo genere actionum etiam bona esse possit (§. 130. *part.* 2. *Eth.*). Quamobrem etiam nemo adeo impius est, quin bonas quasdam actiones edat.

§. 164.

De impietate tollenda. Quoniam voluntas & noluntas impii mala est (§. 163.), voluntas autem mala efficitur bona & perfecta, si emendatur (§. 153. *part.* 2. *Eth.*); *si impius ab impietate avocandus, voluntas ejus emendanda est*, consequenter *quæ de emendanda voluntate prolixe demonstrata sunt* (§. 154. & *seqq. part.* 2. *Eth.*), *ad impietatem tollendam faciunt.*

Non igitur opus est, ut de impietate fuganda multa dicamus, nisi alibi dicta repetere velimus, & eadem sub diversis nominibus inculcare. Pendet impietas a mala voluntate ac noluntate; huic igitur si medela affertur, impietas quoque evanescit.

§. 165.

De impietatis remediis. Similiter quia voluntas & noluntas impii mala est (§. 163.), ideoque generaliter determinata ad actiones malas certi generis committendas, veluti ad nocendum aliis, vel defraudandos alios, aut se ingurgitandum, noluntas vero ad actiones bonas certi generis non committendas, veluti ad non inserviendum aliis, aut ad se non perficiendum (§. 129. *part.* 2. *Eth.*), consequenter impius certis vitiis deditus est (§. 322. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *quæ de remediis vitiorum* suo loco *demonstrabuntur*, *remedia* quoque *impietatis sunt.*

Impie-

Impietas complexus plurium vitiorum est, non tamen omnium, nec semper eorundem. Quamobrem consultius est, ut remedia vitiorum in dato casu obviorum adhibeantur, quam ut in genere impietatis remedia quærantur. Tumque inprimis curæ habendum, ut inquiratur, quænam vitia ab aliis dependeant, & his, a quibus dependent cetera, medela afferatur. Hæc vero ex speciali tractatione innotescent.

§. 166.

Quoniam voluntas & noluntas impii mala est (§. 163.); *si cujus voluntas & noluntas bona est, propter errores tamen in jure naturæ, seu de actionibus bonis & malis, actiones malas patrat, bonas vel licitas committere non vult* (§. 131. *part.* 2. *Eth.*)*; impius non est, quatenus vero bonitas voluntatis & noluntatis atque opinio erronea non apparet, impius videtur.* *Quinam videatur impius, cum non sit.*

Clarius hoc apparet, si notiones voluntatis & noluntatis bonæ, itemque impietatis expendere volueris, quæ in demonstrando tanquam familiares supponuntur. Nimirum fieri potest, ut quis habeat voluntatem constantem atque perpetuam non faciendi, nisi quod Deus vult, id quod legi naturæ maxime convenit (§. 1145. *part. 1. Jur. nat.*), ut in bonitate voluntatis atque noluntatis nihil desideretur 119. 125. *part. 2. Eth.*). Cumque motivum voluntatis sit voluntas Dei, cui animo sincero actiones suas conformare vult, pietatem quoque sincero animo colere studet (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodsi itaque putat a Deo præceptum esse, vel permissum, quod legi naturæ repugnat, consequenter Deus a nobis fieri non vult (§. 284. *part. 2. Phil. pract. univ.*), aut a Deo prohibitum esse, quod præceptum, vel permissum; actiones illicitas patrat, aut debitas, vel licitas patrare non vult, quia facere non vult, nisi quod voluntati divinæ convenit, eidemque non repugnat. Bono igitur animo idem facit, quod impius

pius malô animo, atque similis videtur impio, quando animus latet, nec de erronea, quam fovet, opinione constat, utut animus ab impietate procul absit, immo impietas odio habeatur. Vides itaque, quanta cautione opus sit, ne temerarium sit de impietate judicium. Quamvis vero bono animo ac pietatis studio peccantes impietatis absolvamus, non tamen propterea facta eorum approbamus, & ideo differentiam inter voluntatem bonam & perfectam inculcavimus (§. 132. *part. 1. Eth.*), quod voluntatem & noluntatem perficere debeamus demonstravimus (§. 273. *part. 1. Jur. nat.*), & quomodo perficienda sit ostendimus (§. 133. *& seqq. part. 1. Eth.*), immo etiam ignorantiam (§. 549. *Part. 1. Phil. pract. univ.*), & errorem vincibilem recte imputari evicimus (§. 551. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Non desunt, qui ex factis voluntati divinæ repugnantibus, aut privativis non repugnantibus hypocrisin inferunt, præsertim si pietati pomposæ opera detur. Ex iis tamen, quæ jam dicta sunt, si quidem ea cum definitione hypocriseos conferre volueris (§ 1161. *part. 1. Jur. nat.*), patet, perperam hoc fieri, quamvis non negemus, hypocritam quoque erroneis in jure naturæ opinionibus ad istiusmodi facta perduci posse, ut in his ipsis pietatem affectet, a qua animum procul remotum habet. Hactenus dicta & his gemina alibi inculcata usui sunt, quando de animi turpificati depravatione & fœditate statuendum.

§. 167.

De corruptione voluntatis particulari, non obstante bonitate ejus.

Si cujus voluntas & noluntas bona est, propter errores tamen in jure naturæ, seu de actionibus bonis & malis actiones malas patrat, bonas vel licitas committere non vult; ejus voluntas & noluntas quoad hoc actionum genus continuo magis magisque corrumpitur, quamdiu errores istos fovet. Qui enim actiones malas patrat, bonas vel licitas committere non vult, propterea quod putat, illas esse bonas vel licitas, has vero malas

illicitas; is acquirit habitum committendi actiones legi naturæ contrarias (§. 430. *Psych. empir.*), consequenter vitio indulget (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*), etsi in genere habeat animum a vitio alienum. Enimvero si quis diu vitio indulget, voluntas continuo magis magisque corrumpitur (§. 238. *part. 2. Eth.*). Quamobrem cum vitio cuidam particulari tamdiu indulgeat, qui ob generalem determinationem voluntatis ad committendum actiones bonas, & noluntatis ad non committendum malas (§. 119. 125. *part. 2. Eth.*) erronea de actione quadam bona, vel mala opinione ad malam committendam, bonam vel licitam non committendam adducitur, quamdiu opinionem istam fovet; ejus quoque voluntas & noluntas quoad hoc actionum genus continuo magis magisque corrumpitur, quamdiu opinione ista animus imbutus fuerit.

Qui voluntate & noluntate bona gaudet, ei vitium sese commendat sub specie virtutis, si de actionum bonitate atque malitia erroneas foveat opiniones (*not. §. 131. part. 2. Eth.*). Quamobrem vitio cuidam indulget, dum sibi virtutem colere videtur. Voluntas igitur bona & noluntas quo minus particulariter corrumpatur, nihil obstat. Oppido falluntur, qui sibi persuadent, bonitatem voluntatis & noluntatis non ferre corruptionem in particulari quoad certum scilicet actionum genus: neque enim animum attendunt ad differentiam inter voluntatem & noluntam bonam atque perfectam (§. 132. *part. 2. Eth.*), nec differentiam inter conscientiam rectam & erroneam (§. 419. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Purgandus animus est ab errore, ne voluntas & noluntas bona fiat seductrix. Virtuti & pietati nihil magis adversatur quam ignorantia & error. Videant igitur, quam parum pietati consulant, qui rationem damnant, boni & mali magistram (§. 259. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Sibimetipsis imponunt, dum voluntatem & noluntatem continuo magis magisque corrumpunt, quam a corruptione immunem servare intendunt. Voluntas & noluntas per se cœca est, nisi rationis lumine collustretur, sine quo esse nequit, qualem exigit lex naturæ (§. 279. *part. 1. Jur. nat.*). Erroneæ de actionibus bonis & malis opiniones plurimum variant. Quamobrem quoque non eadem est voluntatis & noluntatis corruptio, quæ ab iisdem pendet. Ac ideo contingit pietatem istiusmodi labe infectam nunc magis, nunc minus nocere.

§. 168.

De corruptione particulari voluntatis bonæ præcavenda.

Quoniam voluntas & noluntas quantumvis bona quoad certum actionum genus continuo magis magisque corrumpitur, si quis erroneas de iis opiniones fovet (§. 167.); *si quis erronea quadam de actionibus bonis & malis opinione imbutus fuerit, cui voluntas & noluntas bona est, is operam dare debet, ut quantocyus ab eadem liberetur, & sollicite sibi cavere, ne erroneis opinionibus imbuatur animus.*

Pertinent huc, quæ de voluntate perficienda demonstravimus (§. 133. *& seqq. part. 2. Eth.*), ideoque non opus est, ut hisce diutius immoremur.

§. 169.

Effectus odii impietatis.

Qui impietatem odit, omni animi contentione, quantum in se est, impietati aliorum mederi eamque in pietatem vertere studet: quod si fieri non possit, impiorum consortium vitat. Quoniam enim odium rerum inanimatarum tendit ad eas destruendas (§. 311. *part. 2. Eth.*); odium impietatis tendit ad impietatem evertendam. Quamobrem si videt alios impietati deditos, nihil eorum omittit, quæ a se ad hoc conferri possunt, ut impius ad impietate liberetur, consequenter

ter omni animi contentione, quantum in se est, impietati aliorum mederi studet. *Quod erat primum.*

Quia impius actiones suas legi naturali vi motivorum ab attributis divinis desumtorum legi naturæ, seu voluntati divinæ conformare non vult (§. 1151. *part. 1. Jur. nat.*); qui alterum ab impietate avocare studet, utique intendit, ut is actiones suas vi motivorum ab attributis divinis desumtorum legi naturæ, seu voluntati divinæ conformare discat, consequenter ut pius fiat (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum, qui pietatem odit, omni animi contentione, quantum in se est, impietati aliorum mederi studeat, *per demonstrata n. 1.* impietatem in pietatem vertere studet. *Quod erat secundum.*

Enimvero cum multæ admodum sint rationes, cur in potestate nostra minime deprehendamus, ut impietati aliorum medeamur eamque in pietatem vertamus, experientia tamen constet, quam facile malorum consortio corrumpantur boni mores, quod fiducia ejus sumere licet; si fieri minime possit, ut alienæ impietati medeatur eamque in pietatem convertat, qui impietatem odit; ne eadem contaminetur animus suus, impiorum consortium vitandum. *Quod erat tertium.*

Sine amore pietatis & odio impietatis non concipitur pietas. Sicuti sincerus pietatis cultor eadem delectatur, ita ex adverso impietatem detestatur. Amor stimulus est ad pietatem propagandam; odium vero ad impietatem evellendam. Qui pius est, nihil magis in votis habet, quam ut omnes sincero animo pietatem colant, consequenter ab impietate desistant. Impietas in pietatem non vertitur nisi voluntate emendata. Quam vero sit difficile voluntatem emen-

dare tum ex iis patet, quæ de voluntate emendanda in Tomo præcedente demonstravimus, tum ipso facto experimur, tum ex iis elucescet, quæ de correctione vitiorum demonstrabuntur, quorum quidam complexus est impietas. Mirum igitur non est, si in potestate nostra non deprehendamus impium ab impietate avocare & ad pietatem adducere, quamvis non desit occasio medelam afferendi. Enimvero hæc ipsa quoque plerumque deficit, &, si sese offere videtur, varia objiciuntur impedimenta, quo minus medelam afferre possimus. Quodsi quis non eo animo cum impiis conversetur, ut pietatis ardore incensus impietatem eorum in pietatem vertere conetur, semina impietatis tacite sparguntur in animum bonæ frugi inimica. Consuetudini cum impiis æquiparatur lectio librorum impiorum, quæ pares insidias pietati ac bonis moribus struit. Hos oblivione dudum obrutos qui a librorum rariorum notitia laudem sumentes, in memoriam reducunt, damnosam curiositatem in aliis incensuri, de pietate ac omni virtute male merentur. In eundem censum referendi sunt, qui libros impios ex sermone peregrino in patriam vertunt, quasi impietas peregrino pabulo adhuc indigeat. Sincerus pietatis cultor, qui impietatem odio habet, ab utroque more abhorret. Non tamen improbamus, si quis impietatis evadicandæ animo ostendit impias, quæ hodie disseminantur, opiniones non esse novas, sed obsoletas, propterea quod non paucos novitas in assensum trahat, cum satis exploratum sit quam novitatis avida sit hominum natura, & quod nihil tam absurdum dicatur, quin novitate sese his commendet, qui de veritate per se statuere nesciunt.

§. 170.

De infelicitate impii. *Impietas hominem reddit infelicem.* Impius enim actiones suas ad voluntatem Dei atque legem naturæ componere non vult (§. 1149. 1150. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter eas

eam transgrediuntur (§. 139. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum transgressione legis naturalis homo infelix fiat (§. 405. *part. 1. Phil. pract. univ.*), impietas hominem reddit infelicem.

Infelicitas ab impietate inseparabilis, quamvis impii hoc non agnoscant & sibi videantur felices cum non sint, quatenus voluptate nocua fruuntur. Cum infelicitas motivum sit non committendi actiones legi naturæ contrarias (§. 327. *part. 2. Phil. pract. univ.*); erit eadem motivum fugiendi impietatem (§. 1150. *part. 1. Jur. nat.*). Quamvis vero demonstratio propositionis præsentis abunde sufficit ad convincendum eos, quibus principia omnia, in quæ ea resolvitur (§. 991. *Log.*), cognita & perspecta sunt ut de veritate ejus nullum supersit dubium; si tamen infelicitate, quam procreat impietas, uti velis tanquam motivo determinandi voluntatem impii, necesse est, ut expressius doceatur, quomodo vera felicitate se privet & infelicitati obnoxium se reddat impius. Plus autem hic valent argumenta ab effectu vitiorum particularium, quibus deditus est impius, petita, quam demonstrationes generales, quæ multam scientiam præsupponunt non facile acquirendam. Impii ab appetitu sensitivo in agendo dependent, ideoque magis moventur iis, quæ in sensus incurrunt, quam quæ ex notionibus generalibus deducuntur. Quamobrem si iis infelicitatem suam persuadere volueris, necesse est ut inquiras, quibusnam vitiis maxime delectentur, atque eos doceas, quosnam affectus molestos procreent ista vitia, quænam mala gignant, & quosnam jucundos ex adverso concitent virtutes istis oppositæ, quænam bona pariant. Hæc vero sumenda sunt ex tractatione speciali de virtutibus & vitiis. Ceterum si quis studio philosophiæ moralis eam navat operam, quæ eidem impendenda, ut certam eorum, quæ in ea traduntur, cognitionem consequatur; extra omnem dubitationis aleam positum

 est, quod

eſt, quod veritates quoque generales efficaciter moveant voluntatem & ad conſtantiam ac perpetuitatem ejus plurimum conferant. Quoad reliquos vero veritates generales vim ſuam acquirunt a ſingularibus, a quibus ipſas abſtrahunt, quatenus nimirum illarum beneficio horum conſervatur memoria, & diſtinctæ illarum notioni inſunt ſingularium perceptiones confuſæ, a quibus ſenſum vis in animum olim expertæ illa ad ſe trahit. Homo per naturam ſuam appetit felicitatem (§. 324. *part. 1. Phil. pract. univ.*), infelicitatem averſatur (§. 325 *part. 1. Phil. pract. univ.*). Impietas igitur infelicitatis creatrix, felicitatis fugatrix, naturæ humanæ adverſatur & contra eandem eſſe recte dicitur: quod ſi agnoſcerent impii, impietatis ſuæ ipſos puderet.

CAPUT III.

De obedientia Deo debita.

§. 171.

De modo acquirendi obedientiam Deo debitam

Qui Deo obedire vult, operam dare debet, ut cognoſcat, quænam Deus ab hominibus fieri velit, quænam fieri nolit, & quænam ab ipſo permiſſa ſint, ſibique comparare habitum illa faciendi, ea non faciendi & in his faciendis nil committendi, quod quomodocunque illis, quæ fieri vult, aut non vult, adverſatur. Qui enim novit, quæ Deus ab hominibus fieri vult, quæ fieri non vult, & habitum ſibi comparat illa faciendi, hæc non faciendi; is prompte facit, quod Deus ab hominibus fieri vult, nec ſe adduci patitur, ut faciat, quod fieri non vult (§. 428. *Pſych. empir.*). Et quoniam ad ea, quæ permittuntur, Deus nobis jus dat faciendi, vel non faciendi, prouti neceſſaria ſunt ad ſatisfacien-

ciendum obligationi noſtræ quoad ea, quæ fieri a nobis vult, vel non vult (§. 169. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Si in faciendis iis, quæ permiſſa ſunt, nihil committitur, quod quomodocunque adverſatur illis, quæ fieri vult, aut non vult, quæ permiſſa ſunt, ſeu licita (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*), non aliter facit, quam Deus ea nobis permittit. Quoniam itaque prompte qui facit, quæ Deus ab hominibus fieri vult, nec facit, quæ fieri non vult, & quando facit, quod ab eo permittitur, ſollicite ſibi cavet, ne faciat, quod illis quomodocunque adverſatur, eidem obedit (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*); qui Deo obedire vult, operam utique dare debet ut cognoſcat quænam Deus ab hominibus fieri velit, quænam fieri nolit & quænam ab ipſo permiſſa ſint, ſibique comparare habitum illa faciendi, ea non faciendi, in his faciendis nil committendi, quod illis, vel iis quomodocunque adverſatur.

Quod Deo obedire debeamus & obedientia ab ipſo a nobis exigatur, alias demonſtravimus (§. 1165. 1166. *part. 1. Jur. nat.*). Hic igitur oſtendendum, quomodo obedientiam Deo debitam conſequamur. Nemo alteri obedire poteſt, niſi ſciat, quid a ſe fieri velit aut nolit, vel etiam permittat, & in quantum permittat. Quamobrem per ſe patet, ut Deo obediamus, neceſſe eſſe ut de voluntate ipſius nobis certo conſtet. Ac ideo obedientiam Deo debitam præſtiturus voluntatem Dei de eo, quod nobis faciendum, vel non faciendum, aut permiſſum eſt, exacte cognoſcere tenetur. In vulgus autem conſtat, ut quis faciat voluntatem alterius non ſufficere, ut eandem norit, ſed præterea opus eſſe, ut voluntatem noſtram voluntati ipſius conformemus, ſicque data occaſione agendi non velimus, niſi quod vult alter. Conſenſus itaque conſtans & perpetuus voluntatis noſtræ cum voluntate alterius nonniſi ſingulari ſtudio

ſtudio acquirendus. Ideo obedientiam Deo debitam acquiſiturus in conformanda voluntate ſua cum voluntate Dei omnem collocare tenetur operam, ut tandem conſequatur conſtantem iſtum ac perpetuum voluntatis ſuæ cum voluntate divina conſenſum, ſicque voluntas ipſius quaſi abeat in voluntatem divinam quoad ſibi agenda, vel non agenda.

§. 172.

Voluntas bona & perfecta ad obedientiam neceſſaria.

Quoniam qui Deo obedire vult, pollere debet habitu faciendi ea, quæ Deus ab hominibus fieri vult, & non faciendi, quæ fieri non vult, in iis autem, quæ permiſſa ſunt, nil admittendi, quod quomodocunque adverſetur iis, quæ fieri vult, aut non vult (§. 171.), ideoque voluntatem ſuam generaliter determinare ad committendum actiones, quas Deus a nobis committi vult, & noluntatem generaliter determinare ad non committendum actiones, quas Deus a nobis committi non vult, in hac autem generali voluntatis determinatione voluntas bona (§. 121. *part. 2. Eth.*), in noluntatis autem generali determinatione noluntas bona conſiſtit (§. 127. *part. 2. Eth.*); *qui Deo obedire vult, voluntatem & noluntatem bonam efficere debet.* Cumque præterea operam dare debeat, ut cognoſcat, quænam Deus ab hominibus fieri velit, quænam nolit, quænam ab ipſo permiſſa ſint (171.), conſequenter exactam juris naturæ ſcientiam acquirere (278. *part. 1. Phil. pract. univ.*), hanc vero ſcientiam requirat voluntas perfecta (§. 133. *part. 2. Eth.*), ne bona voluntate minime obſtante faciamus, quod voluntati divinæ non convenit (§. 131. *part. 2. Eth.*); *qui Deo obedire vult, voluntatem & noluntatem quoque perficere debet.*

Volun-

Voluntatem bonam non sufficere ut Deo obediamus, satis superque intelligitur, si sciamus ea, quæ de bona & perfecta demonstrata sunt in parte secunda Ethicæ. Voluntas nimirum bona saltem efficit, ut velimus Deo obedire & inobedientiam aversemur; sed non sufficit, si in dato quovis casu Deo obedire teneamur. Nisi enim voluntas perfecta sit, quæ absque exacta juris naturæ scientia non concipitur, ignorantia vel error in causa esse potest, ut non obediamus, dum obedire nobis videmur. Quodsi ergo voluntas nostra voluntati divinæ conformanda, & bona efficienda, & perficienda: voluntas nimirum perfecta bonam supponit & bona stimulus est ad eam perficiendam. Quando vero voluntas perfecta fuerit, tum demum obtinetur consensus voluntatis nostræ cum voluntate divina, cum a nobis supponatur, non ignorari, quod lege naturali quoque obligemur Deo obedire (§. 1165. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter actiones nostras ad legem naturæ componere, quia Deus vult ut hoc faciamus (§. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamvis enim si actiones nostras legi naturæ convenienter determinamus, eædem quoque voluntati divinæ conformes sunt (§. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*); non tamen necesse est, ut ideo sic & non aliter easdem determinemus, quia Deus vult ut hoc fiat, consequenter ea intentione, ut Deo obediamus (§. 1168. *part. 1. Jur. nat.*), cum motivum esse possit sola bonitas & malitia intrinseca actionis (§. 73. 74. *part. 1. Phil. pract. univ.*), vel etiam felicitas & infelicitas, quam actio parit (§. 326. 329. *part. 2. Phil. pract. univ.*).

§. 173.

Quomodo spectandæ sint actiones nostræ, si

Obedientia Deo præstanda exigit, ut omnes nostras actiones spectemus tanquam officium Deo debitum. Qui enim Deo obedit, cum is velit, ut actiones nostras legi naturæ conformiter dirigamus (§. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*), actio-nes

Deo obedire velimus. nes suas legi naturæ conformiter dirigit, ut pareat voluntati divinæ. Quoniam itaque agnoscit, se actiones liberas non ex suo arbitratu, sed secundum voluntatem Dei determinare debere (§. 974. *part. 1. Theol. nat.*), omnis autem actio juxta legem determinata officium est, quatenus ad eam ita determinandam obligamur (§. 224. *part. 1. Phil. pract. univ.*); actiones suas omnes spectat tanquam officium Deo debitum. Quamobrem patet, obedientiam Deo præstandam exigere, ut omnes actiones spectemus tanquam officium Deo debitum.

Deus autor legis naturæ est (§. 273. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nec homini præscribere potuit legem naturali contrariam (§. 282. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum Deum agnoscere debeamus (§. 1129. *part. 1. Jur. nat.*), ipsum quoque tanquam autorem legis & obligationis naturalis agnoscere debemus, ideoque non sufficit legem naturæ & obligationem, quæ inde venit, ex natura humana derivari, sed necesse est, ut eandem quoque ex natura Dei tanquam fonte omnis veritatis deducamus(§.290 *part.1. Theol. nat.*). Quam ob causam nos non modo in Philosophia practica universali demonstravimus, quod ea rationem sufficientem habeat in ipsa essentia & natura humana; verum etiam in Theologia naturali ostendimus, quod eadem ex natura Dei necessario sequatur. Principium enim generale, quo tota lex naturæ continetur, quod in Theologia naturali demonstravimus, idem est cum eo, quod in Philosophia practica universali ex essentia & natura hominis deduximus, nimirum directio actionum liberarum ad nostram & status nostri ac hominum ceterorum perfectionem. Atque inde est, ut quodlibet officium erga nosmetipsos & erga alios sit non minus officium Deo debitum, quam officium quodcunque erga Deum. Cumque Deus colendus sit in omnibus actionibus nostris (§. 1124. *part. 1. Jur. nat.*), ad cultum

tum divinum quoque pertinet, ut omnes consideremus tanquam officium Deo debitum, quatenus eas committendo, vel omittendo nos Deo obedientes præbere volumus. Et hoc modo apparet, obedientiam erga Deum magnam cultus divini partem esse, & quomodo eadem tota vita nostra in cultum Numinis perpetuum vertatur.

§. 174.

Quoniam obedientia Deo debita requirit, ut omnes nostras actiones spectemus tanquam officium Deo debitum (§. 173.); *si in obedientia Deo debita nihil desiderari debet, necesse est ut nihil agamus nisi cum sensu officii Deo debiti*, consequenter cum voluntas bona efficiatur, si generaliter determinetur ad committendas actiones, quas Deus a nobis committi vult, & abstinendum a contrariis (121. *part.* 2. *Eth.*), *si voluntas bona efficienda, generaliter quoque determinanda est ad nihil agendum nisi cum sensu officii Deo debiti.*

Nihil agendum nisi cum sensu officii Deo debiti, Deo debiti & quod id ad voluntatem bonam requiratur.

Quodsi voluntas generaliter fuerit determinata ad nihil agendum nisi cum sensu officii Deo debiti ac probe expensum, omnes actiones, quæ sunt legi naturæ conformes, spectandas esse instar officii Deo debiti (§. 173.); sensus officii Deo debiti tacite influit in omnes nostras actiones, quamvis distincte de eo non cogitetur: id quod etiam de aliis tenendum, quæ ad actionum omnimodam rectitudinem requiruntur. Neque enim fieri potest, ut, quotiescunque quid agendum, de singulis, quæ in actionem præsentem influere debent, distincte cogitetur; sed sufficit, perceptiones & appetiones atque aversiones præteritas tacite in eam influere: id enim naturæ humanæ convenit, ut perceptionibus ejus præsentibus innumera insint, quæ sigillatim non percipiuntur, nisi facta analysi, qua confusa perceptio reducitur ad distinctam & adæquatam, quæ tamen analysis non

ſemper in poteſtate eſt ob imperſcrutabilitatem præſertim receſſuum in animis hominum (§. 75. *part. 1. Eth.*). Quodſi nimirum cogitemus, cur actionem noſtram ſic & non aliter determinemus, cum ſtatim meminerimus nos hoc pacto ſatisfacere voluntati divinæ, ſicque Deo obedire, ſenſum quoque officii Deo debiti in nobis experiemur, qui antea quaſi ſepultus latebat. Diſcimus hinc, quamvis voluntas bona minime ſufficiat, ut perpetuo recte agamus, ipſam tamen ad recte agendum maxime neceſſariam eſſe, ac ideo dum eidem acquirendæ operam navamus, ſingula expendenda eſſe, quæ quomodocunque ad omnimodam actionum rectitudinem requiruntur, ut nil quicquam in ea deſideretur, quod vi legis naturalis ineſſe debet. Et huc faciunt ea omnia, quæ de moralitate actionum humanarum in genere demonſtrantur, ac inde elucet theoriæ generalis ſumma utilitas, quæ ad voluntatem bonam efficiendam neceſſaria, ſicuti ſpecialis ad eam perficiendam.

§. 175.

De neceſſario nexu pietatis & obedientiæ Deo debitæ.

Qui pius eſt, Deo obedit, & qui Deo obedit pius eſt. Qui enim pius eſt, actiones ſuas legi naturali conformat vi motivorum ab attributis divinis & providentia divina deſumtorum (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter ipſi quoque motivum agendi & non agendi eſt voluntas divina (§. 123. *part. 1. Theol. nat.*), præſertim cum norit voluntatem Dei ipſi eſſe debere loco propriæ voluntatis (§. 971. *part. 1. Theol. nat.*). Quoniam itaque hoc facit, quia Deus vult ut faciat, & non facit, quia non vult ut faciat, qui vero facit quod Deus vult, & non facit, quod non vult, ipſi obedit (§. 1164 *part. 1. Jur. nat.*); qui pius eſt, Deo obedit. *Quod erat. unum.*

Ex

Ex adverſo qui Deo obedit, prompte facit, quod Deus vult, & non facit, quod non vult (§. 1164. *part.* 1. *Jur. nat.*), conſequenter cum Deus velit, ut legem naturæ ſervemus (§. 276. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), voluntas divina ipſi motivum eſt conformandi actiones ſuas legi naturæ (§. 887. *Pſych. empir.*). Enimvero qui actiones ſuas conformat legi naturæ vi motivi a voluntate Dei deſumti pius eſt (§. 339. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Pius itaque eſt, qui Deo obedit. *Quod erat alterum.*

Pietas cum obedientia Deo debita indivulſo nexu cohæret, ideoque hæc obedientia pietatis infallibile ſignum eſt, modo caveatur, ne hypocrita nobis imponat, quando de aliena pietate ferendum eſt judicium. Nimirum quando ex obedientia Deo præſtita colligi debet pietas, certo conſtare debet, nos ideo committere actionem quandam, quia Deus vult, ut eam committamus, committere autem nolle, quia Deus non vult, ut committamus, conſequenter ut voluntati Dei ſatisfaciamus. Horum unusquisque ſibi conſcius eſt, modo animum ad ſe attendere velit: aſt ſi de aliis judicandum, cum hi verbis alia præ ſe ferre poſſint, quam quæ animo ipſorum inhærent, cautione opus eſt, ne verba nobis dare facile patiamur, nec nos in hoc credulos præbeamus. Cautio hæc redit ad detegendam ſimulationem (§. 716. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), æſtimanda ex iis, quæ de ſimulatione detegenda in genere demonſtravimus (§. 856. *& ſeqq. part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Lubens fateor, cautionem hanc haud raro difficilem eſſe, ſi certi quid ſtatuere velis; non tamen eadem difficultas eſt, ut agnoſcas te cum ratione dubitare: quo in caſu præſtat judicium ſuſpendi, præſertim ſi tua parum refert, utrum quis obedientiam ſimulet, an revera ſe obedientem Deo præbere velit. Dantur homines, in quorum mores abiit, ut obedientiam Deo debitam omnibus factis ſuis obtendant (§.

 867.

863. *part. 2. Phil. pract. univ.*): sed tum ex circumstantiis singularibus innotescit, quantum verbis alterius insit veri. Quamobrem ne hisce hominibus credulitatem addicemus, singulæ facti circumstantiæ probe sunt expendendæ.

§. 176.

An Deo obediat qui per errorem committit actionem voluntati ipsius adversam.

Qui ignorantia juris naturæ, aut erronea, quam fovet de actione quadam, opinione adductus facit, quod voluntati divinæ non convenit; in eo Deo non obedit, quamvis eidem se obedire putet. Etenim qui ignorantia juris naturæ, aut erronea, quam fovet de actione quadam, opinione adductus facit, quod volundati divinæ non convenit; hunc non facere, quod Deus vult, sed facere quod non vult, palam est. Ast qui non facit quod Deus vult, sed quod non vult, ipsi minime obedit (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*), nec sufficit, quod putet se facere, quod Deus vult, ideoque eidem obedire, cum ejus opinione actio non efficiatur voluntati divinæ conformis, quæ ab eadem dissentit. Quamobrem qui ignorantia juris naturæ, aut erronea, quam fovet de actione quadam, opinione adductus facit, quod voluntati divinæ non convenit, in eo Deo non obedit, quamvis eidem se obedire putet.

Obedientia requirit actionis convenientiam cum voluntate divina, nec sine ea concipitur: neque enim homo dici potest facere quod Deus vult, si facit quod non vult. Propterea obedientia exigit certam eorum, quæ Deus ab hominibus fieri vult, cognitionem, ideoque ut Deo obedire possis, non sufficit bonam habere voluntatem, ut facere velis, quæ Deus vult, sed etiam requiritur voluntas perfecta, ut facere actu possis, quæ Deus vult (§. 172.): perfecta autem voluntas sine scientia juris naturalis non concipitur (§. 133. *part. 2. Eth.*). Et antea jam demonstravimus,

vimus, si quis Deo obedire velit, ei primam hanc esse debere curam, ut cognoscat, quænam Deus ab hominibus fieri velit, quænam fieri nolit, quænam ab ipso permissa sint (§. 171.). Ut vero huic cognitioni acquirendæ operam indefessam non sine animi ardore, nec sine voluptate vacet, necesse est, ut ante constantem habeat ac perpetuam voluntatem non faciendi, nisi quod voluntati divinæ conforme est, hoc est, bonam (§. 121. *part. 2. Eth.*): nisi enim flagres cupiditate Deo te obedientem præbendi, nec volupe tibi erit studere voluntati divinæ agnoscendæ, quin potius molestum accidet studium ad voluntatem divinam agnoscendam adhibendum. Ceterum ex propositione præsente patet, ignorantiam juris naturæ atque opiniones in eo erroneas impedimentum esse obedientiæ Deo debitæ, quod supra jam removimus, cum studium cognoscendi ea, quæ Deus ab hominibus fieri vult, aut non vult, vel iisdem permittit, inculcavimus (§. 171.).

§. 177.

Deo competit jus de actionibus hominum disponendi, prouti ipsi placuerit. Etenim Deus dominus est omnium hominum (§. 966. *part. 1. Theol. nat.*) & omnis homo servus Dei est (§. 968. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem Deo competit jus de homine omni, tanquam creatura sua, consequenter etiam de actionibus ipsius disponendi pro jubitu suo, seu prouti ipsi placuerit (§. 959. *part. 1. Theol. nat.*). *De jure Dei in actiones hominum.*

Jus Dei in actiones hominum, quod *imperium divinum* est (§ 194. *part. 7. Jur. nat.*), fluit ex dominio, in quo sunt homines sicuti creaturæ ceteræ omnes, & quod ex creatione ac conservatione ipsi quæsitum. Quamobrem servitus, qua homo servire tenetur Deo, non per omnia æquiparatur servituti, qua homo homini subjicitur, & quæ non ex domi-

dominio, ſed aliunde venit (§. 1088. 1092. 1094. *part.* 7. § 589. *part. 8. &* §. 146. *part. 1. Jur. nat.*). De illa igitur ſervitute ſtatuendum eſt ex iis, quæ de dominio Dei demonſtravimus (§. 965. *& ſeqq. part. 1. Theol. nat.*), non vero ex iis, quæ de ſervitute perſonali tradidimus (§ 1080. *& ſeqq. part.* 7. *Jur. nat.*). Jus Dei in actiones hominum non determinatur per jus naturæ, ſed a liberrima Dei voluntate, de qua ex eſſentia & attributis ipſius ſtatuendum, & ideo extenditur ad omnes hominum actiones, cum homo dominus ſaltem jus habeat ad operas præſtandas & in actiones ceteras, quatenus reſpectum ad has habent, (§. 1096. *part.* 7. *Jur. nat.*), nec hoc ſemper prorſus illimitatum, neque perpetuum (§. 1084. *part.* 7. *Jur. nat.*). Nemo hominum ſponte ſua ſe Deo ſubjicit, ſed per naturam ſuam ipſi ſubjectus eſt. Ac ideo libertas naturalis, vi cujus homini permittendum, ut in determinandis actionibus ſuis ſuo ſtet judicio, quamdiu nil facit contra jus alterius (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*), ipſi ſaltem competit reſpectu ceterorum hominum, non vero reſpectu Dei. Jus quod Deo in actiones hominum competit, prorſus abſolutum eſt, ut ejus exercitium totum dependeat unice a voluntate divina. Poteſt præcipere, quæcunque vult, poteſt etiam prohibere, quæ vult, & in præcipiendo ac prohibendo prorſus liber eſt, non dependens niſi a propria voluntate. Et hoc nomine Monarcha abſolute ſummus eſt, cum nulla prorſus fingi poſſit obligatio, quæ libertatem ejus in exercendo imperio reſtringat, ſicuti in homine obligatio naturalis, quæ per libertatem ejus non tollitur (§. 159. *part. 1. Jur. nat.*), libertatem naturalem reſtringit. Abſit tamen, ut propterea Deum tibi repræſentes per modum tyranni, cujus voluntas tendit ad ſubvertendam felicitatem ſubditorum, quibus plerumque aſſimilantur domini in ſervos ſævientes & nimis duriter ex leviſſimis cauſis eos tractantes. Qualem enim habeamus dominum, non modo patet ex iis, quæ de dominio

minio Dei demonſtrata ſunt in Theologia naturali; verum etiam ex iis elucefcit, quæ in ſequentibus dicuntur.

§. 178.

Quoniam Deo competit jus de actionibus hominum diſponendi, prouti ipſi viſum fuerit (§. 177.); *ſi homo facit, quod Deus vult*, conſequenter *ſi Deo obedit* (§. 1164. *part.* 1. *Jur. nat.*), *jus ſuum Deo tribuit* (§. 240. *part.* 1. *Phil. pract. univ.* & §. 921. *part.* 1. *Jur. nat.*), ideoque *juſtum ſe præbet Deo* (§. 926. *part.* 1. *Jur. nat.*), ex adverſo vero cum inobediens ſit, ſi facere non vult, quod Deus vult, ſed quod ſibi viſum fuerit (§. 1168. *part.* 1. *Jur. nat.*), *ſi inobediens ſit, jus Dei violat*, conſequenter *eidem injuriam facit* (§. 859. *part.* 1. *Jur. nat.*), & *injuſtum ſe præbet.*

Quando homo ſe juſtum, quando injuſtum præbeat Deo.

Propoſitio hæc probe notanda eſt, ut turpitudo inobedientiæ erga Deum intimius perſpiciatur. Quid enim turpius cogitari poteſt, quam ut homo jus ſuum Deo reddere nolit ipſique injuriam facere non vereatur. Deus, qui ſibimetipſi ſufficientiſſimus eſt (§. 428. *part.* 1. *Theol. nat.*), ideoque nulla prorſus re extra ſe quomodocunque indiget (§. 427. *part.* 1. *Theol. nat.*), nihil ab homine exigere poteſt, quam ut ipſum dominum ſuum agnoſcat & tanquam ſervus fidelis obedientiam debitam præſtet. Hanc Deus a nobis exigit (§. 1166. *part.* 1. *Jur. nat.*), tanquam id, quod a nobis ipſi debetur (§. 1165. *part.* 1. *Jur. nat.* & §. 170. *part.* 1. *Phil. part. univ.*). Quoniam omnes actiones noſtras ſpectare debemus tanquam officium Deo debitum (§. 173.); in omni actione Deo redditur, quod ſuum eſt, ſi eandem eo animo committimus, ut nos Deo obedientes præbeamus. Quamobrem juſtitia erga alios includit juſtitiam erga Deum, quatenus Deus vult, ut ſimus juſti (§. 927. *part.* 1. *Jur. nat.*). Juſti vero ſi ſumus erga

ga alios, ut nos obedientes Deo justitiam præcipienti præbeamus, dum aliis tribuimus quod suum est, Deo simul tribuimus quod Dei est. Eodem modo intelligitur, quod obedientia servi, quam debet Domino, contineat obedientiam Deo debitam, nec eadem separanda sit áb officiis hominis erga seipsum & quibuscunque erga alios, ut ideo tam nobis, quam aliis obligati simus propter Deum. Quæ hic dicuntur, non satis inculcari possunt: habent enim multum usum cum in solvendis variis nodis, qui in theoria morali occurrunt, tum in removendis præjudiciis, quæ praxi morali nocent. Quemadmodum omnis veritas fœcunda est; ita etiam quæ hic de obedientia Deo debita demonstrantur, admodum fœcunda experietur, qui ea ad quodlibet actionum humanarum genus applicare studuerit. Non commemoramus usum, quem ea præbent ad intellectum multorum scripturæ locorum, cum nobis non propositum sit consensum eorum, quæ in Moralibus docemus, cum scriptura sacra demonstrare, quemadmodum eundem evicimus in Theologia naturali.

§. 179.

De eo quod homo Deo dare possit.

Qui Deo obedit, voluntatem suam Deo dat, nec habet homo aliud, quod Deo dare possit. Qui enim Deo obedit, cum non faciat, nisi quod Deus vult (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*), ac ideo facit, ut obedientiam Deo debitam præstet (§. 1167. *part. 1. Jur nat.*), consequenter ideo quia Deus vult (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*); actiones liberas non determinat suo arbitratu, sed quemadmodum vult Deus, ideoque voluntas Dei ipsi est loco propriæ voluntatis. Patet itaque, quod propriam voluntatem habere nolit, consequenter eandem Deo det. *Quod erat unum.*

Cum Deus sibi sufficientissimus sit (§. 428. *part. 1. Theol. nat.*), ideoque nulla prorsus re extra se quomodocun-

cunque indigeat (§. 427. *part. 1. Theol. nat.*); illarum quoque rerum, quas homo habet, nullam dare poteſt, præſertim cum ſit dominus rerum omnium, quæ in rerum natura exiſtunt (§. 965. *part. 1. Theol. nat.*), conſequenter res omnes ipſius ſint, ut, ſi qua re indigeret, non demum eandem ab homine accipere teneretur. Enimvero habet homo voluntatem, quam pro lubitu determinare poteſt (§. 942. *Pſych. empir.*). Quodſi eandem determinat ſuo arbitratu, non ſecundum voluntatem Dei, voluntatem ſuam ſibi retinet; ſi vero eandem determinat juxta voluntatem Dei, non ſuo arbitratu, eam Deo reddit. Unicum igitur, quod Deo ab homine dari poteſt, voluntas ipſius eſt. Quamobrem patet, hominem non habere aliud, quod Deo dare poſſit, quam voluntatem propriam. *Quod erat alterum.*

Abſurda igitur olim erat gentilium opinio, quaſi ſacrificiis Deum colentes ipſi darent pecudes atque fruges ſuas, immo ipſos liberos ſuos, tanquam donum acceptiſſimum, quo ejus favorem ſibi conciliarent, quam in ipſis quoque Hebræis, apud quos cultus ſacrificiorum erat hieroglyphicus, ſeu, ut Theologi loquuntur, typicus, quemadmodum explicat autor epiſtolæ ad Hebræos, reprehendit Deus *Jeſ.* 1. 11, & propterea *Samuel* eandem opinionem refellens obedientiam meliorem eſſe pronunciat, quam victimas. Cum Deus ab hominibus obedientiam exigat (§. 1166. *part. 1. Jur. nat.*), qua determinatio voluntatis ſuæ quaſi in Deum transfertur (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*); qui Deo obedit, voluntatem ſuam ipſi offert, ut de ea diſponat Deus, quemadmodum ſibi viſum fuerit. Diximus alias, cum demonſtraſſemus, voluntatem Dei loco voluntatis propriæ homini eſſe debere, hominem abnegare voluntatem ſuam, dum agere non vult niſi quod vult Deus (*not.* §. 971. *part. 1. Theol. nat.*). Quæ

vero hic dicuntur de oblatione voluntatis suæ Deo facta, iis minime refragantur. Diverso enim respectu Deo obediens abnegare dicitur voluntatem propriam & eandem dare Deo. Abnegat nimirum voluntatem Dei, quatenus in agendo sequitur voluntatem Dei, ac si propria voluntate careret, ita ut hoc faciat, vel non faciat, quia ipse hoc facere vult, vel facere non vult, sed quia Deus vult ut faciat, vel non vult, ut faciat: ast Deo dat voluntatem suam, quatenus determinationem ejusdem ipsius judicio relinquit, ita ut de actione committenda, vel omittenda statuatur ex lege a Deo lata, qua is declaravit suum de ea judicium, sicque omnis dispositio de actu voluntatis suæ relinquatur Deo. Gentes orientales voluntatem, seu appetitum cor appellarunt, quemadmodum etiam in libris classicis Sinarum hæc appellatio occurrit, & significatu quidem latiori, ita ut etiam aversationem comprehenderint sub ea, neque enim vulgus, cui debentur vocabula in communi sermone recepta, distingvit, quæ quoad facultatem appetendi & aversandi differunt. Unde ex iis, quæ hactenus dicta sunt, etiam intelligitur, quid sit Deo dare vel præbere cor suum. Neque alio fine hæc a nobis dicta sunt, quam ut obedientiam Deo debitam intimius perspiciamus, & loquendi formulas a Theologis receptas ad notiones distinctas reducamus, ut philosophia, quam profitemur, in Theologia tanto ampliorem habeat usum & temeraria irreligionariorum judicia refellantur.

§. 180.

Quale id sit. Quoniam qui Deo obedit voluntatem suam Deo dat (§. 179.), homo vero totus qua corpus, qua animam, consequenter etiam voluntas ipsius Dei est (§. 966. *part. 1. Theol. nat.*); *si homo Deo dat voluntatem suam, eidem dat, quod jam ante suum erat*, consequenter cum Deus ab eodem exigat, ut det, utpote obedientiam exigens, (§. 1166. *part. 1. Theol. nat.*), *Deus ab homine exigens, ut sibi præ-*

præbeat voluntatem suam, ab eo non repetit, nisi quod suum est ipsique debetur, seu tanquam suum relinquendum.

Hæc faciunt ad uberius intelligendum, quod homo obedientiam Deo debitam detrectans involet in jus Dei (§. 178.). Influunt etiam per modum motivi in obedientiam, si cui fuerit voluntas unicuique suum tribuendi, & minus molestum accidit reddere alteri quod suum est, quam dare, quod nostrum est.

§. 181.

An pro obedientia a Deo debeatur merces.

Quoniam si homo Deo obedit, ipsi dat voluntatem suam (§. 179.), ideoque id, quod jam ante Dei est (§. 180.); *Deus homini pro obedientia præstita nihil retribuere obligatur*, & per consequens *si Deus obedientiam beneficiis compensat, id bonitati ejus unice acceptum ferendum* (§. 695. 699. *part. 1. Theol. nat.*).

Nemo est, qui non pro certo habeat, se reddenti sibi quod suum est nihil vicissim dare debere. Quodsi propterea quid detur, id gratis datum intelligitur, ideoque beneficiis accensetur (§. 21. *part. 4. Jur. nat.*). Atque hinc etiam est, ut præmia, quæ obedientibus promittuntur in scriptura sacra, ex principiis rationis demonstrari non possint, ultra quæ nos non progredimur.

§. 182.

Quod obedientia testemur Deum esse dominum nostrum, nos servos ipsius.

Si homo Deo obedit, Deum esse dominum suum & se servum ipsius ipso facto confitetur. Qui enim Deo obedit, cum faciat, quod Deus vult ut faciat (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*), eo ipso confitetur, se agnoscere, quod actiones suas liberas non determinare debeat suo arbitratu, sed necesse sit, ut eas determinet, quemadmodum Deus vult.

Agnoſcit itaque Deo competere jus diſponendi de actionibus ſuis pro arbitrio ſuo, conſequenter dominium in ſe (§. 959. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem cum dominus ſit, cui dominium competit (§. 964. *part. 1. Theol. nat.*), ſi homo Deo obedit, Deum eſſe dominum ſuum & ſe ſervum ipſius ipſo facto confitetur.

Domini eſt imperare, ſervi obedire. Quamobrem qui agnoſcit, ſibi non eſſe faciendum, quod ſibi viſum fuerit, ſed quod viſum alteri, is quoque agnoſcit alterum eſſe dominum ſuum, ſe ſervum ipſius, quando nimirum hoc intelligitur de omnibus actionibus, quemadmodum hic ſupponitur. Et revera ſemper ſervile eſt, ſi quis ideo quid facit, quod alter vult, quia vult alter, ita ut voluntas alterius ſit motivum faciendi, quatenus agnoſcit, ſe obligari ad obedientiam, aut ſaltem obligatus ſibi videtur. Sane ſi quis alteri ſe obligavit ad aliquid præſtandum, hæc ipſa præſtatio eſt in dominio alterius, cum de ipſa diſponere poſſit prouti ſibi viſum fuerit, utrum ſcilicet eam exigere, an remittere velit, & reſpectu hujus præſtationis eſt inſtar domini, & qui eam debet inſtar ſervi: ſit ita quod communiter non ita loquamur, quia poteſtas dominica & ſervitus multo latiorem habet ſignificatum & fundamentum relationis in caſu iſto non prorſus ſubſiſtit, quod nec prorſus idem eſt, quando Deus dicitur dominus hominis & homo ſervus Dei & quando homo dicitur dominus hominis, & hic ſervus illius, prouti ex iis patet, quæ de ſervitute perſonali demonſtrata ſunt (§. 1080. *& ſeqq. part. 7. Jur. nat.*).

§. 183.

Gloria Dei obedientia noſtra promota.

Quoniam qui Deo obedit ipſo facto confitetur, Deum eſſe dominum ſuum, ſe ſervum ipſius (§. 182.), Deus vero eſt dominus hominum (§. 966. *part. 1. Theol. nat.*), & homo

& homo gloriam Dei promovet, si ipso facto testetur, se agnoscere, quinam Deus sit (§. 610. *part.* 1. *Theol. nat.*); *qui Deo obedit, gloriam Dei obedientia sua promovet.*

Quoniam Deus vult, ut ipsi obediamus (§. 1166. *part.* 1. *Jur. nat.*), ideo etiam vult, ut agnoscamus, quod sit dominus noster, nos simus servi ipsius. Et cum idem velit gloriam suam promoveri ab hominibus (§. 1155. *part.* 1. *Jur. nat.*); ideo etiam vult ut obedientia eandem promoveamus. Quamobrem cum obdientes nos præbemus Deo, voluntati ipsius apprime convenit, ut Deum consideremus tanquam dominum nostrum & nos tanquam servos ipsius, sicque agnoscamus, nos facere, quod tanquam servi debemus.

§. 184.

Qui ipso facto confitetur, Deum esse dominum suum, se servum Dei; Deo obedit. Qui enim ipso facto confitetur, Deum esse dominum suum, se servum Dei, cum vi dominii Deus disponat de omnibus actionibus hominis (§. 959. *part.* 1. *Theol. nat.*), ideoque utpote autor legis naturæ (§. 273. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), præcipit, quæ facienda sunt, prohibet, quæ non facienda, & declarat, quæ nobis permissa esse debent (§. 163. & *seqq. part* 1. *Phil. pract. univ.*), nullam actionem committit, nisi quia a Deo præcepta, vel permissa, nec ab ea committenda abstinet, nisi quia a Deo prohibita, sicque prompte facit quod Deus vult, & non facit, quod Deus non vult, quia non vult. Enimvero qui promte facit, quod Deus vult, & non facit quod non vult, Deo obedit (§. 1164. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem qui ipso facto confitetur, Deum esse dominum suum, se servum Dei, Deo obedit.

De necessario nexu obedientiæ cum agnitione dominii divini.

Datur

Datur necessarius nexus inter agnitionem vivam dominii divini & obedientiam Deo præstitam, ita ut hæc sit motivum hujus, hæc vero signum illius, modo illa fuerit, qualem esse debere ostendimus, nimirum ut intendamus satisfacere voluntati divinæ. Ex sola igitur convenientia actionis cum lege naturæ nondum colligi potest obedientia Deo exhibita, cum fieri possit, ut quis obedientia relicta rationi pareat, cui subjectus est lege naturæ (§. 57. *part. 1. Phil. pract. univ.)*. Intentionis suæ cum quilibet sibi conscius sit, obedientiæ suæ quilibet certus esse potest, sed illa cum in aliis demum aliunde colligenda, alienam obedientiam non eadem facilitate certam habere possumus. Non est, quod distingvas inter obedientiam explicitam & implicitam, ita ut *obedientia explicita* vocetur, si actio ea intentione committatur, ut satisfiat voluntati divinæ, quatenus scilicet actio spectatur tanquam officium Deo debitum (§. 173.); *implicita* vero, quæ voluntati actionem legi naturæ conformandi tacite inesse videtur, quatenus hæc voluntati divinæ conformis (§. 284. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ita ut qui intendit actione sua obligationi naturali satisfacere, eo ipso etiam satisfaciat obligationi divinæ, quæ ab ejus voluntate venit. Nimirum haud difficulter perspicitur, obedientiam implicitam haberi minime posse pro obedientia, qualem Deus a nobis exigit (§. 1167. *part. 1. Jur. nat.*), & ipsa lex naturæ urget, ideo nimirum servanda, ut obedientiam Deo debitam præstemus, si vel maxime obligationis naturalis idem agendi nullam haberemus rationem (§. 1167. *part. 1. Jur. nat.*), cum actio jam non spectetur tanquam legi naturæ, sed tanquam voluntati divinæ conveniens ac per consequens, qualiscunque tandem fuerit, tanquam officium erga Deum (§. 173.). Neque etiam est, ut existimes, si actionem legi naturæ conformem committens, quia eam eidem convenientem agnoscis, non expresse cogites, te eadem satisfacere velle voluntati divinæ

divinæ ac Deo te obedientem præbere, obedientiam nonnisi implicitam esse. Quodsi enim voluntas generaliter determinata sit ad obediendum Deo, & intellectus convictus, aut mens certa, Deum velle, ut actiones nostras ad legem naturæ componamus; obedientia semper influit in determinationem voluntatis ipsamque actionem ab ea dependentem, quemadmodum jam sæpius inculcavimus de præteritis determinationibus in præsentem influentibus. Quodsi demum in hoc casu obedientiam implicitam appellare volueris, significatus vocabuli mutatur & obedientia rectius inesse quam saltem quod in sit videri dicitur, cum actum voluntatis in notionem distinctam resolvens videat, se ideo hoc facere velle, ut obedientem se Deo præbeat. Ad obedientiam non sufficit, ut facias, quæ Deus vult, sed necesse est ut ideo facias, quia Deus hoc jure suo vult.

§. 185.

De necessitate agnoscendi dominium divinum, ut obedientia concipiatur.

Sine agnitione dominii Deo competentis obedientia ipsi debita non concipitur. Quoniam enim vi dominii, quod Deo competit in hominem & creaturas omnes (§. 963. *part.* 1. *Theol. nat.*), ipsi competit jus de actionibus hominis disponendi, prouti sibi visum fuerit (§. 959. *part.* 1. *Theol. nat.*), jus imperandi hominibus habet (§. 194. *part.* 7. *Jur. nat.*). Quamobrem cum obedientia non concipiatur sine jure imperandi ei competente, cui obedire debemus (§. 1164. *part.* 1. *Jur. nat.*); sine agnitione dominii Deo competentis obedientia ipsi debita (§. 1165. *part.* 1. *Jur. nat.*) non concipitur.

Distinximus obedientiam ab obsequio (*not.* §. 1164. *part.* 1. *Jur. nat.*). Hoc concipi potest ac debet sine jure imperandi, illa minime. Jus vero imperandi Dei fluit ex dominio, ideoque sine hoc non agnoscitur. Monuimus quoque jam alias (*not.* §. *cit.*), nos sermone vernaculo

probe distingvere, utrum quis voluntatem suam ad voluntatem alterius componat, quia hoc facere obligatur, an quia ipsi bonum videtur, ut hoc faciat, quamvis alter exigere nequeat. Quamobrem si Deo obedire velimus, necesse est ut ideo faciamus quod vult, quia facere obligamur, quod vult: quæ obligatio cum fluat ex imperio ipsi competente, hoc vero ex dominio, quod in creaturas omnes, ideoque in hominem quoque habet, sine agnitione dominii Dei, cui respondet servitus ex parte nostri, obedientia ipsi debita concipi nequit. Atque inde est, ut homo Deo obediens ipso facto confiteatur, Deum esse dominum suum, se servum ipsius (§. 182.). Plurimum vero refert, ut obedientem te Deo præstiturum obedientiam ab obsequio distingvas, nec sine agnitione dominii divini facere studeas, quod Deus vult. Quodsi enim Deo obsequaris, cum ideo saltem hoc facias, quia Deo id placiturum putas; facile continget, ut in fastum incidas, quasi feceris, quod tibi non facere licuisset (§. 583. *part. 1. Jur. nat.*), & Deum tibi obligatum esse arbitreris ad retribuendum bonum. Ex hoc sane fonte manant querelæ de fortuna sibi adversa eorum, qui sibi videntur obsequi Deo, & fortuna secunda illorum, quos Deo minus obsequentes judicant. Qui vero Deo se obedientes præbent, cum agnoscant, se Deo reddere quod suum est (§. 180.), nec Deum sibi obligari ad quicquam retribuendum pro obedientia (§. 181.), a fastu illo procul absunt, nec injustas istiusmodi querelas movent. Taceo alia, de quibus suo loco dicemus.

§. 186.

Effectus agnitionis dominii divini. *Si dominium Dei agnoscimus, Deo lubenter obedimus.* Quodsi enim dominium Dei agnoscimus, certi sumus, Deum esse dominum summe bonum (§. 997. *part. 1. Theol. nat.*), qui homines servos suos (§. 968. *part. 1. Theol. nat.*) amat, eosque vult esse felices, non infelices (§. 998. *part. 1. Theol.*

Theol. nat.), ita ut præcepta & prohibitiones ejusdem a bonitate ipsius proficiscantur (§. 992. *part. 1. Theol. nat.*), utpote nos obligantis ad legem naturæ servandam (§. 276. *part. 1. Phil. pract.univ.*), sine cujus custodia nemo felix esse potest (§. 399. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque obedientia Deo debita est medium consequendi felicitatem (§. 937. *Ontol.*), homo autem per naturam suam appetens felicitatem (§. 324. *part. 2. Phil pract. univ.*,) non potest non appetere felicitatis medium, quod agnoscit (§. 941. *Ontol.*); ex obedientia Deo debita & benignitate Dei per eam felicitatem nostram promovere intendentis (§. 616. *part. 1. Phil. pract. univ.*), voluptatem percipit (§. 156. *part. 2. Eth.*), ideoque ipsi placet obedire Deo (§. 542. *Psych. emir.*). Quamobrem cum lubenter faciamus, quando facimus quod nobis placet (§. 938. *Psych. empir.*); si dominium Dei agnoscimus, Deo lubenter obedimus.

Non est, quod existimes, ut lubenter Deo obediamus, non opus esse agnitione dominii Dei, sed saltem custodiæ legis naturalis tanquam felicitatis creatricis. Etenim ad obedientiam requiritur, ut agnoscamus, nos a Deo ad custodiam legis naturalis obligari, ideoque actiones nostras eidem conformemus, ut obedientes nos præbeamus. Fluit autem obligatio ex dominio Dei, in quo sumus, ac propterea sine hoc illa non intelligitur. Quamobrem si non modo lubenter facere velimus, quod legi naturæ convenit, verum etiam lubenter nos Deo præbere obedientes, necesse est ut lubentia ex agnitione dominii proficiscatur. Plerique homines obligationem conformandi actiones suas legi naturæ non agnoscunt nisi eam, quæ venit a voluntate Dei, qui quatenus hoc præcipit, istud prohibet, instar domini consideratur, cui nos præter voluntatem nostram subjecti sumus tanquam servi. Quodsi ergo nobis molestum accidere non debeat servire Deo domino nostro, necesse est

ut agnoscamus, qualem habeamus dominum, & quidnam per præcepta & prohibitiones suas intendat, ne nos comparemus cum servis, qui hominibus servire coguntur, ministerio gravi atque duro nihil sibi, omnia domino acquirentes. Quamvis enim negari non possit, servitutem divinam in multis convenire cum humana, siquidem hæc non moribus, sed ratione æstimetur, quemadmodum lex naturæ eandem definit; maxima tamen differentia inter utramque intercedit, ita ut multa cautione opus sit, ne in comparatione a veritatis tramite recedas & in servitutem divinam tacite error irrepat lubentiæ ad obedientiam Deo præstandam requisitæ inimicus. Consultum igitur, immo necessarium est, ut dominium Dei, quale fluit ex essentia & natura Dei, agnoscamus, non vero præpostera ratione notionem ejus a servitute humana, qualis gentium moribus convenit, derivemus. Ita enim servitium divinum non videbitur grave, nec triste; sed volupe potius erit servire Deo domino.

§. 187.

Idem porro expenditur. Quoniam Deo lubenter obedimus, si dominium ejus agnoscimus (§. 186.), *servitus, qua Deo subjicimur, non videbitur jugum intolerabile, quod a nobis auferri mallemus, nec obedientiam Deo debitam abjicere cuperemus, etiamsi eam relinquendi nobis libera fieret potestas, si dominium Dei penitus cognitum atque perspectum habeamus.*

Qui dominium Dei agnoscit, ei certum est, Deum non imponere homini jugum, nisi ad quod sua sponte subeundum ducit ipsa natura humana felicitatis cupida. Jugum igitur istuc videbitur molle, quod etsi servile dicatur, dejicere tamen a cervicibus durum existimabitur, cum id dejicere idem fit ac se felicitate privare atque viam omnem ad

ad eandem præcludere: id quod omnino contra naturam humanam est (§. 325. *part. 2. Phil. pract. univ.*).

§. 188.

Si Deum nobis repræsentemus tanquam dominum superbum, qui imperandi gloria delectetur & honoris cupidus jugum servile hominibus imponat, obedientia Deo debita videtur onus, quod portare molestum est. Etenim si Deum nobis repræsentemus tanquam dominum superbum, qui imperandi gloria delectatur & honoris cupidus jugum servile hominibus imponit; animum prorsus avertimus a felicitate nostra, quam Deus obedientiam a nobis exigens intendit (§. 998. *part. 1. Theol. nat.*), nec perpendimus Deum præceptis & prohibitionibus suis optime nobis consulere. Quoniam itaque putamus, Deum sui saltem causa libertatem nostram restringere, absque ulla utilitate nostra, cum eandem nobis integram relinquere posset; fieri haud quaquam aliter potest, quam ut obedientia ipsi præstanda videatur onus, quod portare molestum est.

Quando falsa de dominio Dei opinio debitam Deo obedientiam molestam reddat.

Blasphemum omnino foret, Deo tribuere superbiam & ambitionem, siquidem hoc fieret eo animo, ut honori Dei detrahatur (§. 1157. *part. 1. Jur. nat.*). Negari tamen non potest, quod dentur longe plurimi, qui superbiam & ambitionem inconsiderate in Deum derivant a Monarcha, cujus in imperando stat pro ratione voluntas & qui cœca obedientia coli vult a subditis. Falsa hæc opinio tollit obedientiam veram, cum eidem detrahat lubentiam, qua carere nequit. Quamobrem ut hoc obedientiæ impedimentum removeatur, dominium Dei rectius cognoscendum ex Theologia naturali (§. 186.). Ceterum hinc discimus, quam sit periculosum, nisi distinctas eorum, quæ Deo tribuuntur, habeamus notiones, sed confusas notiones homi-

num consideratione menti insinuatas ad Deum transferimus. Neque enim solum indigne de Deo sentimus, verum etjam impedimur, quo minus Deum rite colamus & officia ipsi debita animo puro præstemus, immo virtutes omnes aut labem quandam inde contrahunt, aut saltem imperfectione quadam laborant.

§. 189.

Quomodo spectari debeat Deus tanquam legislator.

Deus legislator induit personam patris saluti liberorum suorum præceptis ac prohibitionibus suis consulere studentis. Deus enim homini non aliam legem tulit, quam legem naturæ (§. 274. 282. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & eum ad hanc legem servandam obligat (§. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum nonnisi custodia legis naturalis felicitatem acquirere (§. 398. *part. 1. Phil. pract. univ.*), atque conservare possimus (§. 397. *part. 1. Phil. pract. univ.*), transgressione autem legis naturæ felicitas amittatur (§. 401. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & infelices reddamur (§. 405. *part. 1. Phil. pract. univ.*); dum Deus ad obedientiam nos obligat (§. 1165. *part. 1. Jur. nat.*), felicitatem nostram promovere, infelicitatem avertere intendit (§. 616. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum parentes, in educandis liberis munere suo rite fungentes, curæ habeant, ut liberos suos reddant felices (§. 710. *part. 7. Jur. nat.*), eorumque felicitatem tanquam finem ultimum educationis intendant (*not. §. cit.*), ideoque præceptis ac prohibitionibus suis saluti eorum consulere studeant; Deus legislator induit personam patris saluti liberorum suorum præceptis ac prohibitionibus suis consulere studentis.

Quamdiu liberi ignorant, quomodo actiones suas juxta legem naturæ determinare debeant, actiones eorum sunt in domi-

dominio parentum (§. 675. *part.* 7. *Jur. nat.*), & liberi easdem ad voluntatem parentum componere debent (§. 666. *part.* 7. *Jur. nat.*), parentes autem præcipere non debent, nisi quæ lege naturali præcipiuntur, nec prohibere nisi quæ eadem lege prohibentur (§. 672. *part.* 7. *Jur. nat.*), ideoque ad legem naturæ servandam liberos obligare tenentur. Sunt quoque actiones nostræ in dominio Dei (§. 966. *part.* 1. *Theol. nat.*) & nos easdem ad voluntatem ipsius componere debemus (§. 970. *part.* 1. *Theol. nat.*), Deus autem non aliam legem homini præscribuere voluit, potuit quam legem naturæ (§. 274. 282. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*) & eum ad hanc servandam obligat (§. 276. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Deus itaque hominibus ferens legem assimilatur patri, qui facienda præcipit, non facienda prohibet liberis suis. Consulunt parentes saluti liberorum, dum eos ad obedientiam obligant (§. 671. *part.* 7. *Jur. nat.*), quemadmodum abunde perspicitur ex iis, quæ de liberorum educatione a nobis prolixe demonstrata sunt, cum de societate paterna in parte septima juris naturalis ageremus. Ostendimus vero etiam, Deum nos amare ac velle, ut simus felices, nolle ut simus infelices (§. 998. *part.* 1. *Theol. nat.*) & præcepta ipsius ac prohibitiones ab ejus bonitate proficisci (§. 992 *part.* 1. *Theol. nat.*). Quamobrem si Deum legislatorem nobis repræsentemus instar parentis saluti liberorum suorum præceptis ac prohibitionibus suis consulere studentis, arduam Dei legislatoris ideam ad sensum communem recte reducimus (§. 242. *part.* 1. *Eth.*) & sic defectus scientiæ suppletur, quæ non cujusvis est (§. 422. *part.* 1. *Eth.*). Servitutis nomen odiosum est, propterea quod eam concipimus moribus convenientem, non qualis jure naturæ esse debebat. Quodsi ergo Deum legislatorem nobis repræsentemus instar domini ad servitia servos obligantis, caveri vix poterit, ne quod odiosum est in idea servitutis tacite irrepat in ideam Dei legislatoris. Id ipsum vero

vero ab eadem removetur, si in Deo legislatore patrem saluti liberorum suorum consulentem conspicimus. Non sibi mutuo repugnant servitus & subjectio liberorum, si utraque concipiatur juri naturæ conveniens, ut ideo quoque dominus officio suo rite fungens patris personam induat. Non tamen tanta est similitudo in servitute humana, quanta obtinet in divina. Verum enim vero hæc uberius declarare ab instituto præsente alienum est. Ceterum quod ex propositione præsente non sequatur, præcepta divina & prohibitiones non nuda esse consilia, jam alias demonstravimus (§. 993. *part. 1. Theol. nat.*), & fontem erroris indicavimus (*not.* §. *cit.*). Falluntur vero, qui sibi persuadent parentum præcepta & prohibitiones esse nonnisi consilia, cum parentibus competat jus obligandi liberos ad actiones suas sic & non aliter determinandas (§. 669. *part. 7. Jur. nat.*) & ipsis ferendi leges (§. 677. *part. 7. Jur. nat.*). Multæ aberrationes a veritate vitarentur, si notiones rerum distinctæ ex systemate haurirentur, quas vitare vix possibile, si res extra nexum cum aliis spectentur. Qua de causa etjam videmus viros summos, quorum perspicaciam merito suspicimus, in suis de eadem re judiciis a se ipsis dissentire, quæ diversa occasione feruntur. Exempla nolumus addere, quamvis illustria in promtu sint, ne laudi virorum de scientia præclare meritorum detrahendi ansam præbeamus imperitis & malevolis, quorum mores sicut bonis omnibus, ita nobis quoque merito exosi sunt.

§. 190.

Quomodo lex divina nobis reddatur cara.

Quoniam Deus legislator personam patris saluti liberorum suorum præceptis ac prohibitionibus suis consulere studentis induit (§. 189.), consequenter quomodo nobis lege sua consultum velit inde intelligimus; *si Deum legislatorem instar parentis præceptis ac prohibitionibus suis saluti*

lati liberorum suorum consulere studentis nobis repraesentemus, lege divina delectabimur eandemque caram habebimus.

Equidem negari non potest, nos delectari lege naturae, ideoque divina, si agnoscamus, eam nos docere, quomodo felicitatis compotes fieri (§. 396. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & eam conservare possimus 397. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quam per naturam nostram appetimus (§. 324. *part. 1. Phil. pract. univ.*); delectatio tamen inde orta non comparari potest cum delectatione, quae ex idea Dei legislatoris instar parentis saluti liberorum suorum consulentis ortum trahit, cum in hanc influat amor Dei suique dulcedinem eidem permisceat. Quanto igitur major est voluptas ex lege divina precepta, tanto quoque carior nobis lex ipsa erit. Quanti David fecerit legem Dei, ex Psalmis discimus: ut vero tanti eandem faciamus, idea Dei legislatoris, quam hic commendamus, consequemur. Cumque sic placeat lex (§. 542. *Pysch. empir.*), ad cujus observantiam nos Deus obligat: extra dubitationis aleam quoque positum est fore, ut actiones nostras ad eandem non sine voluptate componamus, quia Deus vult, consequenter ut lubenter obediamus Deo (§. 938. *Psych. empir.*). Sane cum superius demonstravimus, agnitione dominii Dei nos id consequi, ut Deo lubenter obediamus, si demonstratio rite perpendatur, non obscurum erit, eadem contineri reductionem Dei legislatoris ad ideam patris praeceptis ac prohibitionibus suis saluti liberorum consulentis. Quodsi haec idea legislatoris altas in animo nostro egerit radices, verendum non est, ne perversae de dominio Dei opiniones legem Dei nobis ingratam & obedientiam Deo praestandam molestam reddant. Quamobrem maxime interest, ut hoc remedio ad depellendam ab obedientia Deo debita molestiam utamur, & maxime dolendum, ejus usum vulgo non agnosci, immo contemni & ab iis etiam, qui ad obedientiam Deo praestandam alios adducere debent, tan-

quam maxime nocuum traduci (*not.* §. 993. *part.* 1. *Theol. nat.*). Si adeo parum rationis habent, ut veritatem hanc cedro dignam perspicere nequeant; ipsos tamen eandem docere poterat scriptura sacra, cujus se interpretes gloriantur, vi eorum, quæ modo de Psalmis Davidis monuimus. Sed facile apparet, quam parum mentem scripturæ capiant, qui saltem verba tenent & opiniones suas, quibus mens imbuta est, iisdem aptant more quidem pervulgato, ast minime laudando.

§. 191.

An obedientia sit virtus. *Obedientia Deo debita virtus est.* Cum enim in promptitudine agendi consistat (§. 1164. *part.* 1. *Jur. nat.*), habitus est (§. 428. *Psych. empir.*). Et quoniam lex naturæ nobis injungit obedientiam (§. 1165. *part.* 1. *Jur. nat.*) & ipsam observantiam sui inculcat sub forma obedientiæ Deo præstandæ (§. 1167. *part.* 1. *Jur. nat.*); qui Deo obedit, actiones suas legi naturali conformiter dirigit. Quamobrem cum habitus actiones suas legi naturali conformiter dirigendi virtus sit (§. 321. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); obedientia Deo debita virtus est.

Quoniam in Ethica demonstrandum, quomodo virtutem colere debeamus; hinc patet ratio, cur de obedientia Deo præstanda in eadem ex instituto sit agendum. Nec minus inde manifestum est, virtutis cultorem etiam obedientiæ Deo debitæ omni animi contentione assiduam operam dare debere. Pertinet huc, quod supra demonstravimus, obedientiam Deo præstandam exigere, ut omnes nostras actiones spectemus tanquam officium Deo debitum (§. 173.). Atque hinc sequitur, obedientiam erga Deum a cultura virtutis non separandam esse: quod ne faciamus, ipsa lege naturali obligamur (§. 1167. *part.* 1. *Jur. nat.*). Insunt huic legi

legi etiam quæ ad praxin conducunt; modo eam attente meditemur.

§. 192.

Quoniam obedientia Deo debita virtus est (§. 191.), quatenus vero actiones legi naturæ conformari possunt, etjamsi non edantur ea intentione, ut Deo te obedientem præstes obligationi saltem naturali satisfacturus, quod etsi a priori satis manifestum a posteriori sumere licet, virtutum ceterarum exercitium ab obedientia separari potest (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *Obedientia Deo præstanda peculiaris virtus est:* quatenus tamen legem naturæ servare debemus animo obediendi Deo (§. 1167. *part. 1. Jur. nat.*), *ad quamlibet virtutem accedere debet*, consequenter *virtutes ceteræ absque obedientia Deo debita defectu quodam laborant*, ideoque *perfectæ non sunt.* *An sit virtus peculiaris & num ad omnem requiratur.*

Exemplum virtutum absque obedientia Deo debita in Sinis habemus, qui virtutum exercitium urgent, quatenus sunt habitus actiones suas legi naturæ convenienter dirigendi, absque obedientia Deo debita, quemadmodum ex libris eorum classicis videmus, in quibus nullibi fit mentio hujus obedientiæ. Cum enim Dei notitiam distinctam non habuerint ullam, nec fieri potuit, ut animo Deo obediendi ederent actiones, quarum bonitatem intrinsecam agnoscebant. Immo qui ea cognovit, quæ tam in Ethica, quam in Philosophia practica universali passim demonstravimus; ei non ignotum esse potest, voluntatem determinari posse ad actiones legi naturæ conformandum ipsa bonitate atque malitia intrinseca actionum & felicitate legis naturæ custodia consequendæ, quamvis singulæ non spectentur tanquam officium Deo debitum, sicut obedientia Deo debita exigit (§. 173.). Dubitandum itaque non est, quin hæc

 obe-

obedientia sit virtus peculiaris, utut ad virtutem reliquam omnem accedere debeat, siquidem legi naturæ satisfacere velimus ex asse, quæ non minus urget, ut omnia faciamus animo obediendi Deo; quam ut hoc faciamus, aut non faciamus. Quamobrem si agendo quid omittitur, quod vi legis naturæ adesse debebat; virtus, ad quam actio hæc referenda, defectu quodam adhuc laborat. Necesse autem est, ut agnoscamus obedientiam peculiarem esse virtutem. Inde nimirum discimus, eam peculiari opera comparandam esse. Neque alio fine hic de obedientia Deo debita seorsim agitur.

§. 193.

Obodientia in virtutem influentis efficacia. Quoniam obedientia Deo præstanda virtuti omni reliquæ potest accedere (§. 192.), si vero accedit, motivum agendi est (§. 887. *Psych. empir.*), motiva autem plura conjunctim fortius movent appetitum & aversationem, seu voluntatem & noluntatem (§. 343. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *si obedientia Deo debita cum virtutibus ceteris conjungatur, appetitus & aversatio redditur fortior, seu* quod per inde est *voluntas & noluntas efficitur constantior* (§. 911. *Psych. empir.* & §. 1062. *part. 1. Theol. nat.*), & per consequens *studium virtutum ceterarum facilitatur*, seu *virtutes ceteræ facilius acquiruntur & conservantur.*

Demonstratio, qua evicimus, appetitum & aversationem fieri fortiorem, si motiva ab attributis divinis desumta cum motivis ab intrinseca actionum atque malitia petitis conjungantur (§. 343. *part. 1. Phil. pract. univ.*), latius patet, ut extendatur ad propositionem hanc generalem: ***motiva plura, quorum unum quodque per se sufficit ad determinandum voluntatem, vel noluntatem, conjunctim fortius movent appetitum, vel aversationem, quam singula separatim.*** Supra ostendimus,

dimus, obedientiam Deo debitam indivulso nexu cum pietate cohærere (§. 175), quatenus nimirum supponimus, pietatem nullo defectu laborare debere: id quod fieri nequit, nisi ad eandem accedat obedientia. Subtilius tamen distingvendum est motivum a voluntate Dei desumtum a motivo, quod præbet obedientia Deo debita. Etenim si ideo actionem quandam committimus, vel omittimus, quia Deus vult, ut committamus vel omittamus; motivum agendi, vel non agendi desumitur a voluntate Dei, sicque hic pietatis effectus est (§. 339. *Part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero quoniam Deo tum demum homo revera obedire dicendus est, si agnoscit Deo competere jus imperandi (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*), seu de actionibus suis disponendi, prouti visum ipsi fuerit (§. 177.), ut agens quod ipse vult, quia vult, ipso facto confiteatur, Deum esse dominum suum, & se servum ipsius (§. 184.); motivum tum demum ab obedientia Deo præstanda desumitur, si agnitione dominii divini animus fuerit dispositus ad agendum, quod Deus vult, ut homo se justum præbeat Deo, non injustum, jure suo ipsi tributo, non violato (§. 178.). Nimirum Pietas virtus quædam generalis est, quæ plures sub se comprehendit species pro diversitate attributorum divinorum, a quibus desumuntur motiva. Quamobrem cum obedientia, quæ Deo debetur, a dominio ac inde porro fluente jure de actionibus nostris pro lubitu disponendi derivetur, quemadmodum virtutes aliæ, quibus praxis officiorum erga Deum obtinetur, ab aliis attributis deducuntur; ea quoque a pietate tanquam species a genere distingvenda. Poteramus termino apud Scholasticos recepto *virtutes theologicas* appellare, quibus praxis officiorum erga Deum continetur, nisi ab hac appellatione abstinere maluissemus, quia ultra principia rationis non progredimur, nec cum iis, quæ a nobis demonstrantur, miscemus ad Theologiam revelatam spectantia, quæ ex scriptura sacra haurienda. Tum vero *Pietas* dici poterat virtus theologica generalis,

cujus species sunt ceteræ, quibus officiorum erga Deum specialium praxis continetur, & quarum prima est obedientia Deo debita, quæ cum pietate hoc commune habet, ut ad quamlibet virtutem non modo theologicam specialem, verum etiam aliam quamcunque accedere possit & debeat. Nobis, qui systema morale condimus in usum scientiæ, sufficit, ut singula accurate demonstremus, unumquodque suo loco, quemadmodum systematis ratio requirit, & omnem differentiam suo loco explicemus, ubi in aprico collocari potest. Si vero deinceps in usum memoriæ scholarum more libuerit ordinare singula, prouti species sub generibus suis continentur, hoc faciat, qui volet, & eo fine commendavimus in horis subsecivis Marburgensibus Tabulas mnemonicas, in præjudicium systematum non condendas.

§. 194.

Signum obedientiæ gaudium obediendi Deo. Quia Deo debita obedientia virtus est (§. 191.), virtuosus autem actiones legi naturæ conformes cum gaudio committit (§. 348. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *Qui Deo se præbet obedientem, cum gaudio hoc facit.*

Qui Deo se præbet obedientem, agnoscit Deum esse dominum summe bonum (§. 997. *part. 1. Theol. nat.*) & præcepta & prohibitiones a bonitate ipsius proficisci (§. 992. *part. 1. Theol. nat.*), eidemque lubenter obedit (§. 186.). Et dum Deum legislatorem ideo sibi repræsentat instar patris saluti suæ consulentis, lege divina delectatur eandemque caram habet (§. 190.). Gaudet igitur se talem habere dominum (§. 255. *part. 2. Eth.*), & a delectatione, quam parit lex, gaudium hoc incrementum capit. Omnia in Moralibus mirifice concordant & ob concordiam in appetitum influunt simul, atque ab hoc influxu pendet constantia & perpetuitas voluntatis ad virtutem requisita (§. 328. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamvis vero in genere

re

re certum sit, virtuosum actiones legi naturæ conformes cum gaudio committere (§. 348. *part. 1. Phil. pract. univ.*), non tamen propterea negligendæ sunt rationes speciales hujus gaudii cuilibet virtuti propriæ. Insunt virtuti unicuique ad gaudium concitandum apta, quod in casu speciali tanto majus erit, si appetitus jam in genere fuerit dispositus ad gaudium concipiendum ex virtute in genere spectata. Et propterea in Moralibus non improbandum, si, quæ ex principiis generalibus veluti sponte sua fluunt, ex principiis quoque specialibus, a differentia nimirum specifica derivandis, demonstrentur, præsertim cum principia specialia a sensibus minus remota appetitum fortius moveant quam generalia, quæ magis ab iis remota sunt. Habent tamen utraque suum usum. Nimirum illa faciunt ad generalem appetitus determinationem ut efficiatur bonus, hæc vero propius attingunt appetitus perfectionem, & utraque conjunctim insunt in constantiam & perpetuitatem voluntatis. Talia, quæ occasione sic ferente inculcamus, probe tenenda sunt, siquidem virtutis culturam curæ cordique habeamus. Quodsi omnia, quæ ad eandem spectant, demonstrare vellemus rigide, systema in molem nimiam excresceret. Sufficit itaque, quæ passim annotantur & inculcantur, ex ceteris, quæ demonstrantur, sufficienter intelligi, earumque veritatem perspici. Et si quis lectione assidua operum nostrorum demonstrandi habitum sibi comparavit, ea quoque demonstrare non difficile ipsi erit, siquidem demonstrationis rigorem requisiverit.

§. 195.

Servire dicuntur servi, si heri sui imperium exequuntur. Ac ideo *Deo servire* dicitur, qui Dei tanquam domini sui imperium bene ac sedulo exequitur. Quoniam itaque hoc facit, qui obedit Deo (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*); *Qui obedit Deo, is Deo servit, & qui Deo servit, eidem obedientem se præstat.* *Quid sit servire Deo.*

Quando

Quando de servo dicitur, quod hero sive domino suo serviat, ad moralitatem non attenditur animus, sed actus saltem physice spectatur, qui consistit in executione imperii. Ast quando in Ethica quaeritur, quid sit servire Deo, servitium sine moralitate spectari nequit, quoniam hic consideratur tanquam officium Deo debitum. Ita igitur definiendum est, quemadmodum id urget lex naturae. Haec ratio est, cur in definitione servitii Deo praestandi addamus, quod imperium Dei bene ac sedulo exequi debeamus. Servitium vero hoc consistere in obedientia palam est. Etenim qui obedientem Deo se praebet, promte facit, quod Deus vult ut faciat (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter cum Deus velit, ut actiones suas componat ad legem naturae (§. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*), sollicite sibi cavet, ne quid in qualibet actione omittatur, quod ad eandem vi legis naturalis requiritur. Atque ideo bene, seu recte, atque sedulo facit, quod Deus imperat.

§. 196.

An inobedientia vitium sit,

Inobiendia vitium est. Quoniam enim inobedientia erga Deum lege naturali prohibita est (§. 1169. *part. 1. Jur. nat.*), Deo inobediens est, quia actiones sua dirigit legi naturae contraria ratione. Quamobrem cum habitus actiones suas contraria ratione dirigendi, quam lege naturali praescribitur, vitium sit (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*); inobedientia erga Deum vitium est.

Consistit inobedientia in denegatione obedientiae. Nam cum obediens faciat, quod Deus vult (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*), inobediens vero, quod Deus vult, facere nolit (§. 1168. *part. 1. Jur. nat.*); qui Deo non vult obedire, obedientiam ipsi denegat, quam debet (§. 1165. *part. 1. Jur. nat.*). Obedientia igitur & inobedientia sibi mutuo opponuntur tanquam virtus & vitium, nec inobedi-

entia

entia in nuda privatione obedientiæ conſiſtit, quemadmodum jam alias annotavimus (*not.* §. 1169. *part.* 1. *Jur. nat.*).

§. 197.

Quænam notitia ſupponatur, ut quis ſit inobediens

Inobediens noſſe debet Deum velle ut hoc faciat, vel nolle, ut faciat, & ſe obligatum eſſe ad obediendum Deo. Ponamus enim te facere, quod Deus non vult ut facias, vel ex adverſo facere nolle, quod Deus vult ut facias, ſed ignorare quod Deus nolit ut illud facias, vel velit ut hoc facias. Patet omnino dici non poſſe, te facere velle, quod Deus non vult ut facias, cum de voluntate Dei animum nulla ſubeat cogitatio. Quamobrem cum inobediens dici non poſſit, niſi qui facere non vult, quod ut faciat vult Deus, aut facere vult, quod ut faciat Deus non vult (§. 1168. *part.* 1. *Jur. nat.*); ut quis ſit inobediens noſſe debet, Deum velle ut hoc faciat, vel nolle ut faciat. *Quod erat unum.*

Ponamus porro, Deum quidem malle, ut hoc facias, vel non facias, minime tamen te obligare ad faciendum, vel non faciendum. Cum ſaltem conſilium ſit, ſi ſignificet alter, quid ſibi videatur, ut fiat (§. 983. *part.* 1. *Theol. nat.*), obligatio autem, quæ neceſſitatem moralem agendi importat (§. 118. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), legem ſupponat (§. 131. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); qui opinatur, ſe obligatum non eſſe ad actiones ſuas voluntati divinæ conformandas, nec agnoſcit ſe obligatum eſſe ad obediendum Deo (§. 1164. *part.* 1. *Jur. nat.*), ideoque arbitrio ſuo relictum putat, utrum obſequi Deo velit, an nolit. Quamobrem cum inobediens non ſit, niſi qui non facit quod facere debet, & ex adverſo facit, quod facere non debet

(§. 1168. *part. 1. Jur. nat.*); inobediens utique nosse debet, se obligatum esse ad obediendum Deo. *Quod erat alterum.*

Voluntas nostra non potest opponi voluntati divinæ tanquam eidem repugnans, nisi nobis constet de voluntate divina. Aliud nimirum est objectum, aliud actus voluntatis. Si homo actionem committere vult, quam Deus non vult committi, id quod homo vult repugnat ei, quod Deus vult, quodsi tamen ignoret nolle Deum ut hæc actio patretur, dici minime potest, quod homo actiones suas voluntati divinæ conformare nolit. Quis, quæso, dicet, servum exequi nolle imperium heri sui, si ignoret, quid voluntati ejusdem conforme sit, seu quænam sit ejus de eo, quod fieri debet, voluntas? Inobedientia igitur supponit, voluntatem Dei perspectam esse. Ac propterea Christus dicit, servum, qui novit voluntatem domini, nec facere vult, quod vult dominus, duplicem pœnam mereri, ubi omnino diversitas actionis ab ea, quam vult dominus, a repugnantia inter voluntatem domini & voluntatem servi discernitur, ut aliud sit velle, quod est contrarium ei, quod vult dominus, aliud vero nolle, quod vult dominus, utut utrumque sit vitiosum. Ponamus vero aliquem sibi persuadere, quod Deus parum curet actiones humanas, consequenter ipsi perinde sit, sive homo hoc faciat, sive non faciat. Quamvis itaque agnoscat, judicio Dei hoc potius faciendum esse, quam aliud; ubi tamen suum, quam Dei de actione committenda sequi malit, haud quaquam dici potest, quod refractarium Deo se præbeat, sine quo tamen inobedientia minime concipitur. Inter obedientiam & inobedientiam datur medium, sive actiones bonas, sive malas spectes. Quomodum enim obediens non est, qui actiones suas legi naturæ convenienter dirigit, nisi id faciat ideo, quia Deus vult, consequenter ut se Deo præbeat obedientem; ita quoque inobediens non est, qui actiones suas aliter dirigit, quam lege naturæ præscribitur, nisi agnos-

gnoscat Deum velle, ut eas eidem convenienter dirigat, & hoc tamen non obstante eidem convenienter dirigere nolit. Non est quod existimes, nos inobedientiæ patrocinari. Quamvis enim agentem ab inobedientia absolvamus, non tamen propterea defendimus, eum non peccare, cum actio peccatum sit, quatenus legi naturæ contraria (§. 440. *part. 1. Phil. pract. univ.*), qua etiam de causa inobedientia in se spectata peccatum est (§. 1169. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 198.

Non omnis transgressio legis inobedientia est. Quoniam inobediens nosse debet, Deum velle, ut hoc faciat, vel nolle ut faciat, & se obligatum esse ad obediendum Deo (§. 197.); quamvis legem transgredi atur, qui actiones contraria ratione determinat, quam juxta legem determinari debebat (§. 139. *part. 1. Phil. pract. univ.*), consequenter aut facit, quod Deus fieri non vult, aut non facit, quod fieri vult (§. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*), *omnis* tamen *transgressio legis naturæ inobedientia erga Deum non est.*

Quodsi omnem transgressionem legis naturæ inobedientiam erga Deum appellare velis, vix concipi poterit actio humana, quæ non hac labe inficeretur. Lex enim naturæ omnimodam urget rectitudinem (§. 189. *part. 1. Phil. pract. univ.*): quantum vero ad eandem requiratur, ex iis intelligitur, quæ de omnibus officiis hominum erga Deum, erga se ipsum & alios demonstrata sunt, itidemque de unanimi omnium facultatum consensu in qualibet actione. Quamvis itaque actionem legi naturæ conformare studeres animo obediendi Deo, ipsi tamen te inobedientem esse dicendum erat. Siculi defectus obedientiæ nondum inobedientia est (*not.* §. 1169. *part. 1. Jur. nat.*); ita multo minus imperfecta obedientia, quæ aliqua ex parte deficit, ad inobedientiam referi potest. Apparet autem ex iis, quæ ad propositionem præcedentem

annotavimus, non unam esse causam, cur quis legem naturæ transgrediatur, etiamsi Deo se non præbeat inobedientem.

§. 199.

An inobedientia sit peculiare vitium.

Cum non omnis transgressio legis naturæ inobedientia erga Deum sit (§. 198.), habitus vero actiones suas contraria ratione dirigendi, quam lege naturæ præscribitur, consequenter legem naturæ transgrediendi (§. 139. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), vitium sit (§. 322. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *inobedientia vitio cuilibet non inest:* quoniam tamen per se vitium est (§. 196), *ideo peculiare quoddam vitium est, quod ad omne vitium accedere potest.* Unde porro sequitur, ut *si ad vitium quoddam accedit, idem aggravet.*

Inobedientia vitiositatem a se habet, quatenus lege naturæ prohibita (§. 1169. *part.* 1. *Jur. nat.*): non igitur eam demum trahit a vitio, cui accedit. Quamobrem facile intelligitur, si actus inobedientiæ ad actum vitii alterius accedit, vitiositatem augeri. Ut vero penitius inspiciamus, quod inobedientia vitiositatem sibi propriam habeat, non vero a vitio, cui accedit, eandem trahat, quamvis utraque in repugnantia cum lege naturæ consistat; origo utriusque paulo altius repetenda. Nimirum cum lex naturæ rationem sufficientem habeat una cum obligatione naturali in ipsa essentia & natura hominis (§. 135. 129. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), vitiositas actuum legi naturæ contrariorum proprie consistit in disconvenientia cum natura humana, ita ut quodlibet vitium maneret vitium, si vel maxime per impossibile ponatur, Deum non esse autorem legis naturæ, aut hominem ad eam servandam non obligare, consequenter inobedientiam esse nullam. Enimvero Deo competit jus disponendi de actionibus hominis pro lubitu vi dominii, quod in eum habet (§. 959. *part.* 1. *Theol. nat.*), & inde

inde manat obligatio actiones suas secundum voluntatem domini, non ex suo arbitratu determinandi (§. 974. *part. 1. Theol. nat.*), consequenter Deo se obedientem præbendi (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*), minime autem inobedientem (§. 722. *part. 1. Jur. nat.*). Inobedientiæ igitur vitiositas proprie consistit in repugnantia cum dominio divino. Ast quoniam Deus hominem obligat ad legem naturæ servandam (§. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque actus voluntati divinæ contrarius legi quoque naturæ contrarius est, vitiositas inobedientiæ a vitiositate habituum actiones legi naturæ contrarias committendi non discernitur, nisi acute distingvere didiceris ex diverso fonte manantia. Qui malitiam actionum intrinsecam non agnoscunt, vitiositatem earum omnem in repugnantia cum voluntate divina ponunt, neque tamen propterea in dubium vocare possunt, quod prorsus idem non sit facere quæ Deus vult & nolle facere quæ Deus vult, seu actionem suam voluntati divinæ conformare (§. 197.). Cavendum vero præterea est, ne vitiositas actus in se spectati confundatur cum vitiositate voluntatis, quæ supponit illam esse cognitam, sive æstimetur ex voluntate divina, sive ex natura humana. Acumine opus est, quo diversa a se invicem distingvuntur, ne in moralitate actionum dijudicanda cespites, nec in dijudicando animo turpiter erres. Influunt in dijudicationem morum non minus propiorum, quam alienorum facillime affectus, qui animum impediunt, ne verum cernere possit: id quod vix præcaveri poterit, nisi veritas diu multumque quanta fieri potest accuratione considerata radices altissimas egerit in animo.

§. 200.

Qui Deo non vult obedire, impius est. Qui enim non vult obedire Deo, voluntatem Dei novit, nec ignorat se obligatum esse ad obediendum Deo (§. 197.). Quoniam tamen hoc non obstante obedire non vult; *per hypothesin;* *Inobedientiæ cum impietate nexus.*

actiones tamen ſuas ad voluntatem Dei componere non vult. Quamobrem cum impius ſit, qui actiones ſuas ad voluntatem Dei componere non vult (§. 1149. *part. 1. Jur. nat.*); qui Deo non vult obedire, impius eſt.

Impietas cum inobedientia erga Deum arctiſſimo vinculo cohaerent, ut ab ea divelli hæc nequeat. Videbitur forſam nonnullis impietas in ipſa inobedientia conſiſtere; aſt ſi in conferendis impietatis & inobedientiae definitionibus (§. 1149. 1168. *part. 1. Jur. nat.*), acumen ſuum deſiderari non patiantur, differentiam, quæ inter utramque intercedit, haud difficulter animadvertent. Impius novit, Deum velle ut hoc faciat, nolle ut iſtud faciat; hoc tamen non obſtante, hoc non facit, iſtud vero facit, ſpreta voluntate Dei. Inobediens novit ſe actiones ſuas ad voluntarem Dei componere debere, Deum eſſe dominum ſuum, ſe ſervum ipſius, et ipſi competere jus praecipiendi, quod facere debeat, hoc tamen non obſtante inſtar ſerui contumacis & refractarii facere non vult, qnæ Deus præcipit, nec abſtinere ab iis, quæ prohibet, contemnens mandata Dei (§. 787. *part. 1. Jur. nat.*) violato jure ipſius (§. 178.). Inobedientia ſpretionem voluntatis diuinæ in contemtum vertit, injuriam Deo factam ſuperaddit, conſequenter impietatem auget. Equidem non diffiteor in vulgari ſermone hanc differentiam non attendi; non tamen hæc ratio ſufficit, ut etiam in Moralibus non attendatur. Vulgus invenit vocabula ad ſignificandum notiones ſuas confuſas, nec ſatis determinatas; philoſophi autem cum ſit confuſas revocare ad diſtinctas & vagas ad determinatas, ad haſce illa aptare debet, ut veritas liquido appareat. Acumen philoſophi cum ſuperet acumen vulgi, quæ vulgus in unum confundit, ea philoſophus diſcernere debet. Non vero utilitate caret, ut, quale intercedat diſcrimen inter impietatem & inobedientiam, in Moralibus inculcetur, quia non modo facit ad gradus impietatis recte æſtimandos, verum etiam

rum etiam alia medela afferenda impietati, si accedat inobedientia, quam si ad hanc usque nondum processerit, quemadmodum ex modo dictis facile perspicitur.

§. 201.

Qui impius est, facile fit inobediens. Impius enim actiones suas ad voluntatem Dei componere non vult (§. 1149. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum vitium (§. *cit.*), ideoque habitus sit (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*), non facile tollendus (§. 432. 433. *Psych. empir.*); quamvis eundem doceas dominium Dei, vi cujus eidem tanquam servus subjectus est, eidemque obedire obligatur, hoc tamen ipsum non commovebit, ut ab impietate desistat & actiones suas voluntati divinae conformare studeat. Quoniam itaque inobediens est, qui actiones suas conformare non vult voluntati ejus, cui jus est imperandi (§. 1168. *part. 1. Jur. nat.*); qui impius est, facile fit inobediens Deo.

Quod impius facile fiat inobediens.

Quamvis modo ostenderimus, non omnem impium esse inobedientem Deo, utut inobediens omnis impius sit; inter nos tamen vix erit impius, qui non sit inobediens, & impietas cum inobedientia simul contrahitur. Ratio autem, cur inobedientia facillime accedat ad impietatem, quamvis hæc sine illa contracta fuerit, non alia est quam difficultas dediscendi habitum. Ponamus hominem, qui dari Deum ignorat, aut saltem non novit, ipsum velle, ut actiones nostras ad voluntatem ipsius componamus, vitiis imbuisse animum suum. Quamvis vitiis deditum doceas, Deum odisse vitia atque ut ab iis abstineamus serio velle; nondum tamen hæc sufficient ad immutandum animum, sed actiones suas ad voluntatem Numinis componere detractabit. Vitiis igitur impietatem junget. Et eodem modo intelligitur, quod inobedientia

entia ad impietatem accedat. Esse sceleratum, esse impium, esse Deo inobedientem utique differunt, nec impossibile est, ut pro diversitate opinionum de actionibus nostris in determinationem facultatum appetendi & aversandi influentium tria ista non sint simul. Quamvis itaque non semper concurrant in eodem subjecto, plerumque tamen concurrere solent, & cum voluntas emendari nequeat nisi beneficio intellectus, haud raro contingit, ut quem a scelere, aut impietate avocare volebas, eum impium, aut inobedientem reddas, sicque malitiam, quam depellere volebas, augeas. Quamobrem paulo ante monuimus (*not.* §. 200.), singula probe discernenda esse, ut nimirum dependentia voluntatis ab intellectu recte agnoscatur, si medelam corruptioni voluntatis afferre volueris. Motivum virtutis est bonitas intrinseca actionum, motivum pietatis voluntas Dei, motivum obedientiæ desumitur a jure Dei in homines. Ex adverso igitur motivum a vitiis abstinendi est intrinseca actionum malitia, ab impietate noluntas Dei nobis consulentis, ab inobedientia injustitia erga Deum. Hæc motiva simul sunt urgenda, si voluntatem & noluntatem emendare volueris suo tamen ordine, ut fine intento facilius potiaris, habita quoque ratione subiecti, cujus voluntas & noluntas emendanda.

§. 202.

De infelicitate inobedientis. *Inobedientia erga Deum hominem infelicem reddit.* Qui enim non vult obedire Deo, impius est (§. 200.). Quamobrem cum impietas hominem infelicem reddat (§. 170.); inobedientia erga Deum hominem infelicem reddit.

Infelicitas ab impietate inseparabilis (*not.* §. 170.): impietas vero cum inobedientia erga Deum indivulso nexu cohæret, (*not.* §. 204.). Quamobrem ab hac quoque infelicitas abesse nequit. Cum Deus velit nos esse felices, nolit ut simus infelices (§. 706. 707. *part. 1. Theol. nat.*), custodia autem legis naturæ, quam nobis tulit (§. 274. *part. 1. Phil. pract. univ.*), felici-

felicitas acquiratur & conservetur, nec sine ea acquiri & conservari possit (§. 396. & *seqq. part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ex adverso transgressione ipsius infelices fiamus (§. 405. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); obedientiam a nobis exigit, inobedientiam permittere non vult, sed prohibet, ut simus felices, minime vero nos infelices reddamus. Obedientiam igitur spectare debemus tanquam medium consequendi & conservandi felicitatem, vitationem vero inobedientiæ tanquam medium avertendi infelicitatem. Non est, quod excipias, custodiam legis naturalis esse medium felicitatis, etiam si eidem actiones non conformentur animo obediendi Deo, ideoque obedientiam per se nihil conferre ad felicitatem nostram, ut tanquam ejus medium spectari possit. Quoniam enim qui Deo se obedientem præbet, lege divina delectatur eandemque caram habet (§. 190), studium virtutum ceterarum, quæ in custodia legis naturæ consistunt (§. 321. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), facilius experitur (§. 193.) & actiones suas ad legem naturæ cum gaudio componit (§. 194.); obedientia non uno modo in custodiam legis naturæ influit, eamque magis constantem ac perpetuam efficit. Pendet itaque efficacia medii felicitatis ac remedii nostræ infelicitatis ab obedientia & vitatione inobedientiæ, consequenter illa recte requiritur ad medium felicitatis, hæc ad remedium infelicitatis. Quando vero dicimus, quod Deus inobedientiam permittere nolit, permissionem intelligimus, quæ lege fit (§. 165. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*) & actum facit licitum (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), & quam plenam vocat *Grotius* de Jure belli & pacis lib. 1. c. 1. §. 7. non vero quæ est nudi facti, quo sensu Deus permittere dicitur malum, consequenter etiam inobedientiam, & quæ permissio rectius tolerantia diceretur, nisi consultius foret terminum receptum retinere.

§. 203.

Inobedientiæ vitandæ motivum. Quoniam inobedientia erga Deum hominem infelicem reddit (§. 202.), homo autem per naturam suam infelicitatem aversatur (§. 325. *part.2. Phil. pract. univ.*); *ut inobedientiam aversemur, nexum infelicitatis cum inobedientia probe considerare debemus, & ut hic intimius perspiciatur, quid obedientia conferat ad felicitatem nostram perpendere* (*not.* §. 202.).

Ostendimus jam alias felicitatem esse motivum committendi actiones legi naturæ conformes (§. 326. *part. 2. Phil. pract. univ.*), infelicitatem motivum omittendi actiones legi naturæ contrarias (§. 327. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum obedientia, quam Deus præcipit (§. 1165 *part. 1. Jur. nat.*), non urgeat, nisi ut committamus actiones legi naturæ conformes (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.* & §. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nec inobedientia prohibeatur (§. 1169. *part. 1. Jur. nat.*), nisi ne committamus actiones legi naturæ contrarias (§. 1168. *part. 1. Jur. nat.* & §. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*); etiam hinc colligi poterat obedientiam esse motivum Deo se obedientem præbendi, infelicitatem motivum inobedientiam fugiendi. Notanda vero hic sunt, quæ ad propositionem præcedentem annotavimus. Satis autem patet, quod sit necesse, ut genuina felicitatis notio animo nostro ingignatur, antequam motivum obedientiæ felicitas, motivum inobedientiam vitandi infelicitas esse possit. Ecquis enim est, qui nesciat, spurias felicitatis ac infelicitatis notiones esse motivum inobedientiæ & detrectationis obedientiæ? Quemadmodum vero superius jam monuimus, plus valere argumenta specialia, quam demonstrationas generales (*not.* §. 170.); ita quoque hic notandum est, consultum esse, ut data qualibet occasione agendi consideremus, quomodo ea, quæ inde tam per se, quam pro datis circumstantiis consequuntur, ad felicitatem, vel infe-

infelicitatem nostram faciant: id quod ne negligamus, incitamento est quod hic de obedientia & inobedientia in genere demonstratur.

§. 204.

Obedientiam maxime convenire, inobedientiam repugnare rationi.

Rationi maxime convenit, ut obediamus Deo; ast inobedientia maxime adversatur. Cum enim homo a Deo creatus sit (§. 782. *part. 1. Theol. nat.*), nec propria virtute existentiam continuare possit (§. 840. *part. 1. Theol. nat.*), sed a Deo conservetur (§. 843. *part. 1. Theol. nat.*); non sua, sed Dei voluntate in hoc universo existit. Produxit Deus hunc mundum propter finem aliquem ultimum (§. 604. 628. *part 1. Theol. nat.*) & propter hunc quoque homo existit (§. 606. *part. 1. Theol. nat.*); fines autem particulares refert Deus ad finem totius mundi (§. 626. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem cum ipsi competat dominium plenum in res omnes, quæ in universo existunt, ipsum etjam hominem (§. 963. *part. 1. Teol. nat*); ipsius quoque est disponere pro lubitu de iis, quæ a singulis creaturis, (§. 959. *part. 1. Theol. nat.*), consequenter etiam ab homine fieri debent (177.). Quemadmodum itaque corpora, & tota rerum natura agunt propter fines a Deo intentos, ac si ipsamet eos intenderent (§. 661. *part. 1. Theol. nat.*), & natura observat leges in agendo a Deo ipsi præscriptas (§. 827. *part. 1. Theol. nat.*), ita quoque homo actiones suas liberas ad eosdem fines dirigere ac in agendo leges a Deo præscriptas observare debet. Enimvero si homo actiones suas voluntati divinæ convenienter dirigit, quia vult ut ita dirigantur, non aliter, Deo sese obedientem præbet (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*). Patet itaque rationi

maxime convenire, ut obediamus (§. 485. *Psych. empir.*). *Quod erat unum.*

Enimvero cum inobedientia opponatur obedientiæ, ita ut obediens non sit, qui est inobediens (§. 1164. 1168. *part. 1. Jur. nat.*), rationi autem maxime conveniat, ut obediamus Deo, *per demonstrata n. 1.* necesse omnino est, ut inobedientia rationi maxime adversetur. *Quod erat alterum.*

Uberior lux propositioni præsenti affunditur per ea, quæ in superioribus annotavimus, cum ostenderemus, pietatis cultorem operam dare, ut finem consequatur, ob quem creatus est, & civem mundi dignum se præstet, dirigendo actiones ad finem totius universi & ejus perfectionem (*not.* §. 116. 118. 119.). Quod creaturæ ceteræ necessario agunt essentiæ ac naturæ suæ convenienter; id convenit homini, ut libere agat, cum etiam sic essentiæ ac naturæ suæ convenienter agat. Creaturæ omnes exequuntur voluntatem Dei & sic non aliter agunt, quam quia Deus voluit, ut sic agant. Quamobrem etiam homini convenit, ut qua liberum agens una cum creaturis ceteris voluntatem Dei exequatur. Quodsi singula probe perpendantur, rationi nihil magis convenire quam obedientiam, nec ex adverso magis repugnare quam inobedientiam, satis superque manifestum erit. Negari tamen non potest multo evidentiorem fore propositionem præsentem iis, qui in Theologia naturali diu multumque fuerint versati, ut omnia illa, quæ demonstrationem præsentem ingrediuntur, intime cognita & perspecta habeant. Quo magis enim perspicitur nexus veritatum universalium, eo magis quoque intelligitur, quid rationi conforme sit, quid contrarium (§. 485. *Psych. empir.*).

§. 205.

§. 205.

Obedientiæ decentia & inobedientiæ turpitudo.

Quoniam rationi maxime convenit, ut obediamus Deo, ast inobedientia maxime adversatur (§. 204.), homo autem ratione præditus est (§. 454. *Psych. rat.*); *obedientia erga Deum maxime decet hominem* (§. 332. *part. 1. Theol. nat*). *inobedientia dedecet* (§. 195. *part. 1. Phil. pract. univ.*), consequenter *turpe est homini non obedire Deo.*

Qui gloria ducuntur, iis obedientiæ decentia motivum est obediendi Deo, turpitudo autem inobedientiæ motivum eam fugiendi. Delectatur animus generosus, si videt se agentem, id quod ipsum dedecet; pudet facere, quod dedecet.

§. 206.

Obedientiam naturæ humanæ maxime convenire, inobedientiam adversari.

Naturæ humanæ maxime convenit, ut obediamus Deo; ast inobediendia maxime adversatur. Etenim homo per naturam suam appetit felicitatem (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*), infelicitatem aversatur (§. 325. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Sed obedientia erga Deum hominem felicem (§. 706. 707. *part. 1. Theol. nat.*), inobedientia infelicem reddit (§. 202.). Quamobrem naturæ humanæ maxime convenit, ut obediamus Deo, ast inobedientia maxime adversatur.

Ducit nos ipsa natura nostra ad obediendum Deo & avocat ab inobedientia, quatenus appetitus felicitatis nobis naturalis, infelicitatis autem horror itidem naturalis. Ne autem ductum naturæ sequamur & Deo nos obedientes præstemus, inobedientiam vero cane ac angve pejus fugiamus, inde venit, quod non agnoscamus, quænam sit felicitas nostra, in quonam infelicitas consistat, & quo tendat obedientia erga Deum, quo inobedientia. Quodsi homines satis intelligerent, quid sit obedire Deo, quid sit inobe-

obedientem esse, quam illud sit naturæ humanæ conveniens, hoc vero eidem contrarietur, clarissime perspicerent, neque contra naturam suam inobedientiam præferrent obedientiæ.

§. 207.

An obediens sit, qui metu pœnæ, vel spe præmii facit quod Deus vult.

Qui metu pœnæ, vel spe præmii facit quod Deus vult, & non facit, quod non vult: Deo se nondum præbet obedientem. Etenim qui metu pœnæ, vel spe præmii adducitur, ut faciat quod Deus vult, & non faciat, quod non vult; is actionem committit, vel omittit, ut pœnam evitet, vel ut præmii particeps fiat, non vero quia Deus vult, vel non vult. Enimvero cum is demum obediat Deo, qui facit quod Deus vult, quia vult, & non facit, quod Deus non vult, quia non vult (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*), legi naturæ, ideoque voluntati divinæ (§. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conformans actiones suas, ut obedientiam Deo debitam præstet (§. 1167. *part. 1. Jur. nat.*); qui metu pœnæ, vel spe præmii facit, quod Deus vult, & non facit, quod non vult, Deo se nondum præbet obedientem.

Nemo est qui dubitet, obedientem Deo habere debere animum obediendi Deo. Sed animus evitandi pœnam, vel consequendi præmium non est idem cum animo obediendi Deo. Nemo dicet servum obedientem, sed potius contumacem & refractarium, qui nonnisi minis & verberibus adduci potest, ut imperium heri sui exequatur, nec filium vocabit obedientem, qui nonnisi minis & verberibus adducitur ad patrandum jussa patris, aut ea non peragit, nisi præmiis ad obtemperandum eliciatur, quasi obtemperationem venalem habens. Qui metu pœnæ quid facit, actionem, quam committit, non appetit nisi tanquam medium

tum evitandi pœnam, quam aversatur, cum contraria actione delectetur, cujus omissio ipsi molesta accidit. Duo igitur sunt mala, quæ movent facultatem aversandi, nimirum pœna cum commissione actionis conjuncta & carentia voluptatis ex eadem percipiendæ cum omissione connexa. Ex duobus hisce malis eligitur, quod minus videtur. Ac propterea obtemperatio est actio invita, cum obtemperans faciat, quod non facere mallet, vel contra, modo pœnam evitare posset (§. 581. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero qui Deo se obedientem præbet, actionem ideo appetit, quia voluntati divinæ conformis est, & obedientia delectatur, actionem autem contrariam aversatur, quia voluntati divinæ repugnat, & ab inobedientia abhorret. Obedientia igitur actio voluntaria est (§. 584. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Similiter si quis non facit, quod Deus vult, nisi spe præmii adductus, actionem, quam committit, non appetit nisi tanquam medium accipiendi præmium, quod appetit, quamvis contraria delectetur actione, cujus omissio perinde ac jactura præmii molesta accidit. Duo igitur denuo mala sunt, quæ movent facultatem aversandi, nimirum carentia voluptatis ex actione voluntati divinæ contraria percipiendæ & jactura præmii cum omissione actionis voluntati divinæ conformis conjuncta. Vel si quis animum magis attendit ad præmium, quod movet appetitum, duo sunt bona, quæ eundem movent, nimirum fruitio voluptatis ex actione voluntati divinæ contraria percipiendæ & præmium, quod actioni voluntati divinæ conformi statutum. In priori casu ex duobus malis eligitur minus, in posteriori bonum, quod majus videtur, præfertur minori. Quamobrem ut ante patet, actionem ob præmium accipiendum obtemperantis invitam esse. Alius igitur est animus obediendi Deo, quam metu pœnæ vel spe præmii demum obtemperantis. Obedientia debet oriri ex agnitione dominii divini (§. 185. 189.), ut Deo lubenter obediamus (§. 186.) & lege divina delectemur

mur eamque caram habeamus (§. 190.); metu autem pœnæ non poteſt extorqueri, nec elici ſpe præmii.

§. 208.

Effectus pœnarum reſpectu inobedientium.

Quoniam *qui metu pœnæ ſaltem facit quod Deus vult, aut non facit, quod non vult,* animum obediendi Deo nondum habet (§. 207.); *actionem ſaltem externam voluntati divinæ conformat, non vero voluntatem ſuam Deo dat,* quemadmodum facit, qui obedit Deo (§. 179.), conſequenter *metu pœnæ ſaltem deterrentur inobedientes, ne quod ſibi placet exequantur.*

Pœnæ igitur recte repræſentantur tanquam meritum inobedientiæ, ut ea reddatur exoſa, ſicque ab eadem abducantur inobedientes. Quamdiu autem inobedientia per ſe non diſplicet, ſed ſaltem quatenus pœnam conjunctam habet; animus obediendi nondum adeſt. Non tamen propterea uſu ſuo deſtituitur incuſſio metus pœnarum, cum emendatio voluntatis per gradus procedat: quod ut clarius appareat, propoſitionem ſequentem addimus.

§. 209.

Cur inobedientes ab inobedientia abducendi, antequam ad obedientiam adducantur.

Quia metu pœnæ deterrentur inobedientes, ne quod ſibi placet exequantur (§. 208.), ſi quis vero metu pœnæ ad habitum quendam ſibi comparandum adductus fuit, habitus ſubſiſtit, etiam metu pœnæ ſublato (§. 140. *part. 2. Eth.*); *ſi quis inobediens metu pœnæ adductus fuit, ut actionem externam voluntati divinæ conformet, tanto facilius deinceps obtinetur, ut voluntas quoque ſua voluntati divinæ conformetur,* conſequenter, *ut ad obedientiam Deo debitam adducatur, qui fuerat inobediens.*

Inobediens Deo committit actiones voluntati divinæ contrarias, eidem conformes committere non vult. Corrupta igitur

igitur est tam voluntas, quam noluntas ipsius. Quando metu pœnæ deterretur a committenda actione voluntati divinæ contraria, vel adducitur ad committendam actionem eidem conformem; in casu priori voluntas, in posteriori noluntas nondum emendata est, quoniam, si metus pœnæ abesset, illam committere mallet, hanc vero committere nollet. Quamobrem a malo quidem desistit, sed quod bonum est facere nondum didicit, cum malum per se nondum displiceat, nec bonum placeat, quin potius illud adhuc videatur bonum, hoc vero malum. Hinc & in scriptura præcipitur, ut desistamus a malo & bonum facere discamus. Antequam igitur impius & inobediens Deo facere discat, quod bonum est, a malo desistat necesse est. Atque ita per gradus medela corruptioni voluntatis atque noluntatis affertur. Facile apparet, quæ hoc loco de metu pœnæ quoad obedientiam Deo præstandam demonstrantur, ea valere in genere, quando vitio cuidam deditus avocandus ab eo & ad virtutem adducendus.

§. 210.

Similiter quia Deo nondum obedit, *qui spe præmii saltem facit, quod Deus vult, vel non facit, quod non vult* (§. 207.); *actionem tantummodo externam voluntati divinæ conformat, non vero voluntatem suam,* quemadmodum facit, qui Deo se obedientem præbet (§. 179.), *Deo dat,* cum ea in contrarium adhuc propendeat, consequenter *saltem retrabitur, ne quod sibi placet exequatur.* *Effectus præmii quoad obedientiam Deo præstandam.*

Spe præmii ac metu pœnarum voluntas & noluntas saltem refrenatur ab actu externo positivo & negativo (§. 192. *part. 2. Eth.*). Quamobrem ea relegenda sunt, quæ de voluntate & noluntate refrenanda demonstravimus (§. 193. & *seqq. part. 2. Eth.*).

§. 211.

Idem ulterius expenditur.

Quoniam spe præmii faciens quod Deus vult, saltem retrahitur, ne quod sibi placet exequatur (§. 210.); eodem, quo ante (§. 209.), modo intelligitur, *spe præmii ad obtemperationem adductum facilius porro ad obedientiam perduci*, immo cum actio ad se trahat voluptatem ex præmio perceptam, quæ prævalet molestiam ex omissione actionis contrariæ perceptam, *si quis spe præmii ad obtemperantiam adducitur, facilius porro ad obedientiam perducitur*, appetitu nimirum ad agendum jam determinato, *quam si illa metu pœnæ fuerit elicita.*

Quæ in perceptionibus confusis permiscentur, nonnisi singulari acumine distingvuntur, quod paucissimorum est. Ea de causa contingit, ut præmium actione consequendum voluptatem, quæ ex ipso percipitur, in hanc transfundant, ideoque agens ex hac eandem sibi percipere videatur, præsertim cum præmium cum eadem connexum omnem in se trahat attentionem eandemque ab actione contraria prorsus avertat, ne molestum accidat eam omittere. Quoniam itaque appetitus jam fertur in actionem præmio decorandam, animus obediendi Deo ad idem tendit, ad quod determinatus est appetitus. Quamobrem nulla percipitur in animo repugnantia, quando persuadenda est obedientia Deo præstanda eadem actione. Secus vero se res habet, si metu pœnæ committitur actio, quam non committere mallemus; cum id non fiat sine quadam repugnantia, quæ obedientiam exosam reddit.

§. 212.

Quando præmium ardorem obedien-

Si præmium instar beneficii spectatum concitat gratitudinem, ardorem obediendi Deo suscitat atque intendit. Si enim præmium instar beneficii spectatum gratitudinem concitat (§. 377.
part.

part. 2. Eth.), homo vero nihil habeat, quod Deo dare *di Deo su-*
possit, nisi voluntatem suam (§. 179.), ut scilicet volun- *scitet ac in-*
tas Dei sit ipsi loco voluntatis propriæ, quam Deus accipere *tendat.*
vult (§. 971. *part. 1. Theol. nat.*), quamvis jam ante suam (§. 180.) cupiditas obediendi Deo concitatur (§. 387. *part. 2. Eth.*). Quamobrem cum ardor oriatur, si ad actum voluntatis accedat cupiditas vehemens (§. 218. *part. 2. Phil. pract. univ.*); si præmium instar beneficii spectatum concitat gratitudinem, ardorem obediendi Deo suscitat. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam non modo gratitudo accedit ad voluntatem obediendi Deo, si præmium instar beneficii spectatur (§. 377. *part. 2. Eth.*), verum etiam gaudium, quod consideratione præmii tanquam boni, cum obedientia connexi voluntate Dei (§. 295. *part 1. Phil. pract. univ.*), concitatur (§. 255. *part. 2. Eth.*), affectus autem jucundi ardorem agendi intendunt (§. 243. *part. 2. Phil. pract. univ.*); si præmium instar beneficii spectatum concitat gratitudinem, ardorem obediendi Deo quoque intendit. *Quod erat alterum.*

Patet itaque, quomodo præmium influat in obedientiam Deo debitam, etiamsi spe præmii non eliciatur, nec animo præmium obtinendi saltem faciamus, quod Deus vult: id quod repugnat obedientiæ (§. 207.). Enimvero si quo Deus præmio decorare velit obedientiam nostram, id spectandum esse instar beneficii, nemo dubitabit, nisi qui nescit Deum non obligari pro obedientia quicquam homini retribuere (§. 181.). Qui enim hoc agnoscit, is etiam agnoscit, si quod bonum Deus confert in obedientem, quia sese obedientem ipsi præbet, id gratis fieri: bonum vero gratis in nos collatum beneficium est (§. 21. *part. 4. Jur. nat.*).

§. 313.

Influxus præmii in obedientiam licitus.

Cum pro præmiis divinis recte habeantur bona, quæ vi nexus rerum hominibus eveniunt, qui actiones bonas committunt (§. 313. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & quidem positivis (§. 317. *part. 1. Phil. pract. univ.*), mera Dei voluntate cum actione libera connexis (§. 312. *part. 1. Phil. pract. univ.*), qui nimirum sapientia & bonitate sua nexum rerum constituit (§. 741. *part. 1. Theol.) nat.*), grati vero erga Deum esse debeamus (§. 1214. *part. 1. Jur. nat.*); & ardor obediendi Deo suscitetur atque intendatur, si præmium instar beneficii spectatum gratitudinem concitat (§. 212.); *modus excitandi ardorem obediendi Deo consideratione præmii legi naturæ convenit*, consequenter *obedientiam erga Deum nulla labe inficit.*

Videmus itaque, quomodo præmia obedientiæ influere possint in obedientiam per modum motivi, quamvis obedientes Deo nos præbeamus non animo præmium obtinendi, sed ut officio nostro satis faciamus, quia Deo, cui tanquam domino subjecti sumus, obedire debemus. Efficaciam hujus motivi agnoverunt etiam Gentiles, quamvis non minus agnoverint, virtutem non esse debere mercenariam. Quamobrem cum viderent, non esse ad captum vulgi præmia, quibus virtus a Deo decoratur in hac vita, quia piorum & impiorum eadem sors videtur; elysium finxerunt, locum inferorum voluptatibus plenum, in quem post mortem deferuntur animæ bonorum præmia virtutis accepturæ. Christus vero, qui statum animarum post mortem & resurrectionem corporum cum iis rursus uniendorum nos docuit, beatitudinem æternam obedientibus Deo promisit, ut ardorem obediendi incenderet. Quamobrem cum Christianis, qui credunt promissioni Christi Domini sui, persuasissimum sit, obedientiæ præmia post mortem ac-

accipienda voluptates omnes, quibus in hac vita frui datur, infinitis modis superare; illorum consideratione ardor obediendi Deo tantum augetur, quantum spes aliorum præmiorum quorumcunque concitare nequit. Ast cum status venturi seculi ex principiis rationis, ultra quæ non progredimur, a nobis demonstrari non possit, ex iisdem vero falsitas camporum elysiorum agnoscatur; in præmiis subsistendum, quæ providentia divina nos sperare jubet. Quamvis itaque ostenderimus, nos Deo nondum obedire, si saltem spe præmii obtinendi facere velimus, quod Deus vult; non tamen propterea legitimum præmiorum usum in promovenda obedientia rejicimus, qui obedientiam minime mercenariam facit. Omnem præmiorum considerationem qui ab obedientia Deo debita removent, naturam animæ humanæ non satis cognitam & perspectam habent, nec vim motivorum in voluntatem & noluntatem recte discernere didicerunt, motiva cum fine, qui intenditur, confundentes. Quod in determinationem voluntatis & noluntatis influit, non semper simul intenditur tanquam finis, propter quem agimus.

§. 214.

Quoniam modus excitandi ardorem obediendi Deo consideratione præmii nulla labe inficit obedientiam (§. 213.), animus vero purus est, si volitioni & nolitioni nihil vitiosi inhæret (§. 599. *part. 2. Eth.*); *qui ardorem obediendi Deo consideratione præmii suscitat, animo puro Deo obedit*, consequenter *influxus præmiorum in obedientiam per modum motivi tunc puritati animi non officit.* *Num puritati animi officiat.*

Tantum abest, ut ardor consideratione præmii accensus eo, quem demonstravimus (§. 212.), modo puritatem animi tollat, ut potius omnem faciamus facultatum in obediendo usum, quem facere possumus, & sic demum obedi-

entia consequatur omnem rectitudinem, cum nihil desideretur ex parte ulllius facultatis, quod adesse poterat atque debebat.

§. 215.

Ejus utilitas. Denique cum ardor obediendi Deo suscitetur atque intendatur, si præmium instar beneficii spectatum concitet gratitudinem (§. 212.), qui vero ardore obediendi Deo flagrat, ei quam promptissime obediat (§. 223. *part. 2. Phil. pract. univ.*), nec facile ab obedientia se dimoveri patiatur (§. 224. *part. 2. Phil. pract. univ.*); *qui ardorem obediendi Deo suscitat atque intendit concitata gratitudine præmiorum instar beneficiorum spectatorum consideratione, promptissime obedit Deo, nec a proposito suo se facile dimoveri patitur*, consequenter *hoc modo præmia influunt in constantiam & perpetuitatem voluntatis obediendi Deo* (§. 1062. *part. 1. Theol. nat.*).

Ecce tibi utilitatem influxus legitimi præmiorum in obedientiam Deo debitam! Atque hinc perspicitur, quantum noceat obedientiæ huic opinio, quasi omnis præmiorum consideratio ab ea debeat abesse, siquidem obedire Deo velimus animo puro. Mentitur ea speciem acuminis; ast revera defectum ejus arguit, si sufficienter discutiatur.

§. 216.

Deo servire vera libertas *Qui Deo servit, vere liber est.* Qui enim Deo servit, eidem obedientem se præbet (§. 195.), consequenter actiones suas voluntati divinæ conformat (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque juxta legem naturæ determinat (§. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Sed homo tum vere liber est, si voluntatem suam ad actiones legi naturæ conformes determinat

(§. 558.

(§. 558. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Ergo qui Deo servit, vere liber est.

Servire Deo vera libertas est. Dependet nimirum homo in agendo a ratione, quæ hominem a brutis distingvit, dum actiones suas legi naturæ, quam ratio docet (§. 259. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), & Deus a nobis servari vult (§. 274. 276. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conformat, consequenter a se ipso. Quamobrem cum hæc dependentia libertatis anima sit (§. 528. *Psych. rat.*), & usus libertatis in determinatione voluntatis ad actionem legi naturæ conformem consistat (§. 557. *part.* 2 *Phil. pract. univ.*); dum Deo servimus libertate plenissima fruimur. Deus cum nos obligat ad legem naturæ servandam (§. 276. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), & obedientiam a nobis exigit (§. 1166. *part.* 1. *Jur. nat.*), ad usum libertatis nostræ nos obligat, ideoque vult, ut vere liberi simus, nec in servitutem moralem incidamus, in qua non vivitur secundum rationem (§. 548. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), sed seposita ratione homo in determinandis actionibus suis a sensu, imaginatione atque affectibus pendet (§. 544. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Servitus, qua Deo subjicimur, saltem vivendi licentiam restringit (§. 560. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Et quoniam qui dominus sui ipsius est, sollicite sibi cavet, ne in determinandis actionibus suis latum ungvem a lege naturali recedat (§. 556. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*); Deus revera vult nos esse servos ipsius, ut unusquisque sit dominus sui ipsius. Servitus, qua homo homini subjicitur, nomen servi odiosum fecit, præsertim cum quæ moribus convenit nimis recedat ab ea, quæ lege naturæ permittitur (§. 1080. & *seqq. part.* 7. *Jur. nat.*). Ast a servitute, qua Deo subjicitur, odium istud prorsus removendum, quippe quæ libertatem nostram non perimit, sed tuetur. Quamvis enim obediendo Deo voluntas ipsius nobis loco propriæ voluntatis sit (§. 179.); cum

cum tamen voluntas nostra, si libertate utamur, non vero in vivendi licentiam eandem convertamus, eodem tendat, quo ducit voluntas divina, dum hanc sequimur, propriam quoque sequimur voluntatem. Voluntas nostra non contrariatur voluntati divinæ, nisi quatenus rationi audientes esse nolumus, ideoque naturam humanam exuimus. Hæc probe perpendenda sunt, ne servitus, qua Deo subjicimur, nobis videatur odiosa.

§. 217.

De impedimento tollendo, quo minus Deo servire velimus

Quoniam qui Deo servit, vere liber est (§. 216.), qui vero *sibi persuadent, servitutem, qua Deo subjicimur, libertati maxime adversari*, ac propterea Deo servire, consequenter sese obedientes eidem præbere nolunt (§. 195.), *iis nexus libertatis cum servitio, quod Deo præstatur, inculcandus.*

Ingenitus homini videtur libertatis amor, quod bonorum præstantissimum habetur. Ideo molestum accidit, quicquid libertati adversum putatur. Quamobrem qui servitutem, qua Deo subjicimur, libertati adversam judicant, cum non ex distinctis, sed confusis notionibus judicia deducant; perversa hac opinione impediuntur, quo minus Deo servire, consequenter eidem obedire velint. Opinio igitur ista radicitus animo evellenda. Facit huc demonstratio propositionis præcedentis: sed cum supponatur principia, ex quibus procedit, intime perspecta esse, ne quid dubitationis circa ea relinquatur, si quidem eadem quis convinci debeat (§. 991. *Log.*); ea inprimis urgenda sunt, quæ ad propositionem præcedentem annotantur (*not.* §. 216.), & ad captum communem reducenda (§. 242. *part.* 2. *Eth.*), ut defectus scientiæ suppleatur, si qui demonstrationibus convinci nequeunt (§. 422. *part.* 2. *Eth.*), ad quod sane paucissimi apti sunt. Scientia hauriri nequit, nisi ex libris methodo demon-

demonſtrativa conſcriptis, &, ſi in quibusdam ſupponuntur, quæ in aliis pertractantur, niſi ante diligenter perlectis iis, quæ in hiſce traduntur (§. 409. *part.* 2. *Ethic.*). Quodſi ergo quis ea, ad quæ in nota ad propoſitionem præcedentem provocamus, in ſua principia reſolvere voluerit (§. 992. *Log.*); is ſtatim animadvertet, quanta ſit difficultas, ſi quis de nexu libertatis cum ſervitio Deo præſtando vi demonſtrationis convinci debet. Syſtemata igitur non ſcribuntur in uſum vulgi, ſed eorum, qui ad ſcientiam adſpirant. Horum deinceps eſt ubi ſcientiam fuerint conſecuti, veritates, quas ſciunt, ad captum communem reducere, ut perſuadeantur aliis, quibus eas ſcire non datur.

CAPVT IV.

De Amore Dei.

§. 218.

Qui *Deum amare vult, Deum agnoſcere tenetur, hoc eſt, notiones habere perfectionum divinarum ac certus eſſe, has perfectiones Deo competere.* Qui enim Deum amare vult, ex perfectionibus divinis voluptatem percipere debet (§. 1171. *part.* 1. *Theol. nat.*). Quamobrem cum voluptas percipiatur, ſi nobis conſcii ſumus perfectionis alicujus (§. 511. *Pſych. empir.*); ſi perfectiones divinæ in nobis voluptatem creare debent, neceſſe eſt, ut cognoſcamus, quales ſint perfectiones divinæ, & quod tales perfectiones eidem competant, conſequenter ut notiones perfectionum divinarum habeamus atque certi ſimus, has perfectiones Deo competere. Quamobrem qui Deum amare vult, Deum agnoſcere tenetur, hoc eſt, notiones habere *Quænam cognoſcenda, ut Deum amemus.*

re perfectionum divinarum ac certus esse, has perfectiones Deo competere.

Probe notandum est, quaenam ad agnitionem Dei requirantur, ut amor Dei eadem concitetur. Primum itaque requiritur, ut habeamus notiones perfectionum divinarum. Cum enim vocabula sint earum signa (*not.* §. 958. *Ontol.*); ne sint sine mente sonus, necesse est ut constet, quid per ea significetur, consequenter id quod significatur, nobis notum esse debet. Praestat autem notiones esse distinctas, quam confusas, ut rectius intelligatur, quid vocabulo significetur (§. 88. *Log.*): id quod inprimis obtinet in casu praesenti, in quo attributa divina in sensus minime incurrunt, ut istiusmodi eorundem notiones haberemus, quales sunt rerum visibilium. Taceo, quod notiones confusae non arceant dubitationes, quae subinde nobis oriri possunt, amori Dei inimicas, veluti si notionem bonitatis divinae ultra determinationes in notione distincta contentas extendimus (§. 695. *part. 1. Theol. nat*), vel etiam notionem omnipotentiae (§. 347. *part. 1. Theol. nat.*), quemadmodum haud raro fieri observamus. Requiritur secundo, ut certi simus, has perfectiones Deo competere, quales concipimus. Quando enim Deum amamus, perfectionibus, quae eidem tribuuntur, non delectamur, quatenus absolute spectantur, sed quatenus considerantur tanquam Deo competentes. Ita si delectamur bonitate, qualis Deo tribuitur, non Deum amamus, si ea non consideretur tanquam Deo revera competens, sed ipsam potius bonitatem (§. 657. *Psych. empir.*). Satis superque idem patet in exemplis humanis. Si quem amamus propter scientiam profundam in Mathesi, vel alia disciplina quacunque; tunc utique necesse est, ut nobis constet, ipsum hac scientia pollere. Quodsi vero scientiam istam in abstracto consideremus, non in concreto, & voluptate perfundatur animus; scien-

ſcientiam amare dicimur, non perſonam aliquam eadem imbutam. Amor perſonæ oritur, ſi ſcientia, qua pollet, nobis placet (§. 645. *Pſych. empir.*), ideoque amorem ſcientiæ ſupponit (§. 542. 657. *Pyſch. empir.*). Et revera nemo dicere poteſt, quod agnoſcat Deum, niſi notiones habeat eorum, quæ Deo tribuit, ac certus ſit, ea Deo competere; quemadmodum nemo dici poteſt agnoſcere, quod Cajus ſit Mathematicus profundus, niſi ſcientiæ profundæ, quam Cajo tribuit, notionem habuerit, ut quid dicat intelligat, atque certus ſit, Cajum hac ſcientia pollere. Utrumque requiritur ad agnitionem rei, ut & intelligamus, quid eidem tribuamus, & nullum nobis ſuperſit dubium, quod eidem non tribuamus, niſi quod revera convenit. Quodſi enim nullam habeamus notionem ejus, quod rei tribuitur, dicendum omnino eſt, nos ignorare, quidnam rei tribuatur (§. 27. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ſi deſit certitudo cognitioni, dicendum eſt, nobis nondum conſtare, utrum verum, an falſum ſit, quod affirmatur (§. 564. *Log.*). Non ſine ratione hæc inculcantur hoc loco. Experimur enim, quam plurimos decipi, dum ſibi videntur rem tenere, ſi vocabula didicerint, quibus in vulgari ſermone notio aliqua reſpondet, vel derivatio ab aliis vocabuli notionem quandam inſinuare videtur, veluti ſi quis putat ſe omnipotentiæ divinæ notionem habere, quando dicit, omnipotentem eſſe, qui omnia facere poteſt, quia ſibi intelligere videtur, quid per omnia ſignificetur, & quid ſibi velit facere. Neque enim mirari debemus, ſi vocabula memoriæ mandata non idem operentur, quod notiones iisdem jungendæ, nec prorſus negare, quod ex agnitione perfectionum divinarum oriatur amor Dei.

§. 219.

Quoniam Deum amaturus notiones habere debet perfectionum divinarum ac certus eſſe, has perfectiones Deo *Quomodo cognitionem huc requiſi-*

tam acquiramus. Deo competere (§. 218.), notiones autem distinctæ earundem in Theologia naturali traduntur, & quod eædem Deo competant, demonstratur (§. 13. 4. *part. 1. Theol. nat.*), sunt vero etiam creaturæ specula perfectionum divinarum (§. 798. *part. 1. Theol. nat.*), ut illarum consideratione ad harum cognitionem pervenire possimus (§. 784. *part. 1. Theol. nat.*); *qui Deum amare vult, aut multum studii adhibere debet ad Theologiam naturalem, aut indefessam collocare operam in agnitione Dei per contemplationem hujus universi, aut studium cum hac opera conjungere.*

Ex Theologia naturali methodo demonstrativa pertractata hauritur scientia eorum, quæ Deo conveniunt, Deum amaturis omnibus commendanda, modo scientiæ capaces omnes essent. Enimvero ardua & difficilis omnino est scientia Dei, ut non modo plurimi non sint ejus capaces; verum etiam haud pauci sint, quibus nimis molestum videtur tantum studium in scientia Dei comparanda collocare. Quamobrem omnes, quibus vel vires desunt, vel voluntas, viam patentiorem ingredi debent, qua a creaturis ad Deum ascenditur. Stravimus eandem in capite primo, ut inoffenso pede teri possit. Quia definitiones etiam extra systema intelliguntur, notiones autem distinctæ perfectionum divinarum præferendæ sunt confusis (*not.* §. 218.); consultum omnino est, ut definitiones ex systemate petantur & ad ea, quæ in consideratione creaturarum obvia sunt & dependentiam ab attributis divinis arguunt, applicentur. Observabunt autem acutiores dari quoque in hoc modo cognoscendi perfectiones divinas diversos admodum gradus, prouti major, vel minor fuerit intellectus perfectio, & plura, vel pauciora principia fuerint nota. Nostrum est monstrare viam prono tramite, non vero in toto itinere nos adjungere comitem perpetuum eunti. Omnium optime autem sibi consulit, qui hausta ex systemate scientia cogni-

cognitioni a posteriori vacat (§. 272. 273. *part. 2. Phil. pract. univ.*), atque ut hoc faciat, ipsa lege naturæ obligatur (§. 1131. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 220.

Quod ad amorem Dei ducat agnitio Dei ex ipso.

Quoniam Deum amaturus eundem agnoscere tenetur (§. 218.), Deum autem etiam ex nobismet ipsis agnoscere obligamur (§. 1135. *part. 1. Jur.nat.*); *qui Deum amare vult, seipsum qua corpus & animam ac utriusque unionem cognoscere atque inde colligere tenetur, quales sint perfectiones Deo competentes, observato modo, quo homo perinde ac ceteræ creaturæ omnes tam in se spectatæ* (§. 818. *part. 1. Theol. nat.*), *quam in systemate cum ceteris consideratæ illas repræsentat* (§. 819. *part. 1. Theol. nat.*).

Influit agnitio Dei ex nobismet ipsis singulari modo in amorem Dei, quatenus conjuncta est cum agnitione sui, quæ voluptate sua attentionem conservat ad attributa divina ex iis, quæ in creaturis observamus, colligendum afferendam atque molestiam arcet, quam contemplatio rerum aliarum minime curiosis creare solet. Quod vero modo monuimus, (*not.* 219.), id quoque hic observandum, nimirum ut eorum, quæ Deo tribuuntur, notiones distinctæ petantur ex systemate Theologiæ naturalis atque ad ea, quæ in nobis observantur, applicentur. Modus, quo id fieri debeat, patet ex supra demonstratis, cum de agnitione Dei a posteriori ageremus. Exemplo esse possunt, quæ de Deo ex structura certorum organorum agnoscendo tradiderunt nonnulli, veluti ex structura oculi, quod *Sturmius* fecit. Quamvis enim a vero aberrarint, ubi existentiam Dei se hoc modo demonstrasse sibi visi fuerunt; non tamen propterea contemnenda sunt, quæ ad attributa Dei, cujus existentia jam aliunde nobis innotuit, agnoscenda ducunt. Inprimis hic quo-

quoque notandum est, quid ad Deum agnoscendum conferat unio animæ cum corpore, si per systema harmoniæ præstabilitæ explicetur (§. 626. *Psych. rat.*), ita ut ad eam non parum conferret, qui integrum systema Theologiæ naturalis conscriberet, in qua non supponeretur nisi harmonia præstabilita tanquam principium demonstrandi proximum, cum ad intimius perspiciendas perfectiones Dei mirifice faciat hæc harmonia. Ita nimirum ea, quæ in Theologia naturali aliter demonstrantur, magis intelligibilia redduntur (*not.* §. *cit.*). Notum vero est, nos eo fine uti quoque posse fictis exemplis, quidni etiam hypothesibus, de quarum veritate adhuc subdubitamus? Nullum enim inde veritati nascitur præjudicium, de qua aliunde nobis constat, quamvis nondum satis perspecta. Vide, quæ supra de usu harmoniæ præstabilitæ in agnoscenda magnitudine sapientiæ divinæ indicavimus (*not.* §. 39.). Notandum hic porro est, nos ad notiones perfectionum divinarum, seu attributorum Dei pervenire, si notiones distinctas eorum, quæ animæ nostræ per essentiam & naturam ejus insunt, a limitationibus liberemus (§. 1095. *part. I. Theol. nat.*), ac notiones hoc modo acquisitas supponi, quando Deum a posteriori cognoscere volueris (*not.* §. *cit.*), ut hinc agnitio Dei ex seipso saltem ex parte indispensabilis sit, si eum consideratione hujus universi agnoscere velis. Denique hic etiam meminisse debemus, quod anima nostra sit veluti Deus quidam finitus, ut ita loquar, quatenus inter Deum & animam datur similitudo, qualem differentia inter ens infinitum & finitum, illimitatum & limitatum admittit, & in qua imago Dei naturalis consistit: id quod ut intimius perspiciatur, ea recolenda sunt animo, quæ in Psychologia rationali de anima demonstrantur. In hac qui versatus fuerit, is abunde intelliget; quantum ad Dei cognitionem conferatur, si animam sub hoc schemate nobis repræsentemus.

§. 221.

§. 221.

Qui Deum super omnia vult amare, summitatem perfectionum divinarum agnoscere tenetur. Etenim cum amor Dei consistat in dispositione animi ex perfectione Dei voluptatem percipiendi (§. 1171. *part.* 1. *Theol. nat.*); qui Deum super omnia vult amare, ex perfectionibus divinis majorem voluptatem percipere debet, quam ex perfectione quacunque alterius entis. Enimvero quo major fuerit perfectio, cujus nobis conscii sumus, eo major quoque est voluptas, quæ percipitur (§. 516. *Psych. empir.*). Quamobrem si Deum super omnia vult amare, necesse est, ut agnoscat, perfectiones divinas excellere perfectionem quamcunque rei cujuscunque alterius, consequenter cum Deus sit ens perfectissimum absolute tale (§. 14. *part.* 2. *Theol. nat.*), ideoque omnes perfectiones in gradu absolute summo possideat (§. 6. *part.* 1. *Theol. nat.*), summitatem perfectionum divinarum agnoscere tenetur.

Quænam cognoscenda, ut Deus super omnia ametur.

Vulgo quidem affirmatur, perfectiones Dei esse summas, seu maximas, veluti Deum esse sapientissimum, summe bonum, immensæ potentiæ & ita porro: sed non distincte explicatur, in quo summitas absoluta consistat, veluti quinam sit supremus sapientiæ, bonitatis, potentiæ gradus, ideoque nec ostenditur, quod in eo gradu sapientia, bonitas, potentia Deo competat. Nos igitur hunc defectum supplevimus in systemate Theologiæ naturalis, ut inde hauriri possit scientia summitatis perfectionum divinarum ad Deum super omnia amandum requisita, si quidem amor Dei super omnia omnem rectitudinem habere debeat, ne quid in ea desiderari possit. Verum omnino est perfectionem absolute summam hanc esse, qua major concipi non potest. Enimvero non omnes satis capiunt, quid velint

hæc

hæc verba, perfectione quadam data non posse concipi majorem. Multi enim sunt, qui sibi persuadent, perfectionem summam esse, qua ipsimet majorem concipere nequeunt. Plurimum tamen hæc differunt, non posse a nobis concipi perfectionem majorem & eam esse talem, qua majorem concipi repugnat. Illud enim nonnisi comparative intelligitur, ut perfectionem maximam dicamus eam, quæ major est ea, quam in subjectis nobis cognitis deprehendimus. Immo subinde nonnisi magnitudinem significat, cujus nullam prorsus habemus notionem, consequenter quam ignoramus, ut summitas perfectionis recidat in sonum sine mente. Non diffiteor ad captum omnium non esse scientiam summitatis perfectionum divinarum ex systemate hauriendam. Quamobrem adhuc docendum, quomodo hebetioribus succurrendum, ut, si non juxta rigorem legis naturalis Deum super omnia ament, non tamen rem ullam magis ament, quam Deum, præsertim cum id etiam conducat iis, quibus datum est, ut ad gradum sublimiorem adspirent.

§. 222.

Quomodo caveatur, ne persona vel res quædam magis ametur Deo.

Qui sibi cavere vult, ne personam quandam vel rem quamcunque magis amet, quam Deum; is adsuescere debet, ut semper inquirat in id, ex quo voluntatem percipit, ac porro consideret, in Deo idem dari in gradu multo excellentiori, seu summo. Etenim si in id inquirimus, ex quo voluptatem percipimus, ideoque nobis placet (§. 542. *Psych. empir.*), rationem amoris perspicimus (§. 645. *Psych. empir.*), seu cur hanc personam, vel rem istam amamus cognoscimus. Quodsi itaque a creatura in Deum ascendimus & in memoriam nobis revocamus perfectionem Dei rationi isti respondentem atque consideramus id, propter quod personam, vel rem quandam amamus, in Deo dari in gradu multo excellentiori; non modo inde nobis constabit, Deum magis

gis esse amandum, quam personam, aut rem istam, verum etiam cum majoris perfectionis nobis jam simus conscii, majore voluptate perfundetur animus, quam si cogitamus id, quod personæ, aut rei amatæ inest (§. 516, *Psych. empir.*). Quoniam ergo voluptatem ex eo, quod in Deo deprehendimus, percipientes Deum amamus (§. 1171. *part. 1. Jur. nat.*); Deum actu magis amabimus, quam personam, aut rem istam. Quamobrem si assuescamus, ut semper inquiramus in id, ex quo voluptatem percipimus, quando personam, aut rem quandam amamus, ac porro consideremus in Deo idem dari in gradu multo excellentiori, seu summo, nobis cavebimus, ne personam quandam, vel rem quamcunque magis amemus, quam Deum.

Demus ante omnia exemplum, ut propositio rectius intelligatur & facilius ad usum in dato quolibet casu transferatur. Ponamus itaque te amare Cajum propter sapientiam. Revoca tibi in memoriam sapientiam divinam, quam vel ex systemate via demonstrationis, vel consideratione hujus mundi, vel utroque modo cognovisti. Compara sapientiam divinam cum sapientia Caji, non est quod dubitemus, te statim visurum, quod sapientia divina plurimum antecellat sapientiam Caji, ut hæc, quantacunque sit, cum illa comparari nequeat. Quodsi ergo sapientia Caji delecteris, nec porro dubitandum, quin multo magis te delectatura sit sapientia divina, cujus tibi conscius es. Quamobrem minime verendum, ne Cajum magis ames Deo, quin potius Deum supra Cajum amabis. Ponamus te delectari pecunia, quod ea prospectum esse putas tuis, ut te mortuo habeant unde vivant. Inserta mentem Deo rebus omnibus providenti, nec verendum erit, ne pecuniam magis ames, quam Deum: supponitur nimirum, te Deum jam agnovisse atque operam dedisse, ut certa sint quæ de Deo cognoscuntur (§. 218.) & ad pietatem dispositum esse animum,

mum, ut Deum colere velis in omnibus actionibus tuis (§. 1127. *part. 1. Jur. nat.*). Quodsi hoc modo amorem Dei concitare in te studueris, in eodem indies proficies, nec fieri poterit, ut rem quandam vel personam magis ames quam Deum. Supponitur quoque amorem nostrum non esse illicitum, & voluntatem nostram esse bonam, non malam, ne malis delectemur. Quodsi contingat rationem amoris non cadere in Deum, inde intelligimus, amorem esse illicitum, ideoque deponendum. Non inutilem operam sumeret, qui argumentum hoc ex professo tractaret, ut in rationes omnes particulares amoris inquireret atque ostenderet, quomodo ob easdem Deus magis sit amandus quam persona, vel res, quæ nobis in amore atque deliciis est. In Ethica subsistendum est in generalibus, ne in immensum crescat tractatio, quemadmodum jam me monuisse memini; tractatio specialis in gratiam eorum, qui generalia per se ad casus particulares applicare nequeunt, aliorum industriæ relinquendum. Atque horum potissimum est ad captum vulgi ea reducere, quæ in disciplinis demonstrantur. Usui hic erunt, quæ in superioribus de Deo consideratione hujus universi agnoscendo tradidimus.

§. 223.

Qualis cognitio ad suscitandum amorem Dei requiratur.

Amor Dei oritur ex cognitione viva perfectionum divinarum & amor super omnia ex cognitione viva summitatis perfectionum divinarum, ac in casu particulari excellentiæ Dei quoad id, ob quod personam, vel rem aliquam amamus. Etenim si Deum amare velimus, certi esse debemus, perfectiones istas, quæ ipsi tribuuntur, eidem competere (§. 218.). Enimvero si vera esse agnoscimus, quæ cognoscimus, cognitio viva est, mortua vero, si de veritate eorum adhuc dubitamus (§. 245. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Amor igitur Dei

oritur

oritur ex cognitione viva perfectionum divinarum. *Quod erat primum.*

Quodsi Deum super omnia velimus amare, necesse est ut summitatem perfectionum divinarum agnoscamus (§. 221.). Enimvero amor Dei oritur ex cognitione viva perfectionum divinarum *per demonstrata n. 1.* Ergo amor quoque super omnia ex cognitione viva summitatis perfectionum divinarum oritur. *Quod erat secundum.*

Denique si nobis cavere velimus, ne personam quandam, aut rem aliam ullam magis amemus, quam Deum consequenter Deum super omne id, quod amamus; agnoscere debemus, Deum quoad id, ob quod personam, vel rem quandam amamus, eandem plurimum antecellere (§. 222.). Quoniam itaque amor Dei oritur ex cognitione viva perfectionum divinarum, *per demonstrata n. 1.* amor Dei supra omne id, quod in casu quocunque particulari amamus, oritur ex cognitione viva excellentiæ Dei quoad id, ob quod in dato casu particulari quidpiam amamus. *Quod erat tertium.*

Omnia officia erga Deum supponunt cognitionem vivam, ut ea exequamur. Immo cum cognitio viva non sit, nisi quæ sit motivum voluntatis, vel noluntatis (§. 244. *Part. 2. Phil. pract. univ.*), omnis praxis moralis cognitionem vivam requirit. Certitudo cognitionem vivam efficit (§. 246. *part 2. Phil. pract. univ.*). Quamobrem quia Deum agnoscere debemus, ut eum tanquam Deum colamus (§. 1129. *part. 1. Jur. nat.*), quia alias agnitio Dei animum curiositatis cupidum saltem satiaret (§. 34. *part. 1. Eth.*), nec ulla daretur ratio, cur ad eum agnoscendum obligaremur; ipsa quoque lege naturali obligamur operam dare, ut certa sit, quam habemus, cognitio Dei (§. 1140. *part. 1.*

Jur. nat.). Animus enim colendi Deum a cognitione viva dependet. Quod igitur hic de amore Dei demonstramus, id etiam intelligendum est de virtutibus ceteris, quibus praxis officiorum erga Deum continetur, nec idem in sequentibus repetemus, quod semel monuisse sufficit. Dictis vero adstipulatur experientia, quæ unumquemque docet cogitando de perfectionibus divinis nullum in se concitari amorem Dei, quando non convictus, aut ad veritatem persuasus fuerit, Deo revera compere perfectiones istas, de quibus cogitat. Tanta vero cum sit cognitionis vivæ necessitas, non solum si Deum amare velimus, sed etiam ut cetera officia erga ipsum lubenter exequamur; quæ de cognitione viva acquirenda & promovenda demonstravimus atque uberrime explicavimus (§. 249. *& seqq. part. 2. Phil. pract. univ.*), probe perpendenda & ad agnitionem Dei, quam exigit praxis officiorum erga ipsum, applicanda. Neque enim alio fine in Philosophia practica universali in genere demonstravimus, quæ ad praxin moralem pertinent, nisi ut ne multoties eadem sint repetenda, aut in specie prolixe demonstranda.

§. 224.

Gradus amoris Dei unde pendeat. Quoniam amor Dei oritur ex cognitione viva perfectionum divinarum (§ 223.), vivam vero efficit certitudo (§. 246. *part. 2. Phil. pract. univ.*), & voluptas, quæ Deum amans ex perfectionibus ipsius percipit (§. 1171. *part. 1. Jur. nat.*), tanto major est, quanto certius est nobis judicium de perfectione Dei, aut saltem videtur (§. 517. *Psych. empir.*); *amor Dei tanto major est, quanto certius nobis est, aut saltem videtur judicium de perfectione Dei.* Et quamvis voluptas, quæ ex re percipitur, tanto major est, quanto major est opinione nostra perfectio ejus creatrix (§. 516. *Psych. empir.*), quoniam tamen voluptati locus non est,

eſt niſi quatenus nobis ſumus conſcii perfectionis ſive veræ, ſive apparentis (§. 511. *Pſych. empir.*), ideoque aut certi ſumus, aut ſaltem certi nobis videmur, eam rei perfectionem ineſſe, quam eidem tribuimus; ipſa tamen quoque magnitudo perfectionis voluptatem non auget, niſi gradui certitudinis convenienter, conſequenter *amor Dei tanto quoque major eſt, quanto major eſt certitudo judicii noſtri de magnitudine perfectionis divinæ.*

Videmus itaque de gradu amoris, quo Deum proſequimur, judicium ferri non poſſe ex ſola perfectionum magnitudine, quatenus cognita ſupponitur; ſed in eo æſtimando potiſſimum rationem habendam eſſe certitudinis, qua quis eam cognoſcere ſibi videtur. Deus propter perfectionem, qua gaudet, amabilis eſt, & quatenus perfectio ejus abſolute ſumma eſt, nihil æque amabile eſt ſicuti Deus. Sed amabilitas non confundenda cum amore, quo Deum proſequitur homo ipſum amans. Illa nititur veritate; hæc opinione amantis de certitudine cognitionis perfectionum. Quamobrem cum non ſemper tanta ſit certitudo, quantam cognoſcens ſibi habere videtur; fieri tamen hoc non obſtante poteſt, ut intenſior ſit amor Dei, quam quem in alio concitat certitudo revera major. Atque idcirco difficile eſt judicium de gradu amoris Dei in caſu ſingulari dato, cum non conſtet, unde quis æſtimet magnitudinem perfectionum divinarum, qui non didicit ex notionibus diſtinctis de rebus judicare, & quanta ipſi videatur ea, cum qua perfectionem divinam comparat, nec nobis exploratum eſt, quam firmiter perſuaſus ſit, perfectionem iſtam Deo competere. Non jam attendere lubet ad ea, quæ certitudinem infirmare poſſunt, ne tantus oriatur amor, quantus oriri poterat, impedimentis remotis.

§. 325.

Quid faciendum, ut gradum amoris maximum obtentu nobis possibilem acquiramus.

Cum amor Dei tanto major sit, quanto certius nobis est, aut saltem videtur judicium de perfectione Dei, atque magnitudine perfectionis (§. 224.), major autem certitudo nequeat obtineri, quam si & a priori, & a posteriori convincimur veritatis eorum, quæ de Deo cognoscuntur, quia alius Deum agnoscendi modus præter hosce non datur; *ut eum amoris Dei gradum acquiramus, cujus capaces sumus, & via demonstrationis, & consideratione universi Deum agnoscere debemus.*

Quamvis jam sæpius inculcaverimus, nos in Ethica non agere nisi de iis, quæ de recto usu facultatum animæ in cultura virtutum ex principiis rationis demonstrari possunt, ideoque nec de amore Dei tradendum a nobis esse constet, nisi quæ usum facultatum nostrarum non excedunt; id tamen denuo repetendum esse duximus, ne in perversum trahantur, quæ a nobis docentur, quasi naturæ tribuamus, quod gratiæ Theologi tribuunt. Quando igitur affirmamus, majorem certitudinem eorum, quæ de perfectionibus divinis cognoscimus, obtineri non posse, quam si veritatis cum a priori vi demonstrationum in systemate datarum, cum a posteriori consideratione universi convincamur, & hinc inferimus, utroque modo Deum esse agnoscendum, ut amor Dei acquirat in nobis eum gradum, cujus capaces sumus; nobis non sermo est nisi de gradu amoris, qui recto facultatum nostrarum usu acquiri potest. Absit etiam ut existimes, nos hic definire velle gradum amoris, quem homo naturæ viribus acquirere valeat! Ostendimus, quid Deum amaturus facere debeat, ut lumine rationis ad amorem Dei adducatur. Quantum valeant vires, tentandum. Quid enim valeant, non disputando decidendum, sed experientia tentantem docebit. Quanquam vero nos non

non immiſceamus alienis nogotiis, ſed Theologis in totum relinquimus, quod ipſorum eſt; affirmare tamen nulli dubitamus, quod ea, quæ nos non tantum hic de amore Dei, ſed etiam in univerſa philoſophia morali tradimus, Theologo apprime utilia ſint in Theologia non ſolum morali, ſed etiam dogmatica, nec dubito fore etiam nonnullos, ſi non præſenti, ſaltem futuro tempore, qui illis in Theologia utentur, quemadmodum quidam uſi ſunt hiſce, quæ in Theologia naturali a nobis tradita ſunt. Obiter noto, quando dico, vi demonſtrationis in ſyſtemate Deum a priori agnoſci, conſideratione autem hujus univerſi a poſteriori; nos ad differentiam utriusque cognitionis reſpicere, quam in Pſychologia terminis iſtis indicavimus (§. 434. *Pſych. empir.*); quando vero in titulo partis primæ Theologiæ naturalis dixi, exiſtentiam & attributa Dei a poſteriori demonſtrari, in titulo autem partis ſecundæ, ea demonſtrari a priori, reſpexi ad principium, ex quo deducta eſt in utraque parte demonſtratio, ſecutus communem loquendi uſum, a quo mihi tanto minus recedendum eſſe duxi, quia ex titulo libri intelligi debet, quidnam in eo tractetur. Dici nimirum ſolet demonſtratio exiſtentiæ Dei a priori, qua ex definitione Dei deducitur exiſtentia ipſius: a poſteriori vero, ſi ea deducitur aliunde, ac ipſa Dei definitio ex aliunde demonſtratis conditur. Obſervandum quoque eſt, agnitionem Dei a poſteriori plurimum variare pro diverſitate ſubjectorum, ſive principia ſpectes, ex quibus deducuntur, quæ Deo tribuuntur, ſive modum, quo hæc ex illis inferuntur. Rudioribus ſufficiunt obſervationes communes ac inde petita argumenta ſuaſoria ipſorum captui accommodata; acutiores vero ſumtis obſervationibus tam communibus, quam multo ſtudio ac labore acquiſitis, inde legitima demonſtratione colligere debent Deo tribuenda, ut plena ſit convictio, quæ omni dubitationi viam præcludit. Quoniam enim is, cui amplior eſt facultatum & virium uſus, ad plura præſtanda obligatur, quam alius,

alius, cui non concessus est idem (§. 177. *part. 1. Jur. nat.*); quilibet quoque Deum colere debet suo modo, etsi officia, in quibus cultus consistit, eadem maneant. Amant rudiores Deum, amat Deum philosophus: facultatum tamen usus non prorsus idem est, quo in rudiori & in acutiori amor Dei determinatur. Falluntur qui nescio quam simplicitatem fingunt, ad cultum divinum requisitam, quæ ruditati vulgi convenit, & quam omnibus promiscue communem esse debere contendunt, cum quæ rudioribus sufficiunt ut persuadeantur, minime sufficiant acutioribus, ut convincantur. Ex adverso autem a veritatis tramite quoque aberrant, qui ad verum cultum divinum scientiam exasciatam requirunt, quæ in omnes cadere nequit, & argumenta suasoria ad opinionem ingignendam saltem apta & ex disciplinis vel eliminanda, vel accuratius evolvenda prorsus rejiciunt. Quod enim in acutioribus scientia, idem in rudioribus opinio efficit, & sic tandem utrique ad cultum Numinis lege naturali præscriptum ducuntur. Probe hæc notanda sunt, tum ut vitentur temeraria judicia, tum ut removeantur impedimenta cultus divini. Neque vero existimandum est, quasi profundior Dei agnitio non peculiarem habeat effectum. Acutiores enim, cum hinc sibi conscii sint perfectionis suæ, quæ in usu facultatum consistit, voluptate perfunduntur (§. 511. *Psych. empir.*), quæ non modo attentionem ad agnitionem Dei afferendam conservat, sed hanc ipsam quoque iisdem commendat, & molestiam arcet ex rudiori modo Deum agnoscendi oriundam, facultatum usui, cui adsueti sunt, minime conveniente, nec scientiam, quam amant, pariente.

§. 226.

De amore ardentiori rudiorum.

Quoniam amor Dei tanto major est, quanto certius amanti videtur judicium de perfectione Dei atque magnitudine ejusdem (§. 224.), fieri autem posse indies experi

perimur, ut qui opinione ſaltem perſuaſus eſt multo majorem certitudinem ſibi habere videatur, quam quem nonniſi ſcientia ſatiare valet; ideo *contingere poteſt, ut rudiores, quibus opinione ſaltem perſuaſæ ſunt perfectiones divinæ & qui eas modulo ſuo metiuntur, ardentius ament Deum, quam acutiores ad ſcientiam perfectionum divinarum adſpirantes.*

Conſtat experientia, quantum valeant opiniones, quibus animi tenelli a primis ungviculis imbuti, ut, ſi vel maxime abſurdæ ſint, difficillime tamen eradicari poſſint. Quamvis itaque opiniones iſtæ non nitantur niſi autoritate eorum, a quibus eædem ingenitæ ſunt; tanta tamen earum certitudo videtur, quantam de iis habemus, quæ de nobis ipſis experimur, aut præſentia ſenſu percipimus. Quamobrem ſi qui in ætate tenella docti fuerunt attributa divina, nulla prorſus ratione perſuaſa, horum notitia quaſi innata ipſis videtur, ut non ſine quadam repugnantia in dubitationem adduci poſſint. Opinio itaque ſua, quamvis ſola autoritate nitatur, omni alia ratione deſtituta, tam certa ipſis videtur, quam certam agnoſcit Geometra veritatem theorematum *Euclidis*, quorum ſcientiam via demonſtrationis conſecutus. Hinc contingit, ut aſſenſus ſui prorſus immoti ſibi conſcii, cum alios ex ſe judicare conſueverint, Dei quandam notitiam omni homini innatam eſſe putent, ut ejus exiſtentiam negantes vim naturæ ſuæ inferant, nec ſerio de eadem dubitare queant. Unde porro manavit opinio, quod impoſſibile ſit, ut dentur athei theoretici, & inde inferatur, nullam dari gentem, quæ nullum Dei ſenſum habeat. Inferunt vero inde alii, præſtare ut ſimus rudes, quam ut intellectum perficiamus, & perfectionem intellectus eſſe impedimentum pietatis. Et propterea porro ſibi perſuadent, quaſi ſtudium Matheſeos ad atheiſmum ducat, aut ſaltem cultores ſuos ad pietatis ſtudium ineptos reddat. Sed quantum a vero abſint præcipitata iſtiusmodi judi-

judicia, satis constat ex iis, quæ in anterioribus demonstrata & annotata fuerunt, nec fugit eum, cui non incognita sunt, quæ passim annotavimus in parte prima Ethicæ.

§. 227.

Quid doctrina profunda & solida conferat ad amorem Dei. *Doctrina profunda & solida de Deo amorem in Deum auget redditque constantem & omnimode rectum.* Qui enim animum doctrina profunda & solida excoluit, notiones perfectionum divinarum adæquatas habet (§. 293. *part. 1. Eth.*), & quod Deo competant, sufficienter demonstrare potest (§. 448. *Psych. empir.*). Quamobrem cum perfectiones divinas clarissime intelligat, ut nihil in iisdem supersit obscuritatis (§. 95. *Log.*), & plene convictus (§. 991. *Log.*) certus sit, eas Deo competere, ut uli dubitationi relinquatur locus (§. 982. 564. *Log.*); ex perfectionibus divinis eam percipit voluptatem, quæ perceptu possibilis (§. 516. 517. *Psych. empir.*). Quoniam itaque in hac delectatione amor Dei consistit (§. 1171. *part. 1. Jur. nat.*); doctrina solida & profunda de Deo amorem in Deum auget. *Quod erat primum.*

Enimvero quoniam qui doctrina profunda & solida de Deo animum excoluit, perfectiones divinas penitus intelligit, quantum nimirum usus facultatum humanarum sufficienter perfectarum permittit, & adversus omnes dubitationes munitum habet animum, *per demonstrata n. 1.* cumque amor in Deum totus dependeat a certitudine cognitionis perfectionum divinarum atque magnitudinis earundem (§. 224), nec fieri potest ut voluntas ab amore in Deum ullo modo avertatur, consequenter is constantem habeat voluntatem amandi Deum (§. 1062. *part. 1. Theol. nat.*).

Doctrina

Doctrina igitur profunda & solida de Deo amorem in Deum constantem facit. *Quod erat secundum.*

Denique cum doctrina profunda & solida de Deo ornatus perfectiones divinas penitus intelligat & quod Deo competant plenissime convictus sit *per demonstrata n. 1.* in agnitione perfectionum divinarum & magnitudinis earundem ex parte nullius facultatis ad cognitionem concurrentis quidpiam desiderari potest, consequenter cum ex agnitione Dei viva oriatur amor in Deum (§. 223.), nec quicquam in amore in Deum desiderari potest. Quamobrem cum omnis actio humana recta sit, in qua nihil desideratur ex parte ullius facultatis (§. 79. *part. 1. Phil. pract. univ.*); doctrina profunda & solida de Deo amorem in Deum reddit omnimode rectum. *Quod erat tertium.*

Amor in Deum nascitur ex cognitione viva perfectionum divinarum & magnitudinis earundem (§. 223.). Quamobrem nec major esse potest, quam quantus ex cognitione viva acquisitu possibili oriri potest, & rectitudo ejus dependet a rectitudine cognitionis vivæ, seu omnibus suis numeris absolutæ. Cognitio viva acquiritur recto facultatum cognoscendi usu. Cum enim ea in se jam spectetur, non attenditur influxus appetitus in determinationem usus facultatum cognoscendi. Quodsi hic rectus esse debet, cum homini naturalis non sit, sed acquirendus, intellectus non minus, quam facultates ceteræ perficiendæ sunt, quemadmodum in parte prima Ethicæ docuimus, & si cognitio viva recta esse debet, necesse est, ut omnes facultates cognoscendi ad eandem concurrant, nec in usu cujuslibet earum quicquam desideretur. Nihil hic asseritur, quod non cognitum atque perspectum sit ei, qui in operibus nostris anterioribus diligenter versatus est, ut superfluum existimemus in hisce stabiliendis esse prolixiores. Quamobrem patet, si rectitudinem amoris in Deum

omnimodam desideremus, eam esse æstimandam ex consentiente usu facultatum omnium cognoscendi legitimo modo perfectarum. Ita nimirum amor in Deum concipietur, qualis ab homine acquisitu possibilis. Quilibet vero, nisi præjudiciis præoccupatam, aut prorsus occœcatam habeat mentem, me vel tacente videt, a posse ad actum non valere consequentiam. Alia igitur quæstio est, utrum quis ad rectitudinem omnimodam amoris in Deum pertingere possit, nec ne; alia vero, quinam usus facultatum ad eam acquirendam requiratur. De priore inutilis est in philosophia disputatio, cum temerarium sit statuere limites, ultra quos progredi non liceat, quemadmodum jam alias me ostendisse memini. Posterior vero quæstio inutilis non est, quin potius maxime necessarium, ut in Ethica decidatur. Inde nimirum apparet, quænam sit meta, ad quam nobis contendendum. Experientia vero nos docebit, quam prope ad eandem accedere valeamus. Atque hæc tenenda sunt etiam de aliis, quæ in Ethica demonstrantur. Majorem certitudinem in cognoscendo non posse obtineri, quam si concurrat rectus usus omnium facultatum cognoscendi legitime perfectarum, ultro fatebitur, qui saltem perpendit, nonnisi usu harum facultatum ullius rei cognitionem a nobis acquiri posse. Excellentior autem usus facultatum concipi nequit, quam quo doctrina profunda & solida comparatur, quæ omnem claritatem affert ad penitus intelligendum, quod asseritur, & omnem evidentiam ad firmiter eidem assentiendum, ita ut veritas in luce meridiana sistatur. Quidni igitur doctrina profunda & solida amor in Deum insigne incrementum capiet, qui a certitudine cognitionis totus pendet (§. 224.)? Amoris constantia requirit animum immotum, qui cum tamdiu maneat immotus, quamdiu certitudo cognitionis non vacillat, quin doctrina profunda & solida amorem in Deum constantem efficiat, non dubitabit, qui quid sit doctrina profunda & solida

ſolida ſufficienter cognovit. Hauritur doctrina profunda & ſolida de Deo ex libris methodo philoſophica, ſeu ſcientifica conſcriptis (§. 294. *part. 1. Eth.* & §. 449. *Pſych. empir.*), & confirmatur conſideratione hujus univerſi: quod cum ſupra jam oſtenderimus (§. 219.), non opus eſt, ut id denuo repetatur. Doctrinæ autem profundæ ac ſolidæ mentionem expreſſam ideo fecimus, ut removeamus præjudicium, quaſi ea amori in Deum adverſetur eundemque prorſus extingvat. Poteramus quoque urgere influxum idearum præcedentium, quas offert analyſis notionum, in claritatem idearum perfectionum divinarum, & demonſtrationum ſucceſſive perſpectarum in evidentiam veritatis, quæ parit certitudinem, quod eædem Deo competant, vi analyſeos demonſtrationum; ſed nolumus jam ad receſſus in animo explicandos progredi, quorum vim in movendum appetitum in ſe poterit experiri, qui doctrinæ profundæ ac ſolidæ ſedulam operam navaverit.

§. 228.

De amore in Deum repræſentatione beneficiorum concitando.

Qui Deum amare vult, beneficia divina ſibi repræſentare debet. Beneficiorum enim repræſentatione concitatur gratitudo (§. 789. *Pſych. empir.*), conſequenter cum hæc in amore benefactoris conſiſtat (§. 784. *Pſych. empir.*), amor benefactoris. Quodſi ergo nobis repræſentemus beneficia divina, amor quoque Dei concitabitur. Quamobrem qui Deum amare vult, beneficia divina ſibi repræſentare debet.

Si conſideratione perfectionum divinarum amor in Deum concitetur, Deus amatur, quia bonus in ſe: ſi vero conſideratione beneficiorum divinorum is concitetur, Deus amatur quia bonus in nos. Oſtendimus vero, Deum eſſe amandum tum quia bonus in ſe, hoc eſt, quatenus ſumma perfectione gaudet (§. 1170. *part. 1. Jur. nat.*), tum

quia bonus in nos (§. 1173. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem Deum amaturus non modo perfectionem Dei summam, verum etiam beneficia divina, seu bona in se a Deo collata agnoscere tenetur. Cum amor Dei facilius concitetur consideratione bonorum in nos collatorum, quam ceterarum perfectionum, quia facilius agnoscuntur, exclusa omni formidine oppositi, quam perfectiones ceteræ, quibus gaudet, sive eædem vi demonstrationis ex systemate, sive consideratione hujus universi agnoscantur, sicuti unusquisque in se potest experiri; consultum omnino est, ut amor Dei primum concitetur consideratione beneficiorum divinorum, & deinceps fiat progressus ad concitandum quoque amorem consideratione perfectionum divinarum. Immo patebit ex sequentibus, quod si quis amat Deum, quia bonus in ipsum est, amor hic ipsum ducat ad Deum amandum etiam, quia bonus in se est. Absit itaque ut amorem Dei consideratione beneficiorum concitatum tanquam interessatum damnes & pro puro, ideoque ab omni labe immuni saltem habeas eum, qui consideratione perfectionum divinarum concitatur! Puritas amoris priori quoque modo concitati ex sequentibus clarius elucescit. Ad beneficia divina agnoscenda faciunt ea, quæ de bonitate divina agnoscenda demonstravimus (§. 42. & *seqq.*). Sed cum de his infra, quando de grato in Deum animo acturi sumus, plura dicenda nobis erunt; quæ de modo considerandi beneficia divina dici poterant, alii loco reservamus.

§. 229.

De quotidiana renovatione amoris in Deum.

Quoniam amor in Deum beneficiorum divinorum repræsentatione concitatur (§. 228.), nullus vero præterit dies, in quo non plura beneficia in nos a Deo conferuntur, quemadmodum unusquisque observare potest, modo Deum tanquam datorem omnis boni agnoscat (§. 42.), & quænam in bonorum numerum referenda sint non

non ignoret (§. 43. & *seqq.*); *consideratione beneficiorum divinorum amor in Deum quotidie capit novum incrementum*, & *renovat amorem jam antea in nobis consideratione quoque perfectionum divinarum concitatum*, consequenter *quotidiana renovatione altiores agit in animo radices.*

Si beneficiorum consideratione concitatur amor, aucto beneficiorum numero augebitur quoque amor. Quoniam itaque quotidie accipimus a Deo beneficia nova, quæ in memoriam quoque nobis revocant præterita & memoriam eorum conservant, si quotidie beneficia divina a Deo accepta consideremus, quamvis distincto a nobis recenseri non possint, amor quoque in Deum consideratione quotidianorum beneficiorum indies nova capiet incrementa. Ut recte intelligantur, quæ de conservatione memoriæ beneficiorum divinorum præteritorum dicuntur, nec in dubitationem adducantur, aut ne prorsus ad impossibilia referantur; perpendendum est, quomodo memoria numerorum minorum in idea majoris conservetur. Constat numeros oriri ex continua unitatis additione, & nos notionem binarii acquirere, si cogitemus unitatem unitati; ternarii vero, si cogitemus binario unitatem addi & ita porro. Binarius igitur intelligibilis, quatenus conservatur memoria additionis ad unitatem, & ternarius intelligibilis, quatenus conservatur memoria additionis unitatis ad binarium, & ita porro. Nemo ea de re dubitabit, qui animum advertit, quomodo, dum numerare discimus, notiones numerorum acquiramus. Notiones igitur omnium numerorum minorum usque ad unitatem, quod numerorum principium est, influxu suo lucem affundunt notioni numeri cujuscunque, ut is clare percipiatur, quatenus confuse meminimus omnium minorum inter unitatem & numerum datum interjectorum. Patet quoque idem ex analysi numeri dati, qua distincte concipitur. Quodsi igitur quotidie tibi repræsentes benefi-

cia

cia die præterlapso a Deo in te collata & animum attendas ad incrementum eorundem, quatenus eorum numerus augetur novis ad præterita accedentibus, non minus confuse perceptorum memoria conservatur in notione multitudinis beneficiorum, quibus a Deo ornatus es, utut in potestate tua non sit sigillatim enumerare omnia. Multa enim in perceptionibus confusis continentur, in quæ hasce resolvere non possumus: quo tamen non obstante, influunt in determinationem appetitus. Cartesianis equidem, qui non admittunt in anima, nisi quorum nobis conscii sumus, consequenter quæ nonnisi clare percipiuntur, hic aqua hæret; sed qui in Psychologia, præsertim rationali, satis versati sunt, nihil difficultatis sentient. Pertinent hæc ad latebras & recessus in animis hominum, quorum nulla reddi potest ratio ex hypothesi Cartesiana, vi cujus multa inexplicabilia in anima humana admittenda sunt. Velim saltem perpendantur ea, quæ de analysi demonstrationum ostendimus (§. 292. *Log.*), per quam patet successiva generatio assensus firmi, & unde evidentia veritatis a primis principiis procul remotæ pendet (§. 993. *Log.*). Quodsi quis hebetior fuerit, quam ut hæc capere possit; is tamen concedere tenetur, quotidianam beneficiorum die elapso in nos a Deo collatorum repræsentationem nobis ingignere notionem multitudinis continuo auctæ, utut eam ineffabilem pronunciat, nec in dubium vocare poterit, se conservare memoriam beneficiorum singulis diebus acceptorum, quatenus scilicet meminit nullum præteriisse diem, in quo non multis beneficiis a Deo fuerit ornatus. Quamobrem cum multitudo beneficiorum augeat amorem; nec fieri potest, quin is indies nova capiat incrementa, si quotidie expendamus, quænam beneficia ad præterita jam accesserint. Dum vero de beneficiis hoc die acceptis non cogitatur sine memoria præteritorum, amor quoque, quo Deum ob eadem prosecuti sumus, in memoriam revocatur & si Deum quo-

que

quoque amare didicimus consideratione perfectionum divinarum, hujus quoque amoris meminimus, sicque idem in nobis renovatur. Patet horum ratio ex natura animæ ex Psychologia empirica saltem perspecta. Enimvero si animum attendimus ad habitum, quomodo scilicet is iteratis exercitiis acquiratur & augeatur, vel inde intelligere poterimus, hoc modo amorem in Deum altiores continuo in animo radices agere, ita ut ex eo nonnisi difficulter evelli possit. Præsens igitur propositio nos docet, quomodo in amore Dei continuo crescamus.

§. 230.

Deum amans ob beneficia accepta bonitate ejus delectatur.

Qui Deum amat ob beneficia accepta, voluptatem ex bonitate divina percipit. Qui enim Deum amat ob beneficia accepta, Dei bonitatem sibi repræsentat (§. 695. *part. 1. Theol. nat.* & §. 21. *part. 4. Jur. nat.*). Sane bonitas Dei agnoscitur consideratione bonorum in nos collatorum (§. 42. & *seqq.*). Quamobrem si voluptate perfunditur animus, dum Deum amamus, quia bonus in nos est (§. 1171. *part. 1. Jur. nat.*), voluptas ex bonitate divina percipitur.

Amare Deum ob beneficia accepta idem omnino est ac bonitate Dei delectari: neque enim amor Dei alius esse potest, quam qui in voluptate percepta ex ipsius perfectionibus consistit (§. 1171. *part. 1. Jur. nat.*), quarum in numero quoque bonitas ipsius est. Qui amorem interessatum fingunt, quasi Deus ametur, ut beneficia in nos conferat, sicque amore in Deum collatio beneficiorum intendatur tanquam finis; notionem amoris in Deum nonnisi deceptricem habent: neque enim fieri potest, ut Deum amemus ea solum intentione, ut beneficia ab eodem accipiamus. Aliud est delectari beneficiis, aliud delectari bonitate Dei ex beneficiis agnita. In casu priori beneficia, non Deum amamus (§. 654. *psych. empir.*); in posteriori amamus De-

um (§. 1171. *part. 1. Jur. nat.*), fit ita quod etiam amemus beneficia & ex amore beneficiorum amor in Deum procedat. Quando vero amor in Deum ex amore beneficiorum procedit, beneficia quidem motivum sunt amoris divini (§. 887. *Psych. empir.*), quatenus nimirum bonitatem Dei amabilem reddunt; non tamen inde labem quandam contrahit amor in Deum, qui in voluptate ex bonitate Dei percepta subsistit. Quodsi in amore beneficiorum subsistere vellemus, amorem Dei saltem simularemus (§. 716. *part. 2. Phil. pract. univ.*), ut eum ad beneficia conferenda permoveremus: id quod quidem fieri potest, si cum homine nobis sit negotium, qui sibi patitur imponi, non tamen succedit, si a Deo, modificationes omnes animæ quam distinctissime cognoscente (§. 99. *part. 2. Theol. nat.*), beneficia expectamus. Lucem hisce affundunt, quæ supra de influxu præmii licito in obedientiam diximus (§. 213.).

§. 231.

Amor in Deum quia bonus in nos sub amore complacentiæ continetur.

Quoniam Deum amans ob beneficia accepta voluptatem percipit ex bonitate ipsius (§. 230.), amor vero complacentiæ est qui in sola voluptatis perceptione ex perfectionibus divinis, quarum in numero etiam est bonitas divina, consistit, & qui solus Deo convenit (§. 1171. *part. 1. Jur. nat.*); *amor in Deum consideratione beneficiorum in nos collatorum concitatus sub amore complacentiæ Deo debito continetur.*

Amor in Deum consideratione beneficiorum concitatus non debet contradistingvi amori consideratione perfectionum divinarum concitato, sed potius considerari tanquam pars amoris divini. Deum amare idem est ac perfectionibus divinis delectari. Quamobrem tot concipiuntur veluti amoris in Deum partes, quot sunt attributa divina, quibus dele-

delectamur. Quemadmodum itaque non peculiaris quidam amor est, si delectamur sapientia divina; ita nec peculiaris amor censendus, si bonitate divina delectamur. Quamobrem si Deum amamus, quia bonus in nos, eum revera amamus, quia bonus in se, hoc est, quia summa perfectione gaudet. Quando enim Deum consideremus tanquam bonum in nos, beneficia saltem suscitant amorem, quo eum amamus, quia in se bonus est, quatenus nobis insinuant ideam bonitatis divinæ. Placet nobis bonitas divina, quia placent beneficia; sed quatenus bonitatem divinam consideramus tanquam Deo convenientem, seu attributum ipsius, ipse Deus placet. Quoniam vero bonitas divina extenditur ad omnes creaturas (§. 698. *part. 1. Theol. nat.*); voluptas quoque percepta ex bonitate Dei latius patet, quam ea, quam consideratio bonorum in nos saltem collatorum parit. Quamvis itaque Deum amare debeamus, quia bonus in nos est; eundem tamen quoque amare debemus, quia bonus est non modo in alios, sed in omnes creaturas suas. Non diversæ fingendæ sunt amoris in Deum species; sed amor in Deum saltem considerandus est in omni sua latitudine, quam perfectiones divinæ distincte agnitæ indicant. Multo minus autem comminisci debemus aliquam diversitatem amoris, quia horum, vel aliorum consideratione perfectiones divinas nobis repræsentamus. Ceterum ex iis, quæ de Deo amando ob beneficia in nos collata hactenus dicta sunt, intelligitur, quam sit necesse, ut, quæ vi demonstrationis de Deo cognovimus, etiam experientia consideratione illorum, quæ in hoc universo nobis observare datur, confirmemus.

§. 232.

Amor quo Deus nos amat, motivum est amoris nostri in Deum. Etenim ex beneficiis a Deo in nos collatis agnoscimus, quod Deus nos amat (§. 700. *part. 1. Theol. nat.*). *Motivum amoris in Deum.*

Enimvero consideratione beneficiorum divinorum amor in Deum concitatur (§. 228.). Amor igitur, quo Deus nos amat, est ratio sufficiens amoris in Deum (§. 56. *Ontol.*). Quamobrem cum ratio sufficiens, cur Deum amare velimus, sit motivum amoris in Deum (§. 887. *Psych. empir.*); amor, quo Deus nos amat, motivum est amoris Dei.

Motivum hoc efficacius est, si cogitemus, quod Deus nos prior amaverit, antequam ipsum amavimus, immo antequam de ipso amando cogitare potuimus. Etenim nobis benefecit, cum adhuc in utero materno existeremus, & a prima infantia bonis nos cumulare nunquam cessavit. Deus igitur amore suo nos invitat ad amorem sui. Hoc motivum multo illustrius est in Theologia revelata, quæ singularia prorsus beneficia Dei nos docet, rationis captum transcendentia, & iis, quæ lumine rationis agnoscimus, multo majora. Urget hoc motivum *Johannes*, amore in Deum atque homines plenus, I. c. IV. 19. Neque dubitandum est, quin ejus efficaciam in se ipso fuerit expertus, ideoque nos etiam ad amorem in Deum eodem incitet amore in nos permotus.

§. 233.

Quo tendat amor Dei activus.

Amor, quo Deus nos amat, tendit ad felicitatem nostram promovendam & infelicitatem depellendam. Amor enim, quatenus in nobis existit, tendit ad promovendam felicitatem amati (§. 292. *part. 2. Eth.*). Quamobrem cum Deus nos amet (§. 704. *part. 1. Theol. nat.*) ac felices esse velit (§. 706. *part. 1. Theol. nat.*), ut vero simus infelices velle nequeat (§. 707. *part. 1. Theol. nat.*), nec ipsi tribuatur affectus, nisi quatenus voluptas ex felicitate entium a se diversorum percipienda connotat voluntatem hujus felicitatis

tatis (§. 238. *part. 2. Theol. nat.*); amor, quo Deus nos amat, tendit ad felicitatem nostram promovendam & infelicitatem depellendam.

Amorem Dei distingvere licet in activum & passivum, ita ut *Amor Dei activus* dicatur, quo is nos amat & creaturas ceteras omnes, & *passivus*, quo nos eundem amamus, & qui *Amor in Deum* quoque vocatur ad evitandam ambiguitatem. Amor Dei activus, seu quo is amat creaturas suas, præsertim homines, cum Deus careat appetitu sensitivo, in quo amor humanus residet, ad volitionem felicitatis & nolitionem infelicitatis nostræ tandem redit, quatenus voluptas, quæ ex felicitate percipitur, denotat voluntatem approbantem (§. 214. *part. 2. Theol. nat.*), nec molestia ex infelicitate nostra percipienda in Deo concipitur nisi per noluntatem reprobantem (§. 221. *part. 2. Theol. nat.*) & voluntatem contrarii (§. 222. *part. 1. Theol. nat.*). Quodsi ergo cognoverimus, quomodo ea, quæ de Deo humano more dicuntur, naturæ divinæ convenienter explicanda sint; nullum nobis supererit dubium, quin amor Dei activus tendat ad felicitatem nostram promovendam & infelicitatem depellendam. Atque hoc probe notandum est, si amor Dei activus motivum esse debet amoris nostri in Deum. Cum enim homo per naturam suam felicitatem appetat (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*), infelicitatem aversetur (§. 325. *part. 2. Phil. pract. univ.*); amor, quo Deus nos amat, attrahit amorem, quo nos ipsum amamus. Quodsi omnia ista intime nobis perspecta sint, quemadmodum perspecta esse possunt, si sedulam disciplinis, quos supponit Ethica (§. 9. *part. 1. Eth.*), operam navaverimus; tum demum penitus quoque intelligitur, quomodo amor Dei activus gignat in nobis passivum, seu quomodo fiat, ut Deum amemus, quia prior nos amavit. Vulgi omnino non est hæc scientia, nec ea fini traditur, ut vulgus ad eandem perducatur; philosophi tamen est, ut cognoscat,

quomodo amor, quo Deus nos amat, provocare in nobis possit amorem in Deum. Qui vero hoc penitus cognoscit, ei scientia utilis erit ad motivum hoc amoris in Deum etiam vulgo efficacius inspirandum.

§. 234.

Quo tendat amor Dei passivus.

Amor, quo nos Deum amamus, tendit ad voluptatem ex felicitate ipsius summa percipiendam & ad studium faciendi, quæ Deo placent. Deo competit felicitas absolute summa (§. 226. *part. 2. Theol. nat.*), nec nos ad eandem quicquam conferre valemus (§. 227. *part. 2. Theol. nat.*). Quamobrem cum fieri non possit, ut amor, quo Deum amamus, tendat ad felicitatem ipsius promovendam, ideoque multo minus ad infelicitatem, quæ in Deum minime cadit (§. 205. *part. 2. Theol. nat.*), depellendam, quemadmodum fieri solet, si homo hominem amat (§. 292. *part. 2. Eth.*), vel etiam Deus hominem; nihil utique restat, quam ut felicitate Dei summa delectemur (§. 640. *Psych. empir.*). Amor igitur, quo nos Deum amamus, tendit ad voluptatem ex felicitate ipsius summa percipiendam. *Quod erat unum.*

Enimvero cum homini naturale sit, ut voluptatem ejus appetat, quem amat (§. 650. *Psych. empir.*), eidemque voluptatem creare studeat (§. 652. *Psych. empir.*); qui Deum amat, lubentissime Deo voluptatem creare vellet, modo id possibile foret. Quoniam itaque agnoscit, id fieri minime posse (§. 227. *part. 2. Theol. nat.*), Deo autem placere concipitur, si faciamus, quod a nobis fieri vult, quatenus voluntas approbans loco voluptatis est ex facto nostro perceptæ (§. 214. *part. 2. Theol. nat.* & §.

540. *Psych. empir.*); amor, quo Deum amamus, tendit ad studium faciendi, quæ Deo placent. *Quod erat alterum*

Amor noster per se tendit ad felicitatem amati promovendam & infelicitatem depellendam, consequenter amanti Deum non deesset voluntas ad felicitatem Dei conferendi quantumvis, siquidem id fieri posset. Enimvero cum natura Dei non ferat felicitatis ullum augmentum, eaque ab omni creatura sit prorsus independens (§. 227. *part. 2. Theol. nat.*), voluntas illa non subsistit eodem modo, quo subsistere solet, quando hominem amamus, & nobis desunt vires, quamvis sit voluntas eidem voluptatem creandi; sed excitat voluptatem ex felicitate Dei summa percipiendam, quia talem agnoscimus, ut nullius ope ad eam augendam indigeat, gaudentes nimirum, quod jam habeat, quod nos conferre vellemus, siquidem in facultatibus nostris esset. Hinc porro nascitur cupiditas quovis modo declarandi hanc voluntatem, quam habere mallemus, nisi impossibilitas objecti eam abjicere nos cogeret, & sic amor nos ducit ad studium faciendi, quæ Deus approbat, ideoque placere ipsi concipiuntur. Inde est, quod Deum amans impotentiam suam agnoscens Deo bonum reddendi, quo amorem suum ipsi declaret, de eadem conqueratur, quando ad Deum preces fundit animo sincero. Sed qualis sit animus amantis Deum, omnium optime intelligit, qui Deum actu amat, ut eum in seipso experiatur. Pauci omnino sunt, qui satis intelligere possunt, quomodo ea naturæ divinæ convenienter interpretanda sint, quæ de Deo, aut respectu Dei humano more dicuntur. Quamobrem si quæ in horum numero fuerint, quæ in nobis ipsis experiri possumus; qui hebetiores sunt, quam ut eorum scientiam capere queant, notiones confusas, qaas propria suggerit experientia, distinctis recte præferunt. Acutioribus vero convenit, ut confusas ad distinctas reducant & consensus confusarum cum distinctis convincantur.

§. 235.

§. 235.

Quibusnam Deus placeat. *Qui Deum amat, ei Deus placet.* Etenim qui Deum amat, ex perfectionibus Dei (§. 1171. *part. 1. Jur. nat.*), ac inprimis ex bonitate ipsius voluptatem percipit (§. 230.). Quoniam igitur id nobis placet, ex quo voluptatem percipimus (§. 542. *Psych. empir.*); Deus quoque nobis placet, si ex ejus perfectionibus voluptatem percipimus.

Voluptatem ex re percipimus, quatenus nobis conscii sumus perfectionis cujusdam eidem competentis (§. 511. *Psych empir.*), & ideo res illa nobis placet ob perfectionem ipsi convenientem. Quamobrem cum voluptate perfunditur animus, quando nobis perfectionis Deo competentis conscii sumus; voluptas revera percipitur ex Deo, & is nobis placet ob perfectionem ipsi competentem. Quando vero dicimus nos ex perfectione quadam voluptatem percipere, tunc per fictionem eam in abstracto consideramus tanquam ens extra suum subjectum existens, neque amplius eundem consideramus tanquam aliquid, quia inexistit alteri. Ecquis enim est qui nesciat, ita in communi sermone accidentia repræsentari, dum nominibus substantivis significantur? Nec fert aliter abstractorum ratio.

§. 236.

Quomodo obtineamus, ut Deus nobis placeat. Quoniam qui Deum amat, ei Deus placet (§. 235.), amor vero in Deum concitatur agnitione Dei viva (§. 223.); *qui operam dare vult, ut Deus sibi placeat, operam dare tenetur, ut vivam Dei cognitionem acquirat*, consequenter *certam* (§. 246. *part. 2. Phil. pract. univ.*).

Dantur falsæ de Deo opiniones, quæ impediunt, quo minus homini placeat Deus. Dedimus superius exemplum, si quis Deum legislatorem sibi repræsentet tanquam dominum

num superbum, qui imperandi gloria delectetur & honoris cupidus jugum servile hominibus imponat (§. 188.). Sane qui Deum sibi hoc modo repræsentant, iis Deus minime placet, cum mallent non existere Deum. Ex adverso quoque Deus tanquam amabilis repræsentatur, si agnoscimus eum qua legislatorem induere personam patris saluti liberorum suorum jussu suo consulere studentis (§. 189.). Nemo profecto erit, cui Deus non placeat, si hoc modo eundem sibi repræsentet. Deus summe amabilis est, ita ut non detur ens aliud, quod æque amabile sit (§. 230. *part. 2. Theol. nat.*), & quidem ideo, quod non detur ens aliud, quod magis placere possit, quam Deus (§. 204. *part. 2. Theol. nat.*). Quamobrem ut nobis placeat, necesse saltem est, ut amabilitatem Dei agnoscamus. Hæc ipsa autem nobis innotescit si perfectiones divinas rite agnoscamus. Deum esse amabilem ultro fateri tenetur, qui sumit, perfectiones summas eidem competere. Quamprimum vero pro certo habet, existere Deum ipsique has perfectiones revera competere, Deus quoque amabilis fiet ipsi atque placebit.

§. 237.

Quid faciendum, ut Deo placeamus.

Qui operam dare vult, ut ipse Deo placeat; operam dare tenetur, ut Deo sese obedientem præbeat. Qui enim Deo obedit voluntatem suam Deo dat, nec habet homo aliud, quod Deo dare possit (§. 179.), Deum esse dominum suum, se servum ipsius ipso facto confitetur (§. 182.) & gloriam Dei obedientia sua promovet (§. 183.). Quamobrem cum Deus obedientiam a nobis exigat (§. 1166. *part. 1. Jur. nat.*), & velit ut eum dominum nostrum agnoscamus (§. 966. *part. 1. Theol. nat.* &. §. 1129. *part. 1. Jur. nat.*), atque voluntas Dei nobis sit loco voluntatis propriæ (§. 971. *part. 1. Theol. nat.*), atque gloriam ipsius

ipsius promoveamus (§. 1148. *part. 1. Jur. nat.*); qui Deo voluntatem suam dat, Deum esse dominum suum, se servum ipsius ipso facto confitetur & obedientia sua gloriam Dei promovet, is facit, quod Deus vult ut faciat, & propter quod eum condidit (§. 115.). Quin igitur Deo placeat, dubitandum non est (§. 207. *part. 2. Theol. nat.* & §. 205. 206. *h.*). Quare qui operam dare vult, ut ipse Deo placeat, operam dare tenetur, ut Deo sese obedientem præbeat.

Natura non agnoscimus modum alium, quo Deo placere possimus, quam ut nos obedientes eidem præbeamus. Non hic definimus vires ad obedientiam Deo præstandam sufficientes. Quamobrem absit ut tibi persuadeas, nos naturæ vires in nimium extendere, vel propositionem præsentem contrariam esse iis, quæ in Theologia revelata de insufficientia eorundem docentur, & quomodo defectus suppleatur. Hominem placere Deo, si sit obediens, hoc etiam modo ostenditur. Qui Deo se obedientem præbet, actiones suas legi naturæ conformat (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.* & §. 284. *part. 1. Phil. pract. univ.*), consequenter se statumque suum perficit, quantum in potestate est (§. 152. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum Deo nil placeat, nisi quatenus perfectum est (§. 207. *part. 2. Theol. nat.*); Deo placet, qui sese obedientem eidem præstat. Hebetioribus satisfacit, si cogitent, se servos Dei esse (§. 968. *part. 1. Theol. nat.*): nam absque ulteriori probatione admittit, servum placere domino, si fuerit obediens, & obedientiam esse, qua sese domino commendare possit.

§. 238.

Amor Dei motivum obedientiæ. Quoniam qui Deo placere vult, sese obedientem ipsi præbere debet (§. 237.), amor autem in Deum tendit ad studium faciendi, quæ Deo placent (§. 234.); *amor in*

in Deum obedientiæ incitamentum est, consequenter cum obedientia comprehendat præstationem omnium officiorum erga Deum (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.* & §. 226. *part. 1. Phil. pract. univ.*), *ad quævis officia erga Deum præstanda nos impellit*, & ideo *quoque ad pietatem* (§. 1128. *part. 1. Jur. nat.*). Et eodem modo patet, *amorem in Deum nos incitare ad officia cum erga nos ipsos, tum erga alios.*

Nimirum obedientia voluntati divinæ (§. 1164. *part. 1 Jur. nat.*), ideoque legi naturæ omnes actiones nostræ conformantur (§. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*); actiones autem juxta legem naturæ determinatæ sunt officia erga Deum, erga nos ipsos & erga alios (§. 224. 226. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Atque ita ex amore Dei fluit præstatio omnium officiorum.

§. 239.

Facilitat præstationem omnium officiorum.

Quoniam amor in Deum nos ad officia omnia naturalia incitat (§. 238.); *si amor Dei altas in animo radices egit, præstationem omnium officiorum erga Deum, erga nos ipsos & erga alios facilitat.*

Si omnes officiorum partes adimplere studemus, quia Deum amamus, ex purissimo fonte manat ac crescente indies amore corroboratur officiorum præstatio. Quamobrem cum tunc officia fluant ex eo, quod a Deo præceptum est (§. 1172. *part. 1. Jur. nat.*); nulla quoque labe inficiuntur (§. 598. *part. 2. Eth*), & sic ex animo puro procedunt (§. 599. *part. 2. Eth.*). Ad puritatem animi naturaliter obligamur (§. 604. *part. 2. Eth.*). Quamobrem quoque operam dare debemus, ut officia omnia faciamus, quia Deum amamus, ita ut omnium præstatio sit cum amore Dei conjuncta. Hinc vero non uno modo colligitur, quantum noceat virtuti neglectus atque contemtus amoris in

Deum, & quam pestiferi sint, qui atheismum & deismum disseminant, amorem in Deum eradicare conantes. Sane non datur medium facilius præsertim vulgus imperitum ad virtutem adducendi, quam si animis tenellis a primis unguiculis amor Dei ingignatur, ac deinceps continuo foveatur & augeatur. A scopo vero aberrant, qui nonnisi minis continuis, quibus impii deterrendi sunt a pravis actionibus, ad implenda officia homines impellere conantur.

§. 240.

An amor Dei ab agnitione ipsius separari possit.

Qui Deum non amat, eum non agnoscit. Etenim qui Deum non amat, ex perfectionibus divinis voluptatem nullam percipit (§. 1171. *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero homini naturale est, ut, quando sibi conscius est perfectionum, animus voluptate perfundatur (§. 511. *Psych. empir.*), tantoque majore, quo major fuerit perfectio (§. 516. *Psych. empir.*). Quamobrem cum Deus sit ens perfectissimum absolute tale (§. 14. *part. 2. Theol. nat.*); fieri non potest, ut Deum agnoscamus, ex ipsius autem perfectionibus voluptatem nullam percipiamus. Quamobrem qui Deum non amat, eum non agnoscit.

Ostendimus jam superius, amorem Dei nasci ex cognitione viva (§. 223.). Quamobrem ut Deum agnoscamus non sufficit, ut saltem noverimus, qualia Deo tribuantur attributa, multo minus, ut nobis saltem cognita sint nomina, quibus eadem indigitantur; sed requiritur, ut certum nobis sit, Deum existere atque ipsi convenire attributa ista (§. 246. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Absit itaque, ut tibi persuadeas, experientiam propositioni præsenti repugnare, quod videas homines amore in Deum prorsus vacuos, qui tamen pulchre de ipso disserere didicerunt. Aut enim non convicti sunt veritatis eorum, quæ docent alios, aut adsunt rationes, cur amor statim suffocetur, quamprimum emer-

emergit. Verum manet, quod Iohannes affirmat, I. c. IV. 7. qui Deum non diligit, eum non nosse Deum, quæ est ipsa propositio præsens aliis saltem verbis enunciata. Datur omnino necessarius nexus inter amorem Dei & agnitionem ejus, ita ut ab hac ad illum & contra valeat argumentatio.

§. 241.

Dilectio Dei est voluntas faciendi ea, quæ Deo placent. Et *Charitas* est virtus, qua Deum diligimus, seu habitus diligendi Deum. *Quid sit dilectio Dei & charitas.*

Amor ad appetitum sensitivum refertur; dilectio vero ad appetitum rationalem, seu voluntatem. Habitus agendi, in quo virtus consistit (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ab actu differt, & ideo habitus diligendi vocatur charitas. Ita distinximus amorem, dilectionem & charitatem, cum de officiis erga alios ageremus (§. 617. & *seqq. part. 1. Jur. nat.*). Dilectionem alterius definivimus per voluntatem constantem & perpetuam felicitatem alterius promovendi, seu omni studio id agendi, ut alter fit felix, ac cauendi, ne fiat in felix (§. 617. *part. 1. Jur. nat.*). Et in hoc sensu sumitur dilectio in definitione charitatis hominum (§. 620. *part. 1. Jur. nat.*). Cum Deo competat felicitas absolute summa (§. 226. *part. 2. Theol. nat.*), nec homo quicquam ad felicitatem Dei conferre possit (§. 227. *part. 1. Theol. nat.*); facile apparet, dilectionem Dei, consequenter & charitatem non posse accipi in eo significatu, quo sumitur de homine. Cum amor in hominem tendat ad promovendam felicitatem ipsius & depellendam infelicitatem ab eo (§. 292. *part. 2. Eth.*), atque dilectio hominis consistat in actu, ad quem tendit amor; dilectio quoque Dei recte dicetur actus, ad quem tendit amor in Deum. Quoniam itaque amor in Deum tendit ad studium faciendi ea,

quæ Deo placent (§. 234.); Deum diligere dicendi sumus, quatenus ea facere studemus, quae Deo placent, & in hoc significatu sumenda est dilectio in charitate Dei. Ostendimus antea, quod Deo placere studeamus, si nos eidem obedientes præbeamus (§. 237.). Quamobrem ne obedientia cum charitate confundatur, necesse est, ut quomodo a se invicem differant explicemus. Nimirum qui Deo sese obedientem præbet, facit quæ Deus vult & facere non vult, quæ Deus non vult ut faciat: qui Deo placere studet, similiter facit, quæ Deus vult, & facere non vult, quæ Deus non vult ut faciat. Atque in eo conveniunt obedienta & charitas. Utraque nimirum est compositio actionum suarum ad voluntatem divinam. Enimvero qui obedit Deo, actiones suas voluntati divinæ conformat, quia Deus vult ut hoc faciat: qui vero Deum diligit, actiones suas voluntati divinae conformat, quia hoc Deo placet, seu Deus approbat factum suum. Atque in hoc differentia charitatis & obedientiæ consistit. Obediens nimirum intendit, ut voluntas Dei sit sibi loco propriæ voluntatis & ne desit officio suo: diligens vero intendit, ut Deo placeat & Deo se amabilem reddat. Diversi itaque actus influunt in obedientiam, & in charitatem. Quoniam tamen actiones tuas voluntati divinæ conformare potes utraque intentione simul, immo utraque accedere debet ad conformationem hanc, ne quid in ea desideretur: obedientia cum charitate conjungenda, nec virtutes hæ a se invicem disjungendæ.

§. 242.

De mediis charitatis & consensu appetitus sensitivi & rationalis.

Quia charitas Dei consistit in habitu diligendi Deum, dilectio autem in studio placendi Deo (§. 241.), qui vero Deo placere vult, eidem sese obedientem praebere debet (§. 237.) & studium placendi Deo ex amore Dei ortum trahit (§. 234.): *quæ de mediis obedientiæ atque amoris in Deum demonstrata sunt, ad charitatem Dei acquirendam quoque faciunt*

unt; & quatenus charitati locus non est absque amore, amor autem in appetitu sensitivo residet, *charitate appetitus rationalis ad consensum cum sensitivo reducitur, quem regit intellectus,* quatenus nimirum agnitione perfectionum divinarum (§. 218.) & beneficiorum a Deo acceptorum amor concitatur (§. 228.)

Amor, dilectio & charitas vulgo a se invicem non distingvuntur, imo in patrio sermone amor & charitas, amare & diligere uno saltem vocabulo indigitantur. Vocabula igitur tanquam synonyma promiscue usurpantur, quemadmodum etiam aliis accidit. Enimvero cum alius sit affectus, qui in commotione appetitus sensitivi consistit alius actus voluntatis, qui a ratione dependet, alius denique habitus, ex quo actus voluntatis proficiscitur; tria hæc tanquam diversa a se invicem diversis nominibus distingvenda (§. 145. *Disc. prælim.*). Utimur autem hisce nominibus tanquam terminis technicis, & sufficit iis respondere notiones minime deceptrices, ad quas significandas eadem adhibemus. Ceterum ut appetitus sensitivus cum rationali consentiat, id inde est, quia illum regit intellectus rationi, a qua rationalis dependet convenienter. Quamobrem parum refert, quod amor præcedat chatitatem, qua Deum diligimus. Neque enim affectus, in quorum numero amor est, in se spectati mali sunt, sed potius boni, & per abusum demum mali fiunt (§. 527. *part. 1. Ethic.*), & quando intellectus eos regit, bonum verum ab apparente separatur, ne falsa opinione concitentur, sic vero concitati boni sunt atque rationi conveniunt (§. 528. *part. 2. Ethic.*). Unde nec est, quod miremur, amorem quoque Dei tanquam affectum lege naturali esse præceptum.

§. 243.

Quomodo Deus omni

Quia dilectio Dei consistit in voluntate faciendi ea, quæ Deo placent (§. 241.), amor vero Dei tendit ad studium

facultatum usu diligendus. dium faciendi ea, quæ Deo placent (§. 234.); *amor & dilectio Dei indivulso nexu cohærent*, & quoniam Deo placere non possumus, nisi quatenus nos obedientes eidem præbemus (§. 237.), *ad dilectionem* quoque *accedere debet animus obediendi Deo*, sicque *charitas*, quæ est habitus diligendi Deum (§. 241.), *amorem Dei & animum ipsi obediendi continet*, *atque in dilectionem Dei omnem facultatum usum impendimus*.

Lege naturali obligamur facere omnem facultatum usum, qui ad servandam legem naturæ, consequenter etiam ad diligendum Deum, requiritur (§. 172. *part. 1. Jur. nat.*). Quodsi ergo officio nostro satisfaciamus, amor & dilectio Dei indissolubili vinculo sociantur & animus obediendi accedit, atque tum demum charitas, quantum in hominem cadit, perfecta evadit. Nimirum quando perfectiones divinas agnoscimus, cum via demonstrationis ex systemate, tum consideratione hujus universi, quemadmodum superius docuimus, & operam damus, ut certa nobis sit earundem cognitio, qualis ad amorem Dei requiritur (§. 223.); omnium facultatum usum cognoscendi facimus. Jam si amorem in Deum in nobis concitaturi, nobis repræsentamus perfectiones Dei & beneficia, quibus nos cumulavit & ex quibus bonitatem ejus agnoscimus, in cognitionem amoris influit usus omnium facultatum cognoscendi, a quo nimirum dependet certitudo cognitionis, quæ repræsentationem perfectionum divinarum aptam efficit ad amorem concitandum. Dum amor oritur, qui tanquam affectus in appetitu sensitivo residet (§. 603. *Psych. empir.*), usus appetitus sensitivi ad usum facultatum cognoscendi accedit. Et quoniam hic amor tendit ad studium placendi Deo, appetitus sensitivus excitat voluntatem placendi Deo & hæc porro intellectum ad inquirendum in modum, quo Deo placere possimus. Quamobrem cum cognoscamus nos Deo placere non posse, nisi quatenus nos obedientem eidem præstamus

stamus (§. 237.); voluntas determinatur ad obediendum Deo, sicque animus obediendi Deo accedit. Atque ita quoque usus appetitus rationalis, seu voluntatis impenditur. Notandum nimirum, cum in anima nostra tanquam ente finito non omnes actus facultatum simul existere possint (§. 837. *Ontol.*), ideoque præteriti quoque actus in determinationem præsentis influant, ut ratio sufficiens præsentis ex præteritis reperiatur, usum facultatum, quem impendimus in actus præteritos, in determinationem præsentis influentes, etiam imputandum esse præsenti. Ex his igitur, quæ nunc dicta sunt, manifestum esse arbitror, quomodo facultatum omnium usus in dilectionem Dei sit impendendus, quemadmodum Christum quoque urgere jam alias monuimus (*not.* §. 172. *part. 1. Jur. nat.*), & qualis esse debeat charitas, ne quid ex parte facultatis ullius desideretur. Demonstravimus jam alias, eum ad plura præstanda obligari, cui amplior est facultatum & virium usus, quam alios, quibus tam amplus non concessus (§. 177. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem nec fieri potest, ut eundem prorsus usum facultatum in diligendo Deo faciant omnes, etsi omnium usum faciant. Absit itaque, ut tibi persuadeas, nos dilectionem Dei extendere ultra id, quod homini possibile! Pueriliter adhuc sentiunt, qui ex eo, quod virtus omnibus hominibus communis esse debeat, inferunt, omnibus eundem in virtute colenda faciendum esse facultatum usum, & hunc dimetiendum esse modulo hominum plebejorum, qui facultatibus perficiendis nullam operam navarunt. Nec ferenda est illorum opinio, qui ad sinceram Dei dilectionem simplicitatem quandam requirunt, a perfectione facultatum, unde pendet amplior ipsarum usus, abhorrentem. Quamvis enim opinionem suam dictis scripturæ incrustare conentur; satis tamen constat, vulgarem hunc esse morem, ut opinio mente concipiatur, aut assensus eidem præbeatur, & ad eam defendendam demum quæran-

tur dicta scripturæ, quorum verba si extra contextum inspiciantur, eidem favere videntur, ac præterea varias esse rationes, cur ex verbis, quibus quisque jungit notiones sibi familiares, vagas plerumque atque confusas, extorqueat sensum a mente autoris prorsus alienum. Ita contingit, ut vera misceantur falsis, & opiniones a vero prorsus discedentes venditentur pro dogmatis divinis. Nec erit horum malorum finis, nisi facultates perficere studeant, quemadmodum in parte prima docuimus, ut rectum earundem usum facere possint, qui divina oracula interpretari volunt aliis & ipsos ad sinceram virtutis culturam adducere debent. Nolumus jam descendere ad particularia, cum acutioribus & veritatis cupidis dicta sufficiant, ceteris vero frustra persuadere conemur, quæ capere vel non possunt, vel nolunt.

§. 244.

Quando Deus ex totis viribus diligatur.

Qui facultatum omnium usum in Dei dilectionem impendit, quem facere potest; Deum ex totis viribus diligit. Qui enim facultatum omnium usum in Dei dilectionem impendit, quem facere potest; is ut Deum diligat facit, quicquid per facultates ipsius possibile est. Quamobrem cum vi animæ actuentur, quæ per facultates ipsius possibilia sunt (§. 55. *Psych. rat.*); vim omnem adhibet ad Deum diligendum, quam adhibere potest. Quoniam itaque nihil eorum omittitur, quod eadem actuari poterat; Deum ex totis viribus diligit.

Animæ vis nonnisi unica est, (§. 57. *Psych. rat.*), qua omnia actuantur, quæ in eadem contingunt (§. 61. *Psych. empir.*). Quemadmodum vero plures in anima concipiuntur facultates pro diversitate mutationum, quæ in ea contingere solent (§. 81. *Psych. rat.*); ita vis illa unica per modum virium multarum concipitur, quatenus eadem actuantur,

antur, quæ per diversas facultates possibilia concipiuntur. Ac ideo anima vires omnes impendere dicitur in actionem quandam, si omnia in eadem actuantur, quæ per facultates ipsius ad eandem requiri possunt, ut ex parte nullius facultatis ullus notetur defectus. Quamobrem tunc non modo intelligitur, quid sit Deum ex totis viribus diligere; verum etiam cum in anterioribus sufficienter ostenderimus, quemnam usum facultatum facere debeamus, ne quid in dilectione Dei desideretur, quomodo Deus ex totis viribus sit diligendus. Qui ergo Deum ex totis viribus diligere vult, ea saltem observare tenetur, quæ de Deo amando & diligendo hactenus demonstrata sunt, & omnem dare operam, ne quid eorum prætermittat, quod in potestate sua est.

§. 245.

Si amans Deum habet animum nil quicquam faciendi nisi quod Deus vult & quia vult ut faciamus, seu voluntatem suam totam Deo dat; ex toto animo Deum diligit. Amor enim in Deum tendit ad studium faciendi, quæ Deo placent (§. 234.), consequenter ad sese obedientem Deo præbendum (§. 237.), ideoque ad faciendum, quod Deus vult (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*), quia vult ut hoc faciamus (§. 1167. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem si amans Deum habet animum nil quicquam faciendi nisi quod Deus vult & quia vult ut faciamus, seu totam suam voluntatem Deo dat, ut per omnia voluntas Dei sibi esse debeat loco voluntatis suæ; ex toto animo Deo placere studet. Quoniam itaque Deum diligit, qui habet animum faciendi ea, quæ Deo placent (§. 241.); si amans Deum habet animum nil quicquam faciendi nisi quod Deus vult & quia vult, ut faciamus, seu voluntatem suam totam Deo dat, ex toto animo Deum diligit.

Quando Deus ex toto animo diligatur.

Animus obediendi a dilectione Dei abesse nequit, quatenus persuasissimi sumus, nos Deo placere non posse, nisi quatenus nos obedientes eidem praebemus (§. 237). Quoniam itaque dilectio Dei requirit obediendi animum (§. 241.), ex toto utique animo diligitur Deus, si nihil quicquam facere velimus nostro lubitu, sed toti dependere in actionibus liberis determinandis a voluntate divina. Deum ex toto animo non diligit, qui vult quaedam adhuc esse relicta voluntati suae, in ceteris vero sequi voluntatem divinam. Quod enim voluntati suae relictum esse vult, id magis amat quam Deum, qui tamen super omnia amandus (§. 1172. *part. 1. Jur. nat.*). Hinc itaque simul intelligitur, quod Deum nondum super omnia amet, qui non ex toto animo diligit. Ad animum refertur tam appetitus sensitivus, quam rationalis, ut uterque in eo conjunctim spectetur. Quando Deus ex toto animo diligitur, non modo voluntas fertur in ea, quae Deo placent, sed ex iis quoque voluptas percipitur, quia Deo placent (§. 156. *part. 2. Eth.*), sicque nobis placet, quod placet Deo, quia novimus hoc Deo placere (§. 542. *Psych. empir.*). Et hoc quoque modo appetitus sensitivus rationali sociatur, nec pugnae inter utrumque ullus locus est. Videntur in Moralibus haud raro eadem diversis nominibus indigitari, nisi acute distingvantur singuli actus tam facultatum cognoscendi, quam appetendi simul concurrentes ad actionem quandam liberam, ut ideo quoque contingat, diversa nomina promiscue tanquam synonyma usurpari.

§. 246.

De Deo puro animo diligendo & dilectionis rectitudine.

Qui in dilectionem Dei facultatum omnium usum impendit, & Deum ex toto animo diligit; ejus dilectio recta est & is Deum animo puro diligit. Etenim si quis facultatum omnium usum in Dei dilectionem impendit, & Deum ex toto animo diligit, ideoque habet animum nil quicquam faciendi, nisi

nisi quod Deus vult & quia vult, ut hoc faciamus (§. 245.); in dilectione Dei nihil desideratur ex parte intellectus ministerio facultatum cognoscendi inferiorum & intermediarum decenter utentis, nec ex parte voluntatis, cum qua appetitus sensitivus consentit. Quamobrem cum actio recta sit, si nihil in ea desideratur ex parte intellectus & voluntatis (§. 79. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & ad rectitudinem concurrant facultates cognoscendi inferiores atque appetitus sensitivus (§. 91. 92. *part. 1. Phil. pract. univ.*); qui facultatum omnium usum in Dei dilectionem impendit, & ex toto animo Deum diligit, ejus dilectio recta est. *Quod erat unum.*

Quoniam vero rectitudo actionis & puritas animi firmissimo vinculo connexa sunt, nec a se invicem separari possunt (§. 603. *part. 2. Eth.*); hinc porro sequitur ut qui in dilectionem Dei facultatum omnium usum impendit & ex toto animo Deum diligit, eum puro animo diligat. *Quod erat alterum.*

Omnis labes, qua inficitur animus, ab abusu & non usu facultatis cujusdam dependet (§. 598. *part. 2. Eth.*). Quamobrem si omnium facultatum usus in dilectionem Dei impenditur, ideoque omnis abusus, omnis non usus vitatur; nulla quoque labe infici potest dilectio Dei, sicque voluntas tota tendens ad ea, quæ Deo placent, ab omni labe prorsus immunis est, consequenter animus purus est (§. 599. *part. 2. Eth.*).

§. 247.

Ad dilectionem Dei impellimur, si consideremus, Deum a nobis non exigere nisi voluntatem nostram felicitatis nostræ causa. *Motivum dilectionis Dei.*

Quodsi enim consideremus Deum a nobis non exigere nisi volun-

voluntatem nostram, quæ sola est, quam homo Deo dare potest (§. 179.); Deum a nobis non exigere agnoscimus, nisi quod suum est ipsique debetur (§. 180.). Quoniam vero voluntatem nostram Deo damus, dum ipsi obedimus (§. 129.); sicque voluntatem nostram voluntati divinæ conformamus (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*), ita ut voluntas Dei sit nobis loco voluntatis propriæ, Deus vero vult ut actiones nostras ad legem naturæ componamus (§. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*); cujus custodia felicitatem consequimur & conservamus (§. 396. 397. *part. 1. Phil. pract. univ.*); si consideremus, Deum a nobis non exigere nisi voluntatem nostram felicitatis nostræ causa, lubenter nos Deo præbemus obedientes reddituri quod suum est eidem. Enimvero si operam damus, ut nos obedientes Deo præbeamus, ei placere studemus (§. 237.). Quamobrem cum Deum diligamus si ea faciamus, quæ ipsi placent (§. 241.), consequenter si operam demus, ut nos ipsi placeamus; ad dilectionem Dei impellimur, si consideremus Deum a nobis non exigere nisi voluntatem nostram felicitatis nostræ causa.

Ut motivi hujus efficacia facilius intelligatur, fingamus creditorem nostrum exigere debitum, ac propterea sese obligare ad fortunam nostram amplificandam & felicitatem nostram quovis modo promovendam. Ecquis dubitare ausit, quin debitor non modo lubentissime debitum sit soluturus, verum etiam creditorem suum adeo benignum impense amaturus, nisi omnem rationis usum ejuraverit? Pro solutione debiti nihil debitori retribuendum. Præmium igitur solutionis singulare prorsus beneficium est, quod nisi agnoscatur, animi pessimi profecto indicium est. Quodsi supponamus, hominem jam esse bonæ voluntatis, quemadmodum hic supponi debet; de motivi, quod in propositione præsenti commendatur, efficacia tanto minus erit dubitandum. Et si quis Deum diligere jam cœpit, motivum hoc quantum

tum valeat ad charitatem conservandam & augendam, ut Deum ardentius diligamus atque amemus, quilibet in se poterit experiri. Scholastici charitatem distingvunt in incipientem, proficientem & perfectam. *Charitas* nimirum *incipiens* est, qua disceditur ab iis, quæ Deo displicent & resistitur concupiscentiis, quatenus nobis adhuc ea placent, ut a malo desistamus. *Proficiens* est, qua habitum faciendi ea, quæ Deo placent, acquirere, conservare ac perficere studemus, ut in bono proficiamus. *Perfecta* denique est, ut cum gaudio faciamus, quæ Deo placent, ut ipsimet eidem placeamus & Deus placeat nobis. Conveniunt hæc cum iis, quæ *Augustinus* dicit, charitatem nutriri, cum fuerit nata; roborari, cum fuerit nutrita; profici, cum fuerit roborata. Distingvendum nimirum est inter initium & finem charitatis atque gradus intermedios, cum successive generetur, sicuti habitus omnis, utpote nonnisi continuatis exercitiis comparandus. Quamvis itaque motiva quædam non videantur comparata ad charitatis initium faciendum, nec esse satis commoda, si de charitate incipiente agatur; hoc tamen non obstante motiva charitatis proficientis, aut perfectæ possunt esse atque respectu proficientis & perfectæ aliis præferri merentur. Quæ hic de charitate dicuntur, in virtutibus quoque aliis usui esse possunt, immo ad alios quoque habitus quoscunque applicanda. Faciunt hæc ad selectum motivorum, sine quo haud raro motiva destituuntur sua efficacia, aut saltem minor deprehenditur efficacia, quam haberent diverso hoc respectu expensa. Praxis moralis profunda est, nec putandum, quæ ad eandem quocunque modo pertinent, adeo obvia esse, ut primo intuitu in oculum incurrant, eamque brevi tractatione exhauriri posse, ut nihil amplius, quod ad eam facilitandam faciat, supersit. Non minus fœcunda est Ethica, quam Mathesis, modo non deessent cultores idonei, quales nostro ævo Mathesis habet.

§. 248.

§. 248.

An diligens Deum facere velit, quæ Deo displicent?

Qui Deum diligit, is facere non vult, quæ Deo displicent. Etenim qui Deum diligit, ea facere vult, quæ Deo placent (§. 241.). Quamobrem cum repugnet velle, quod Deo placet & simul velle quod eidem displicet (§. 28. *Ontol.*), ideoque voluntas faciendi quod Deo displicet cum dilectione Dei consistere nequeat, qui Deum diligit is facere non vult, quæ Deo displicent.

Nondum Deum ex toto animo diligit, qui adhuc quaedam facit, quae Deo displicere putat: voluntatem enim suam dividit, ita ut in nonnullis eandem Deo tradat, in nonnullis vero eandem sibi reservet, quæ tamen tota Deo debetur. Quamobrem ad charitatem non sufficit voluntas faciendi quod Deo placet, verum etiam requiritur noluntas faciendi quod displicet. Quando voluntas determinatur ad faciendum quod Deo placet, simul determinatur ad abstinendum ab eo, quod ipsi displicet. Sed quemadmodum velle abstinere ab actione mala, quia bonæ contraria, & nolle committere actionem malam, quia mala est, inter se differunt (§. 123. *part. 2. Eth.*); ita etiam velle abstinere ab eo, quod Deo placere nequit atque nolle facere, quæ displicent, inter se differunt, ut ideo voluntas abstinendi ab eo, quod Deo displicet, cum noluntate faciendi quod displicet, non sit unum idemque. Ponamus te habere voluntatem faciendi quod Deo placet, non vero simul noluntatem faciendi quod displicet, sed saltem voluntatem abstinendi ab eo, quod Deo placere nequit. Quodsi jam detur occasio agendi, tu vero agnoscis hoc Deo non placere, voluntas tendit ad abstinendum ab hac actione. Enimvero si dentur motiva, cur hoc facere velis, noluntas vero nondum determinata est ad non faciendum quod displicet, fieri adhuc potest, ut facias, quod Deo displicere putas, aut saltem pugna orietur inter volun-

voluntatem actionem committendi & noluntatem eandem committendi, in qua etsi vincat noluntas, malles tamen adhuc eandem committere, si fieri posset, ut non displiceret Deo, sicque actionis omissio nondum est prorsus voluntaria, sed magis invita (§. 581. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Deest igitur illa promptitudo, quæ ad charitatem tanquam habitum (§. 241.) requiritur (§. 428. *Psych. empir.*): deest gaudium, quod qua virtus exigit charitas (§. 348. *part. 1. Phil. pract. univ.*): deest odium eorum, quæ Deo displicent, quod a charitate qua virtute abesse nequit (§. 368. *part. 1. Phil. pract. univ.*): adest ex adverso adhuc molestia cum abstinentia conjuncta, quam charitas non fert. Quamvis forsitan non defuturi sint, qui nimias subtilitates accusabunt; qui tamen ea, quæ dicta sunt, satis perpendunt, haud difficulter animadvertent, eorum rationem habendam esse, ut Deus ex toto animo diligatur & charitas perficiatur. Et hæc ipsa quoque faciunt ut intelligatur, non inutiliter Scholasticos distinxisse charitatem in incipientem, proficientem & perfectam (*not.* §. 247.), & in proficiente multos dari gradus inter incipientem & perfectam intermedios. Discimus quoque hinc non adeo facile esse, ut ad charitatem perfectam perveniatur, ac multum studii collocandum esse in eo, ut charitas proficiat. Studium hoc cum vulgo negligatur, & omnia fortunæ potestati subjiciantur; non est quod miremur, si dilectione Dei ad examen revocata tot adhuc deprehendantur in ea defectus, ut procul adhuc absint, qui Deum diligere volunt, a puritate animi, quam charitas requirit.

§. 249.

Quoniam qui Deum diligit, facere non vult quæ Deo displicent (§. 243.), & facere vult, quæ Deo placent (§. 241.), charitas autem virtus est diligendi Deum (§. cit.); *qui ad charitatem adspirat, non modo generaliter determi-* *Quomodo voluntas determinanda & noluntas,*

Si quis ad charitatem Dei adspiret. *nare debet voluntatem ad faciendum, quod Deo placet, verum etiam noluntatem ad non faciendum, quod Deo displicet.*

Ostendimus in anterioribus, si operam dare velimus, ut Deo placeamus, operam esse dandam ut Deo nos obedientes præbeamus (§. 237.), consequenter actiones nostras voluntati divinæ (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque legi naturæ conformemus (§. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Voluntas bona est, si generaliter determinatur ad actiones bonas committendas (§. 119. *part. 2. Eth.*), & perinde quidem est, sive actiones judicentur bonæ, quia legi naturæ conveniunt, sive quia conformes sunt voluntati divinæ (§. 121. *part. 2. Eth.*). Ast voluntas bona nondum est obediens Deo, nisi actionem committere velis, quia Deus vult, ut hoc facias, consequenter ut eam committendo te Deo præbeas obedientem. Et similiter si voluntas fuerit determinata ad obediendum Deo, nondum determinata est ad faciendum quod Deo placet, sed necesse est ut ideo actionem committere velis, quia nosti te sic placere Deo (*not.* §. 242.). Ita enim demum actio ex amore Dei fluit, & tota voluntas in eandem impenditur, si committatur, tum quia bona est, tum quia Deus vult, ut eandem committas, tum quia committendo places Deo. Et hoc modo facis, quod hominem decet, dum naturæ humanæ ac rationi convenienter agis; facis quod servum Dei decet, dum eidem te obedientem præbes; facis denique quod diligentem Deum decet, dum eidem placere studes. Cum hi diversi sint animæ status, quamvis eadem sit actio; non eodem quoque modo determinantur, ideoque singuli sunt sigillatim perpendendi, si ad charitatem perfectam adspiremus. Quæ diximus de voluntate, intelligenda etiam sunt de noluntate, quæ similiter spectanda est, prouti vel ad convenientiam cum natura humana, vel ad obedientiam Deo debitam, vel ad charitatem Dei formanda.

§. 250.

§. 250.

Qui Deum diligit, lubentissime facit bonum. Qui enim Deum diligit, is facit, quæ Deo placent (§. 241.), consequenter Deo se obedientem præbet, ideoque facit, quod voluntati, seu legi naturæ (§. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*) convenit (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*), ut Deo placeat (§. 237.), ac propterea facit, quod legi naturæ convenit, quia hoc placet Deo. Quoniam itaque quod legi naturæ convenit, bonum est (§. 153. *part. 1. Phil pract. univ.*); qui Deum diligit bonum facit, quia hoc Deo placet. Enimvero lubenter facimus, quod ideo facimus, quia nobis placet (§. 938. *Psych. empir.*). Deum itaque diligens lubentissime facit bonum, & cum ad dilectionem accedat amor Dei (§. 243.), ardorem agendi incendens (§. 243. *part. 2. Phil. pract. univ.*), bonum lubentissime facit.

Diligens Deum quomodo bonum faciat.

Habemus minime fallax dilectionis signum, quod valet tam ad charitatem Dei agnoscendam in se ipso, quam in aliis. Lubentia nimirum agnoscitur ex agendi promptitudine & voluptate, quæ ex facto percipitur, & quem in aliis prodit vultus ad lætitiam compositus facile agnoscendus, modo ad talia consueverimus attendere animum. Qui vero quandam adhuc repugnantiam in se sentit, antequam ad agendum se determinare possit, & quando dum agit in contrarium adhuc propendet animus, ut non sine molestia faciat, quod facit; a charitate perfecta procul adhuc abest; sic ita quod non omnes æquali intervallo ab eadem distent, pro diversitate tarditatis agendi & gradus molestiæ in agendo. Quæ de factis positivis dicuntur, facile quoque ad negativa applicantur, ut ideo de iis sigillatim dicere non necesse sit. Pertinet huc, quod de virtute in genere ostendimus, scilicet quod virtuti deditus actiones bonas cum gaudio committat (§. 348. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 251.

De felicitatis nostræ ab amore Dei dependentia.

Amor Dei plurimum confert ad felicitatem hominis. Qui enim Deum amat ex perfectionibus divinis voluptatem percipit (§. 1171. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum hæc vera sit voluptas (§. 514. *Psych. empir.*), & ob summitatem perfectionum divinarum prorsus insignis (§. 516. *Psych. empir.*), quicquid vero voluptatem veram homini creat, id ad felicitatem ejus quidpiam conferat (§. 638. *Psych. empir.*), pro gradu nimirum voluptatis, quam creat; amor Dei plurimum confert ad felicitatem hominis.

Patet hinc, quantum felicitas hominis ab amore Dei dependeat. Dum Deum amamus, felicitate maxima fruimur, qua frui datur homini, modo amor Dei sit, qualis esse debet & potest, si perfectiones ipsius recte ac certo agnoscuntur (§. 221. 223.). Quamobrem qui amorem in Deum negligunt, summa felicitate se privant, qua frui poterant, quæ quanta sit, omnium optime agnoscit, qui statum animæ amore Dei plenæ in se experitur. Atque hinc patet, hostes generis humani esse atheos & deistas, qui dogmata profana disseminare audent.

§. 252.

De convenientia amoris in Deum cum natura humana.

Quoniam amor Dei plurimum confert ad felicitatem hominis (§. 251.), homo autem per naturam suam felicitatem appetit (§. 324. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *amor in Deum naturæ humanæ maxime convenit*, consequenter *neglectus ejus atque contemtus eidem maxime adversatur.*

Ducit nos ad amandum Deum ipsa natura, modo hunc ducem sequi velimus: ut vero sequamur, prælucere debet ratio, sine qua in tenebris versamur & a vero tramite abducimur.

§. 253.

§. 253.

Similiter quoniam amor in Deum plurimum confert ad felicitatem hominis (§. 251.), concitatur autem agnitione viva perfectionum divinarum (§. 223.), & beneficiorum divinorum (§. 228.); *qui felicitate frui vult, quantum datur, consideratione rerum in hoc universo & beneficiorum divinorum perfectiones divinas sedulo sibibi repraesentare tenetur*, quemadmodum supra *cap. 1.* prolixe ostendimus. Et *hoc pacto homo fruitur Deo*, atque patet, *hominem frui Deo, si eundem amet.* *Quomodo homo Deo fruatur.*

Nullum est ens, quod appetitum hominis, qui in felicitatem fertur, magis satiare possit, quam Deus. Satiat vero Deus animam hominis amore sui, quem verum animae pabulum dixeris, quo pascitur. Res ceterae omnes, quantumcunque iisdem delectemur, tandem fastidium creant, certissimo indicio, eas non esse, a quibus felicitas constans expectanda. Sed de hisce passim plura dicenda sunt in particulari suo loco.

§. 254.

Amor in Deum nos omnium optime docet, quaenam sint ea, ex quibus vera voluptas percipitur. Etenim qui Deum amat ex perfectionibus divinis voluptatem percipit (§. 1171. *part. 1. Jur. nat.*), qualem ex re alia, qualiscunque tandem sit, percipi non posse agnoscit, modo voluptatem ex perfectionibus divinis perceptam cum ea, quae ex rebus aliis percipitur, comparet. Quamobrem cum porro agnoscat nihil dari, quod ad perfectiones divinas propius accedat, quam perfectiones animae studio nostro acquirendas; eas quoque solas esse intelligit, quae veram voluptatem nobis creare possunt. Et quia ex rerum in hoc universo perfectione Dei perfectionem agnoscit: voluptatem, quae inde percipitur *Amor Dei docet, unde nam vera percipiatur voluptas.*

tur, revera ex ipsa Dei pefectione percipi animadvertit, quemadmodum si re quadam artificiali delectamur, revera delectamur artificis arte, qua factum est. Quoniam itaque voluptas vera non est, nisi quæ ex vera perfectione oritur (§. 513. *Psych. empir.*), & ea, quæ ad animum pertinent, omnium rectissime intelliguntur, ubi ea in nobismet ipsis experimur (§. 264. *part. 1. Phil. pract. univ.*); amor in Deum nos omnium optime docet, quænam sint ea, ex quibus vera voluptas percipitur.

Quamvis quæ hic demonstrantur verissima sint & demonstratio sit satis manifesta, modo aqua non hæreat in principiis; haud paucos tamen fore arbitror, qui veritatem non agnoscent. Quotquot enim sunt, qui Deum ardenter amant? Quotquot sunt, qui satis expendunt, quales sint perfectiones divinæ, quibus delectantur, dum se in amorem Dei rapi sentiunt? Quotquot sunt, qui perfectiones, quas homo acquirere valet, satis intelligunt, & ad divinas referunt? Quotquot denique sunt, qui voluptates, quibus fruuntur, inter se comparant, earumdemque differentias scrutantur? Quamobrem cum hæc omnia non sint facilia, nec in cujusvis potestate; ideo consultissimum est, ut veniamus in rem præsentem & Deum ardenter super omnia amare discamus: ita nimirum continget, ut voluptates ceteræ omnes nobis vilescant, tandemque contemnantur, nec a nobis acquisitis delectemur, nisi quatenus eas ad bona a Deo accepta referimus & similitudinem quandam cum divinis in iis perspicimus, quæ nos ducit ad divinas melius intelligendas. Quoniam tamen hi, quibus concessus est amplior facultatum usus, eundem quoque facere tenentur (§. 177. *part. 1. Jur. nat.*); singula quoque, quæ vulgo desiderari diximus, facere tenentur, ut suo modo proficiant. Ipsi enim expositi sunt periculis, quæ aliis metuenda non sunt, ut veritas ipsis fiat suspecta, nisi

distincte agnoscatur, aut saltem attentio ab iisdem avertatur, dum rerum aliarum illecebris tentantur.

§. 255.

Quoniam amor in Deum nos omnium optime docet, quænam sint ea, ex quibus vera voluptas percipitur (§. 254.), consequenter quam deceptrix sit voluptas ex rebus terrestribus percepta, quam homines inhiare solent, dum cupiunt esse felices; *amor* quoque *Dei nos ducit ad rerum terrestrium contemtum, ut scilicet delectari nolimus nisi Deo, nec rebus aliis nisi propter Deum, quatenus nimirum ad amorem Dei ducunt.* *Amor Dei nobis insinuat rerum terrestrium contemtum.*

Nos solo Deo delectari, res vero terrestres contemnere debere vulgo quidem docetur, sed non satis intelligitur, quid dicatur, & quomodo fieri possit, ut res terrestres contemnamus. Res terrestres contemnimus, si voluptatem ex iis perceptam vili pendimus: non multum autem pretii his statuet, qui amoris in Deum dulcedinem expertus fuit. Quamobrem cum voluptas ex perfectionibus divinis percepta prædominetur omni voluptati, quæ aliunde percipi potest, ob summitatem illarum, quæ facit ut Deus super omnia possit amari (§. 221.); ex amore Dei super omnia per se resultat contemtus rerum terrestrium, aliis considerationibus nonnisi distinctius agnoscendus. Et quoniam datur etiam voluptas innocua, quæ ex rebus aliis, quam ex Deo percipitur, immo etiam vera, quæ ex perfectionibus veris rerum creatarum percipitur, & contra humanam naturam sit iis non delectari (§. 511. *Psych. empir.*); amor Dei facit, ut his propter Deum delectemur, quatenus ex aptitudine nos delectandi, ubi mens a creaturis in Deum ascendere consueverit, agnoscuntur perfectiones divinæ, quarum consideratione amor Dei concitatur. Atque ita patet, quomodo rebus ceteris delectemur propter Deum, qui eas fecit,

fecit, ut ipsarum consideratione ipum agnoscamus, sicque amor Dei in animum nostrum effundatur: id quod cum agnoscimus, dulcedinemque amoris in Deum experimur, res ideo amamus, quod nobis amorem in Deum instillaverint.

§. 256.

Quinam Dei semper memor sit.

Qui Deum amat, ejus semper memor est. Qui enim Deum amat, is Deo delectatur (§. 1171. *part. 1. Jur. nat.*), nec delectari vult nisi solo Deo, neque re ulla alia nisi propter Deum, quatenus scilicet ad amorem Dei ducit (§. 255.). Quamobrem cum constet, nos memores eorum esse, quibus delectamur, nec unquam memoriam eorundem abjicere; qui Deum amat, ejus semper memor est.

Nos semper memores esse eorum, quibus delectamur, indies experimur & eo nos ducit appetitus, qui in nihil fertur, nisi quatenus ex eo voluptatem percipimus (§. 156. *part. 2. Ethic.*). Quicunque ope inhiant, eorum animo constanter infixa hæret de opibus cogitatio. Qui luxu delectantur, omnes curas cogitationesque in eundem conferunt. Quibus sola scientia placet, illi tempus omne scientiæ, quam adamant, impertiuntur. Amici, quem impense amamus, etiamsi absentis, imago constanter oculis inhæret, & semper ejus memores sumus. Cum omnis actio, ad quam naturaliter obligamur, determinabilis sit per motiva ab attributis divinis desumta (§. 253. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & qui Deum ex toto animo diligit habeat animum nil faciendi nisi quod Deus vult, & quia vult ut faciat (§. 245.); solus Deus est, cujus continuo memores esse possumus, si rationi convenienter vivere velimus (§. 57. *part. 2. Phil. pract. univ.*), felicitatis nostræ tenaces (§. 396. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Nihil igitur est, quod memoriam Dei delere possit & cogitationem nostram ad alia avocare, si Deum ex toto

toto animo amemus, quin potius ab omni se alia animus ad Deum avocatur. Accedit, quod solus quoque Deus sit, cui ut placeamus in qualibet actione studere possumus: quo nos ducit amor Dei (§. 234.).

§. 257.

Quoniam qui Deum amat, ejus semper memor est (§. 256.); *utrum Deum revera amemus, nec ne, hinc cognoscimus, si cogitatio de Deo semper tenet mentem nostram.* *Signum amoris in Deum.*

Tendit amor Dei ad studium faciendi, quæ Deo placent (§. 234.), ideoque Deum amans operam dat, ut Deo sese obedientem præbeat (§. 237.), consequenter omnes actiones suas voluntati ejus conformet (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem fieri nequit, ut homo Deum amet, non tamen semper ipsius memor sit. Quamvis vero fieri possit, ut nobis non continuo conscii simus Dei, dum hoc, vel istud agimus; hoc tamen non obstante memoria Dei tacite influit in actionem nostram, ut rationem reddituri cur sic & non aliter agamus, expressa quoque statim animum subeat cogitatio de Deo, & nos sic non aliter agere animadvertamus, quam ut placeamus Deo domino nostro, atque amor Dei statim renovetur, ut eodem actu delectemur. Constans & perpetua Dei memoria, quæ tenet animum amantis Deum, optime agnoscitur, si quis sedulam navaverit operam, ut Deum amet super omnia & eundem diligat ex toto animo & ex totis viribus, quemadmodum hactenus demonstravimus. Pendent omnia, quæ ad amorem in Deum quomodocunque referuntur, a se invicem, & eorum, quæ demonstrantur, veritatem capit, qui habens animum amore Dei plenum omnia in se ipso experitur. Neque enim in Moralibus quicquam magis commendari potest, quam experientia domestica (§. 264. 271. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quamobrem inanis quoque est omnis de his, quæ de praxi morali demonstrantur, disputatio, præ-

sertim cum pauci admodum sint, qui demonstrationum vim percipere possunt (§. 991. 994. *Log.*); & nisi quis facere velit, quæ præcipiuntur, ut cetera, quæ inde per se sequuntur, in se ipso experiatur, is imputet sibi, si veritati manus victas dare noluerit.

§. 258.

Amor Dei agnitionem ejus amabilem reddit.

Qui Deum amat, agnitioni Dei lubentissime vacat. Etenim qui Deum amat, ex perfectionibus ejus voluptatem percipit (§. 1171. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum hæc voluptas tanto major sit, quanto intimius perfectiones divinæ inspiciantur (§. 516. *Psych. empir.*) & quanto certius agnoscantur (§. 517. *Psych. empir.*), & dum nobis conscii sumus illarum, voluptate quoque actu perfundatur animus (§. 511. *Psych. empir.*), lubentissime autem faciamus id, ex quo plurimum voluptatis percipimus (§. 938. *Psych. empir.*); qui Deum amat, agnitioni Dei lubentissime vacat.

Nemo est qui nesciat, si quis impense amet personam quandam, ei jucundissimum esse sermonem de persona amata, immo ipsum laudes ejusdem avidis auribus haurire. Si cui vero molesta accidunt de persona quadam colloquia, nemo non hinc colligit, quod eam si non oderit, saltem non amet. Non vero est, quod objicias, si quis Deum jam agnovit, eum non amplius opus habere, ut agnitioni ejus vacet, cum sola sufficiat agnitorum recordatio, ut amor actu vim suam exerat in animo: nam qui sic sentit, oppido fallitur. Quoniam enim consideratione eorum, quæ in hoc universo contingunt & oculis nostris subjiciuntur, Deum agnoscere debemus, & sic cognitio Dei continuo magis magisque confirmatur, atque altiores in animo radices agit; nemo dicere potest, se Deum jam sufficienter cogno-

cognovisse, ut ei cognoscendo nullam amplius operam impendere teneatur. Deus, qui hunc mundum condidit, ut perfectionem suam absolute summam patefaceret (§. 608. *part. 1. Theol. nat.*) & ad hunc finem ultimum (§. 629. *part. 1. Theol. nat.*), omnia in hoc universo dirigit (§. 626. *part. 1. Theol. nat.*), tantam rerum varietatem fecit & totum mundum sapientia sua gubernat (§. 902. *part. 1. Theol. nat*), atque bonitate (§. 903. *part. 1. Theol. nat.*), rebus singulis ita providens ac si ad ea, quæ fiunt, attentus hodie demum decerneret, quid fieri debeat, seu quid facere ac permittere velit. Quamobrem indies nobis nova objecta occurrunt, quæ ad Deum agnoscendum nos invitant, & quorum consideratione a nobis agnosci vult (§. 1131. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam itaque amor Dei nobis insinuat studium placendi Deo (§. 234.), Deo autem placere studemus, si nos eidem obedientes præbemus (§. 237.); ipse amor Dei in causa est, ut quam lubentissime agnitioni Dei vacemus, a qua omnis molestia procul arcetur, quatenus continuo novis argumentis eorum, quæ de Deo cognoscimus, convincimur. Si quis amat Mathematicum ob nova, quibus scientiam locupletavit, inventa; is indefessum collocat studium in omnibus ejus inventis cognoscendis, quæ sunt scientiæ documenta, ob quam nobis amabilis efficitur. Quidni etiam amans Deum assiduam collocabit operam in considerandis iis, quibus Deus perfectiones suas nobis manifestat. Non igitur sufficit, ut Deum vi demonstrationum agnoverimus ex systemate, aut argumentis quibusdam persuasi simus, Deum perfectione summa gaudere; sed omnino necesse est, ut omnia documenta, quantum nobis datur, sollicite discutiamus. Quodsi quis hoc nondum lubentissime facit, sed molestum accidit, si tempus in agnitionem Dei, quem se jam nosse putat, impendere debeat; is utique certo inde colligere potest, se Deum nondum amare, quemadmodum debet & poterat.

§. 259.

Impedimenta amoris divini.

Qui Dei cognitionem negligit, aut vocabulis, quibus attributa divina significantur, notiones non satis claras, multo minus distinctas jungit, aut etiam convictus vel ad veritatem persuasus non est, dari revera Deum & ipsi competere attributa, quæ Deo tribuenda esse didicit; Deum amare nequit. Etenim qui cognitionem Dei negligit, Deum quoque non agnoscit (§. 750. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum Deum agnoscere teneatur, quem amare vult (§. 218.); qui cognitionem Dei negligit, eum amare nequit. *Quod erat primum.*

Quodsi quis Deum cognoscere studet, vocabulis tamen, quibus ea significantur, quæ ipsi tribuuntur, notiones non satis claras, multo minus distinctas jungere discit; is quoque nondum satis intelligit, quid vocabulis istis significetur (§. 80. *Log.*), consequenter quamvis sibi videatur agnoscere Deum, revera tamen non agnoscit, immo fieri potest, ut prorsus falsas mente concipiat opiniones de Deo. Quamobrem cum perfectiones divinas sibi repræsentare nequeat, ut earundem sibi conscius sit; nec fieri potest, ut ex iisdem voluptatem percipiat (§. 511. *Psych. empir.*). Quoniam itaque amor Dei in perceptione voluptatis ex perfectionibus divinis consistit (§. 1171. *part. 1. Jur. nat.*); qui vocabulis, quibus attributa divina significantur, notiones non satis claras, multo minus distinctas jungere didicit, Deum amare nequit. *Quod erat secundum.*

Denique si quis vel maxime intelligit, quales Deo tribuantur perfectiones, convictus tamen non est, immo ne quidem ad veritatem persuasus, dari revera Deum, cui perfectiones istæ competunt; is non certam habet Dei cogni-

cognitionem (§. 982. *Log.*), immo ne quidem habere sibi videtur (§. 1001. *Log.*), consequenter viva Dei cognitione destituitur (§. 248. *part. 2. Phil.pract. univ.*). Quamobrem cum amor Dei ex cognitione viva perfectionum divinarum oriatur (§. 223.); qui convictus non est, immo ne quidem ad veritatem persuasus, dari Deum, cui re vera perfectiones istæ competunt, quas eidem tribui didicit, Deum amare nequit. *Quod erat alterum.*

Verus Dei amor, qualem huc usque demonstravimus, admodum rarus est. Quodsi libuerit inquirere in rationes istius raritatis, vel neglectum, vel defectum agnitionis in plurimis deprehendes. Qui Dei cognitionem prorsus negligit, nec de ea sibi comparanda sollicitus est; is de Deo amando ne quidem cogitat, multo minus fieri potest, ut Deum actu amet. Non jam inquirimus in rationes hujus neglectus, quæ complures sunt, & in datis casibus particularibus facile innotescunt; sed sufficit, ut sciamus, cognito neglectu agnitionis Dei nobis quoque constare, amori Dei locum esse non posse. Ubi vero quis Deum amare cupit, quæ cupiditas facile accenditur per ea, quæ de amore in Deum demonstrata sunt; is hinc discit, quod in Deo agnoscendo sese præbere non debeat negligentem: quin potius quo magis fervet cupiditas, eo majorem quoque diligentiam collocare debeat in cognitione Dei sibi comparanda. Communis fere mos est, ut vocabula, quibus indigitantur quæ Deo, tribuuntur, per definitiones non explicentur, sed tantummodo ex communi sermone nota supponantur. Atque hinc contingit, ut, quando de Deo usurpantur saltem maxima parte, si non tota sint sine mente soni. Plerique igitur, quamvis de Deo disserere didicerint, parum tamen eum agnoscunt, ideoque non est quod miremur, si ex perfectionibus divinis, quas non intelligunt, voluptatem nullam percipere possint, ac per consequens amor

Dei verus in ipsorum animum infundi nequeat (§. 1171. *part. 1. Jur. nat.*). Quemadmodum enim putant se nosse Deum, a cujus agnitione procul adhuc absunt; ita quoque sibi videntur amare Deum, quamvis ignorent quid sit amare Deum. Non ex vocabulis, sed ex perceptionibus, quarum signa sunt, nascitur amor. Equidem ad suscitandum amorem, quatenus a dilectione distingvitur & ad appetitum sensitivum refertur, sufficiunt notiones confusæ (§. 605. *Psych. empir*): si tamen amor in Deum concitari debet, qualem lex naturæ urget, *per hactenus demonstrata*, necesse est, ut per distinctas sint explicabiles, hoc est, ut prodeant definitiones in systemate traditæ, si ea distingvuntur, quæ in notione confusa in unum confunduntur. Quodsi vero ab amore ad dilectionem transitus fieri debeat, ut pateat ad charitatem via, cum ea pertineat ad appetitum rationalem, seu voluntatem, notionibus distinctis opus est (§. 880. *Psych. empir.*). Impedimentum hoc non tantummodo nocet vulgo imperito, verum etiam haud paucis, quorum est alios ad agnitionem Dei perducere & ipsorum animis amorem Numinis instillare. Unde videmus pietatis pompofæ cultores & propagatores, amore Dei superbientes semetipsos decipere, cum putant se amare Deum: id quod haud obscure hinc colligitur, quod amor proximi si non prorsus deficiat, cum odio tamen permisceatur, ita ut, si a majore parte fieri debeat denominatio, proximum magis odisse, quam amare dicendi sint. Sane amor erga alios non proficiscitur ex amore in Deum, ut proximus ametur propter Deum, quemadmodum suo loco disertius docebitur. Qui non satis intelligit, quid sint perfectiones divinæ, nec fieri potest, ut convincatur, vel ad veritatem persuadeatur, eas revera Deo competere (§. 997. *Log.*). Atque ideo sufficiens patet ratio, cum ex cognitione viva nascatur amor (§. 223.), cur amor verus concitari nequeat (§. 248. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Experimur quoque indies, dari alios, qui pulchre de Deo disserere didicerunt & perfectiones divinas

vinas earumque summitatem distincte possunt explicare, amore tamen in Deum parum tanguntur. Atque hi sunt, qui nec a priori vi demonstrationis, nec a posteriori consideratione hujus universi veritatis eorum, quæ de Deo prædicant, convicti sunt. Deficit nimirum in his cognitio Dei viva (§. *cit.*), ideoque etiam amor (§. 223.).

§. 260.

Quoniam Deum amare nequit, qui eum cognoscere negligit, aut notiones non satis claras, multo minus distinctas vocabulis jungit, quibus significantur quæ Deo tribuuntur, aut etiam veritatis eorum, quæ de Deo cognoscit, convictus non est, immo ne quidem ad veritatem persuasus (§. 259.); *si amorem in Deum sive in te, sive in alio velis concitare, considerandum est, quod Deus agnitione sui intendat ut simus felices* (§. 74.), *quod ea hominem maxime deceat* (§. 75.), *quod ingens bonum sit, quo is potiri potest* (§. 76.), *quod amor Dei plurimum conferat ad felicitatem hominis* (§. 251.) *& qui felicitate frui vult, quantum datur, consideratione rerum in hoc universo & beneficiorum divinorum perfectiones divinas sedulo sibi repræsentare teneatur* (§. 253.), cum enim appetitus hominis feratur in felicitatem naturaliter (§. 324. *part. 2. Theol. nat.*), ad agnoscendum Deum determinabitur, excitata autem cupiditate Deum agnoscendi, *opera deinceps danda est, ut eo, quam supra cap. 1. prolixe exposuimus, modo ad veram Dei agnitionem perducamur, observatis iis, quæ de modo hebetiores ad agnitionem Dei consideratione hujus universi perducendis demonstravimus* (§. 71. 72. 81.). *De impedimento isto tollendo.*

Non est, quod objicias, tanto conatu non esse opus ad amorem in Deum concitandum. Nos indies experiri, quod homines admodum imperiti Deum impense ament, quamvis saltem verbis ex vulgari sermone familiaribus no-

titia

titia quædam Dei animis ipsorum ingenita fuerit. Quodsi enim accuratius inquiras in amorem, quo Deum prosequuntur, extemplo animadvertes, eundem concitatum esse consideratione beneficiorum divinorum, quæ bonitatis divinæ notionem animo ipsorum insinuaverunt, aut eos putare, Dei amorem consistere in studio faciendi bonum & abstinendi a malo, quia Deus hoc vult, dilectionem ab amore non distingventes, nec hanc rite concipientes, sed cum obedientia confundentes (*not.* §. 241. 243.). Dantur sane in vulgo imperito, qui autoritate aliorum persuasi credunt, Deum esse amandum, quamvis edocti non fuerint, quid sit amare Deum. Ac ideo fieri potest, ut quando animum subit de Deo cogitatio, amor in appetitu sensitivo concitetur, qualis esse solet amor, quo complectuntur amicos, beneficiorum divinorum repræsentatione fovendus. Et eorundem autoritate persuasi, si Deum amare velint, necessarium esse, ut a malo abstineant & bonum faciant, sibi videntur amare Deum, si bonam habuerint voluntatem (§. 119. *part.* 2. *Eth.*), hanc cum amore Dei confundentes. Observamus hoc etiam in aliis, qui non altius vulgo sapiunt, immo amore Dei superbientes alios tanquam eodem vacuos contemnunt. Quamvis vero hic non progrediamur ultra id, quod de usu facultatum animæ ex principiis rationis cognoscimus; non tamen existimandum est, quasi hæc vel contradicant iis, quæ de amore Dei nobis ex scriptura sacra innotescunt, vel illorum cognitio nullum habeat usum in Theologia morali. Cum enim gratia naturam perficiat, si quomodo perficiat cognoscere velis, necesse omnino est, ut constet, quinam facultatum usus ad amorem Dei atque dilectionem requiratur. Qui enim amorem Dei atque dilectionem sibi imaginantur tanquam impulsum appetitus sensitivi & rationalis a spiritu S. immediate factum, a vero utique aberrant. Et quamvis *Lombardus*, sententiarum Magister, charitatem dixerit motum immediatum a Spiritu S. recte tamen D. *Thomas* pro eo, quo pollebat, acu-

acumine falſitatem hujus opinionis videns eandem rejecit, quod oporteat, ut voluntas ita moveatur ad diligendum, ut etiam ipſa ſit efficiens hunc actum. Philoſophiæ imperiti & recto intellectus uſu, quem in parte prima ſufficienter expoſuimus, deſtituti abortus imaginationis inſtar myſteriorum divinorum venerantur & neſcio quæ miracula fingunt, quæ tamen ipſimet miraculorum nomine compellari nolunt. Nocet autem revera opinio hæc, quamvis toleranda videatur in hebetioribus, quia homines ſegnes reddit, ut negligant media, quibus utendum erat ad amorem Dei concitandum & charitatem acquirendam. Noſtrum non eſt de his dicere diſertius, qui non alio fine horum mentionem injicimus, quam ut præjudicia praxi morali adverſa removeamus, & contra objectiones iniquas veritatem tueamur: quod utrumque ſcopo noſtro convenire nemo ſanus dubitabit (§. 5. 6. *part. 1. Eth.*).

§. 261.

Impedimentum amoris in Deum falſa felicitatis opinio.

Falſa de felicitate opinione homines ab amore ac dilectione Dei avocantur. Equidem homines omnes tunc putant ſe felices eſſe, quando voluptate fruuntur, quod a poſteriori ſatis conſtat, cum tamen non omnes iisdem rebus delectentur, ſed unumquemque ſua trahat voluptas, quemadmodum denuo experientia docet, ideo diverſæ admodum ſunt de felicitate opiniones. Quamobrem cum homines omnes per naturam ſuam felicitatem appetant (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*), quilibet autem ſua regatur opinione; quilibet equidem eam inhiat voluptatem, qua ſi fruatur ſe felicem eſſe putat, omnes tamen ſimul trahuntur voluptate prorſus diverſa ab ea, quæ ex perfectionibus divinis percipitur. Quoniam itaque in voluptate, quæ ex perfectionibus divinis percipitur, amor Dei conſiſtit

(§. 1171. *part. 1. Theol. nat.*); falsa de felicitate opinione homines ab amore in Deum avocantur. *Quod erat unum.*

Enimvero amor in Deum & dilectio Dei nexu indivulso cohærent, ita ut Deum ex totis viribus diligere nequeamus absque amore (§. 243.). Quamobrem cum falsa de felicitate opinio homines ab amore in Deum avocet, *per demonstrata;* eadem quoque a dilectione Dei avocantur. *Quod erat alterum.*

Ea, quibus homines vulgo delectantur, aut in sensus incurrunt, aut talia sunt, quorum sibimet in seipsis conscii sunt. Ita alii delectantur rebus, quæ sensus hilarant, ex qualitatibus sensibilibus nimirum voluptatem percipientes; alii delectantur pecunia atque divitiis, alii honore ac gloria, alii amicis, alii denique scientia, eruditione, aut arte, vel virtute. Qui scientia, eruditione, arte, vel virtute delectantur, eorum delectatio propius accedit ad amorem Dei, quam ceterorum. Ac ideo opinio, quam de felicitate fovent, cum veritati non sit contraria, minus obstat amori Dei, quam ceterorum. Quamdiu vero quis in opinione sua persistit, quasi ad felicitatem non alia requiratur voluptas, quam qua trahitur; de amore in Deum minime cogitat, nec capit, quomodo felix eodem reddi possit. Et quamvis voluptatis, qua fruitur, tandem fiat pertæsus; non tamen inquirit, num quid detur aliud, quod voluptatem majorem & magis constantem sibi creare possit, sed ad querelas de miseria humana dilabitur. Deus invisibilis est, nec perfectiones ipsius intuitive agnoscuntur. Quamobrem qui rebus sensibilibus, aut intuitive cognitis delectari consueverunt; ad voluptatem ex perfectionibus divinis percipiendum parum dispositi sunt. Quodsi hæc omnia perpendantur, cur amore Dei non vigeant homines facile intelligitur. Quomodo amor Dei studium placendi Deo accen-

accendat, supra jam ostendimus (*not.* §. 234.). Quamobrem hinc quoque satis patet, cur homines minime diligant Deum, quemadmodum poterant atque debebant, si facultatum suarum rectum facerent usum.

§. 262.

Quoniam falsa de felicitate opinio homines ab amore in Deum & dilectione ipsius avocat (§. 261.); *si præcavendum, ne falsa de felicitate opinio nos ab amore in Deum & dilectione ipsius avocet*, cum diversæ admodum sint voluptatum, quæ homines trahere solent, genera, *pro diversitate voluptatis, considerandum est, vel nocuam esse voluptatem, quam inhiamus, vel eam animum satiare non posse, vel etiam eandem consistere posse cum amore Dei, ac ingens ab eo habere augmentum; insinuanda deinde animo est vera felicitatis notio, simulque perpendendum, quomodo amor Dei nos non modo doceat omnium optime, quænam sint ea, quæ veram voluptatem creant* (§. 254.), *verum etiam plurimum ad felicitatem hominis conferat* (§. 251.); *considerandum præterea, quod nos delectat, idem in Deo multo excellentiori gradu, seu summo dari &*, cum amor in Deum consideratione beneficiorum divinorum omnium facillime in nobis concitetur (*not.* §. 228.), sicque dulcedinem amoris hujus experti de voluptate, qua trahimur, rectius judicare valeamus, *amor in Deum consideratione beficiorum divinorum concitandus.*

Quomodo impedimentum istud tollatur.

Ne falsa felicitatis opinio nos ab amore in Deum avocet, tum falsitas ejus agnoscenda, tum vera felicitatis notio ingignenda, tum denique considerandum, quanta sit felicitas amantis Deum. Huc faciunt ea, quæ præcipiuntur in propositione præsente. Falsæ felicitatis opiniones plurimum variant & pro diversitate inclinationum tam naturalium, quam a teneris præsertim ungviculis acquisitarum, quæ pro-

xime ad eas accedunt, mentes hominum obsident: ast veræ felicitatis notio nonnisi unica. Quamobrem non uno modo falsam felicitatis opinionem eradicare possumus, sed consideranda est voluptas, quam inhiat, ut sit felix, qui ad amorem Dei commovendus. Quamvis vero præsentis instituti ratio minime ferat, ut ad particularia descendamus; ea tamen, quæ de bonorum diversitate ac nascentibus inde inclinationibus, nec non de corruptione voluntatis aliisque huc spectantibus in parte secunda Ethicæ docuimus, nobis insinuant, quæ ad diversas de felicitate opiniones amori in Deum adversas ex animo evellendas faciunt. Cumque in Philosophia practica universali passim tradiderimus, quæ ad felicitatem veram cognoscendam faciunt, in ea versatus ignorare nequit, quomodo felicitatis veræ notio possit animo nostro ingigni. Non diffitemur, in singulis, quæ hic præcipiuntur, faciendis pro diversitate subjectorum, cum quibus nobis negotium est, admodum diversa nobis objici obstacula, quæ haud raro insuperabilia videntur: qua de re minime dubitabit, qui saltem aliquatenus variantes admodum latebras atque recessus in animis hominum inspexit, ut ea de causa infinitus foret labor, si problemata moralia solvi deberent ad eum modum, quo in Geometria problematum solutio traditur, ut nihil præcipiatur, quod quomodo in casu quolibet problematis certo possit effici jam constet ex anterioribus. Non tamen ideo de sublatione illorum impedimentorum prorsus desperandum, modo in iis, quæ Philosophia moralis ex aliis disciplinis, præsertim ex Psychologia, supponit (§. 9. *Eth.*), satis fuerimus versati ac probe calleamus ea, quæ de voluntate emendanda & perficienda in parte secunda Ethicæ satis prolixe docuimus, atque intellectum eo modo perficere studuerimus, quem in parte prima Ethicæ sufficienter explicavimus. Quodsi nimis multa nimisque ardua supponere videamur, id nobis vitio vertendum non est, cum ut quid fieri possit a nobis minime dependeat: neque enim homo ullus est

veri-

veritatis architectus, quam condere pro lubitu potest, quomodo commodam judicet usui suo. Tenendum præterea, dari quoque circumstantias favorabiles, quæ, ubi nobis offeruntur, faciunt ut præstemus, quod a nobis minime fieri posse putabamus (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Consultissimum vero est, ut homo a teneris ungviculis ad agnitionem felicitatis veræ & fucatæ perducatur, & tenellis animis amor in Deum instilletur, ut ejus dulcedinem degustet atque eundem æstimare discat. Corruptio voluntatis in prima ætate facilius præcavetur, quam in adulta tollitur. Educatio bona maximam vim habet in formandis hominum animis.

§. 263.

Amor animo nostro instillatus langvescit, si de existentia vel perfectionibus divinis dubitare incipimus, vel voluptate nobis antea nondum nota frui adsuescimus: immo tandem prorsus deletur. Idem accidit, si rerum aliarum cura mentem totam in se trahit, ut de Deo cogitando spatium nullum nobis supersit. Etenim si de existentia vel perfectionibus divinis dubitare incipimus, non amplius certa prorsus manet agnitio Dei (§. 417. *part. 2. Theol. nat.*). Quamobrem cum amor in Deum nascatur ex cognitione viva (§. 223.), cognitio autem viva fit, quatenus certa est (§. 246. *part. 2. Phil. pract. univ.*); si quis de existentia vel perfectionibus divinis dubitare incipit, prouti jam minus, quam antea propendet assensus in partem affirmativam (§. 417. *part. 2. Theol. nat. nat.*), amor animo nostro instillatus langvescit, immo quamprimum in negativam propendet, prorsus evanescit, seu deletur. *Quod erat primum.*

Quomodo amor Dei langvescat, & deleatur.

Constat homines, quando prima vice voluptate quadam fruuntur, quam nondum perceperunt, eandem ma-

joris facere, quam si non nova esset, consequenter res, quæ eandem creant, attentionem eorum in se trahere, atque cupiditatem fruendi voluptate ista accendere. Quamobrem animus hisce intentus a Deo avertitur, ut de voluptate, quam creat perfectionum ipsius consideratio, nulla subeat eum cogitatio. Quoniam itaque rebus aliis, quam Deo solo, immo tandem iis solis delectari adsuescimus; amor in Deum animo nostro instillatus langvescit, immo tandem prorsus deletur. *Quod erat secundum.*

Denique si rerum aliarum cura mentem totam in se trahit, ut de Deo cogitandi spatium nullum nobis supersit; per se patet, nos quoque tum perfectionum divinarum minime conscios esse. Quoniam itaque ex perfectionibus divinis voluptatem non percipimus, nisi quando nobis earundem conscii sumus (§. 511. *Psych. empir.*); Deo quoque delectari desuescimus, consequenter amor Dei animo nostro instillatus langvescit, ac tandem prorsus deletur. *Quod erat tertium.*

Experientia propositionem præsentem quoad omnes partes confirmat. Videmus sane homines, quibus in prima ætate instillatus fuit amor in Deum, quamprimum in dubitationem de existentia Dei adducuntur, vel dubium quoque ipsis redditur attributum divinum, ob quod potissimum Deum amant, non adeo ardenter, quam ante Deum amare, sed successive vilescere, crescente dubitatione, immo tandem prorsus evanescere amorem in Deum, quando dubitatio vim omnem accipit. Dantur nimirum dubitationis gradus & pro horum diversitate variatur effectus, qui a certitudine cognitionis dependet. Quando quis dubitat, aut in neutram contradictionis partem propendet assensus, aut magis in alterutram propendet (§. 419. *& seqq. part. 2. Theol.*

Theol. nat.), prouti nimirum vel pronior eſt ad affirmandum, quam ad negandum, aut ad negandum, quam affirmandum, vel non pronior ad affirmandum, quam negandum, inter utramque contradictionis partem quaſi immotus hærens: id quod exemplo libræ ad ſenſum communem reducere licet (§. 242. *part. 1. Eth.*). Diverſi hi dubitantium ſtatus ſi ſatis expendantur, quomodo certitudo cognitionis vacillare incipiat, & ſucceſſive decreſcat, ac per conſequens gradus amoris in Deum inde pendens imminuatur, tandemque is prorſus extingvatur, facile intelligitur. Voluptatum antea nondum perceptarum illecebris tentari homines, & voluptatem ſemel perceptam relinquere deſiderium ſui, atque cupiditatem eadem fruendi accendere, nemo eſt qui neſciat, niſi prorſus negligens ſit in obſervandis iis, quæ quotidie contingunt. Hoc ſane modo homines in vitia ruunt, quæ delectationem ſenſualem pariunt. Quamobrem in demonſtratione partis ſecundæ propoſitionis præſentis non ſumitur, niſi quod exploratum eſt, & cujus veritatem quicunque voluerit a poſteriori cognoſcere valet. Amor Dei cum in plerisque ſit ſaltem incipiens, iſtiusmodi voluptates ab initio facile impediunt ne proficiat, immo cum Dei recordatio rareſcat, ut potius deficiat, non eſt quod miremur. Quantum valeat cura hominum, quam in negotia ſua convertunt, ut Dei parum memores ſint, exemplis ubivis obviis docemur. Et quis eſt qui neſciat, homines obtendere ſolere multitudinem negotiorum, quod meditationibus de Deo tempus impendere nequeant, vel conſiderationi rerum vacare, qua ad Deum agnoſcendum adducuntur. Immo non deſunt, qui conqueruntur, tanta negotiorum mole ſe obrui, ut de Deo atque rebus divinis cogitandi ſpatium nullum ipſis relinquatur. Aſt qui Deum amat, ſemper ejus memor eſt (§. 256.).

§. 264.

§. 264.

Quomodo vitandum, ne dubitatio de Deo diminuat amorem.

Quoniam amor in Deum langvescit, si de existentia Dei vel perfectionibus ipsius dubitare incipimus (§. 263.); *si amor in Deum altas in animo radices agere debet, ut evelli nequeat, opera danda est, ut non modo veritatis eorum, quæ de Deo cognoscimus, convincamur, verum etiam quotidiana rerum in hoc universo consideratione, beneficiorum inprimis a Deo nobis collatorum, in eadem confirmemur, a lectione librorum profanorum & colloquiis cum hominibus profanis abstineamus & amoris divini dulcedinem atque in animum effectus probe perpendamus.* Cum enim ex cognitione viva nascatur amor in Deum (§. 223.), quam certitudo efficit (§. 246. *part. 2. Phil. pract. univ.*); quam diu certitudo subsistit, amor quoque in Deum non patitur ullum decrementum. Et quoniam in dubitationem adducimur, si argumenta in contrarium proferantur, quæ speciem quandam veritatis habere videntur, & quibus discutiendis non sufficimus; ea quoque ignorare, quam ad ea animum attendere præstat.

Discimus hinc eos male de genere humano mereri, qui libros profanos, quorum proh dolor! ferax est seculum nostrum, exotica lingua conscriptos in vernaculam transferunt, ut a vulgo imperito legantur, vel etiam in Diariis, aut novellis litterariis recensent, ut errores pestiferi latius spargantur, vel oblivione dudum inobscuratorum memoriam excitant, ut aliorum curiositatem incendant, vel denique refutatoris partes in se suscipientes bonam causam male defendant, ut ipsis paulo acutiores in errorem malum facilius deferantur. Huc etiam referendi sunt, qui argumenta parum firma, quibus non evincitur quod erat probandum, pro firmissimis obtrudunt aliis, magno clamore ingeminantes, ea semper a præstantissimis Theologis & Philosophis

pro

pro certissimis habita fuisse, nec ferre volunt, ut alia firmiora & certiora substituantur. Vociferantur equidem eripi sibi tela in hostes veritatis torquenda: attamen quis mentis adeo inops est, ut sibi persuadere patiatur, illorum esse veritatem defendere, qui tela temeraria jactant. Ast in superioribus, cum de modo agnoscendi Deum ageremus, plura huc spectantia jam passim annotavimus. Ne autem dubiis facile implicentur illi, quibus existentia Dei cum attributis ipsius saltem persuaderi potuit; probe observanda sunt, quæ de genuinis argumentis suasoriis supra jam annotavimus (*not.* §. 71.). Optimum autem adversus dubitationes præsidium est, si amoris dulcedinem jam fuerimus experti & quantum conducat ad virtutis, quam amamus, studium ipso facto didicimus. Tum enim animum non attendemus ad ea, quæ dubitationem injicere possunt, sed profana dogmata odio habebimus.

§. 265.

Quoniam *voluptatum* antea nondum expertarum *illecebris* ab amore in Deum avocamur (§. 263.); *si vim* iis *detrahere velimus, ne amorem in Deum diminuant, aut tandem prorsus extinguant,* *assuescere debemus, ut, quoties ex re quadam voluptatem percipimus, consideremus, id, quod nos delectat, multo excellentiori gradu in Deo dari,* ne scilicet quid magis amemus, quam Deum (§. 222.), *ut perpendamus, voluptatem istam esse transitoriam, & successive diminui, aut prorsus noxiam esse, cum ex adverso voluptas, quæ ex perfectionibus divinis percipitur, immutabilis sit, nec verendum, ut unquam molestiam pariat, quin potius molestiam aliunde ortam deleat, aut saltem mitiget.* ***Quomodo voluptatum illecebris resistatur, ne noceant amori Dei.***

Nolumus in hisce demonstrandis esse prolixiores, cum omnium optime veritatis convincamur, si in nobis ipsis ea-

dem experiri studeamus. Poteramus hic & in ceteris, quæ de amore in Deum demonstravimus & inculcavimus, provocare ad exemplum Davidis, siquidem nobis propositum esset consensum rationis cum scriptura demonstrare, quemadmodum fecimus in Theologia naturali. Etenim in Psalmis larga manu dantur, quæ a nobis tradita confirmant. Cumque magna vis sit exemplorum in praxi morali (§. 260. 265. 269. *part. 2. Phil. pract. univ.*); ut Davidis exemplo discamus, quantum valeat amor in Deum, plurimum conducit, etiamsi ultra limites rationis non progrediamur, intra quos philosophia moralis continetur. Habent autem exempla autoritatem tanto majorem, ut ea sequi velimus, quæ sunt hominum in fortuna regia constitutorum. Neque fine ratione malumus ad exempla, quam ad demonstrationes recurrere, cum illa sint ad captum omnium composita, hæ autem e longinquo petendæ ad paucissimorum sint palatum. Quemadmodum vero qui convincendus est, eam afferre debet ad demonstrationem attentionem, ut agnoscat nullum sumi principium, quod non sit certum, nec a forma demonstrandi aberret (§. 998. *Log.*); ita etiam qui exemplo aliorum discere vult, quid valeat amor in Deum, ea, quæ loquuntur experti, exemplum ipsorum imitando ut in se ipso experiatur opus est. Quodsi quis tantum operæ sumere nolit, is imputet sibi, quod veritatem non perspiciat. Nemo finem consequi potest, nisi qui utatur mediis ad eum ducentibus. Nemo medebitur morbo, nisi qui remediis uti voluerit.

§. 266.

Quomodo caveatur, ne nimia rerum aliarum cura amorem in

Quoniam amor in Deum quoque sopitur, si rerum aliarum cura mentem totam in se trahit, ut de Deo cogitandi spatium nullum nobis supersit (§. 263.); per se patet, impedimentum hoc amoris in Deum tolli non posse,

se, nisi curam istam temperet. Quamobrem *ne nimia rerum aliarum cura ab amore in Deum nos avocet, non modo certum tempus destinandum est agnitioni Dei*, qua amor Dei sicuti concitatur (§. 218.), ita etiam conservatur, quoniam a Deo conditi sumus, ut eum agnoscamus (§. 73.); *verum etiam*, cum Deum in omnibus actionibus colere debeamus (§. 1124. *part. 1. Jur. nat.*), eas determinando per motiva ab attributis divinis desumta (§. 1125. *part. 1. Jur. nat.*), *adsuescere debemus, ut, quicquid tandem agamus, Dei semper memores simus.* *Deum deleat.*

Nemini tanta negotiorum moles incumbit, ut nullum prorsus supersit temporis spatium, quo de Deo cogitare possit, modo sibi in cura rerum agendarum temperare velit. Sane si mane surgit & vespere cubitum it, Dei meminisse cum potest, tum debet. Præterea nos septimum quemque celebramus diem, ut dies festos alios taceam, quo sepositis aliis negotiis cultui divino, cujus pars est agnitio Dei (§. 1234. *part. 1. Jur. nat.*), unice vacare debemus. Sed de hisce plura dicentur infra suo loco. Quoniam vero quicquid agimus, cum sensu officii Deo debiti agere debemus, quemadmodum patet per ea, quæ de pietate atque obedientia Deo debita in anterioribus demonstrata sunt; ideo fieri potest ac debet, ut perpetuo Dei simus memores. Quodsi ergo nimia rerum aliarum cura ab amore in Deum nos avocet, id culpa nostra fit, quatenus vel nulla necessitate nimia negotiorum mole nos obruimus, vel curas nostra culpa accumulamus & in annum venientem extendimus, vel ad eas nimis intenti sumus. In casibus particularibus circumstantiæ insinuant argumenta particularia, quibus curarum vel nimietas, vel inanitas, vel absurditas docetur, ut tanto minus excusetur, qui propter eas agnitionem Dei ad eum amandum & diligendum requisitam negligit. Quando

de fiducia in Deo & acquiescentia in providentia sumus acturi, de nonnullis huc spectantibus disertius dicturi sumus.

§. 267.

De Deo indesinenter amando.

Si quis Deum indesinenter amare atque diligere velit; oportet, ut omnia, quæ in hoc universo nobis obvia sunt & quæ fieri observamus, ad Deum referre adsuescamus. Etenim qui omnia, quæ in hoc universo sibi obvia sunt & quæ fieri observat, ad Deum refert; is in memoriam constanter sibi revocat perfectiones divinas & quæcunque de Deo agnovit, atque in veritate eorundem continuo confirmatur. Quamobrem cum ex cognitione Dei viva nascatur amor (§. 223.), ac ab eodem dependens dilectio (§. 243.); fieri quoque non potest, ut Deum amare ac diligere desinamus. Quodsi ergo Deum indesinenter amare ac diligere velimus, oportet ut omnia, quæ in hoc universo nobis obvia sunt & quæ in hoc mundo contingere observamus ad Deum referamus.

Continuus mentis a creaturis & eventibus in hoc mundo in Deum ascensus amorem conservat & auget, dilectionem non modo constantem ac perpetuam, verum etiam ardentiorem efficit. Propterea in scriptura Sacra ad Deum tanquam causam primam omnia referuntur, quæ in mundo existunt & eveniunt. Quodsi contingant nonnulla, quorum rationem reperire non possumus; id admirationem in nobis excitabit (§. 294. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & ad incomprehensibilitatem ac inscrutabilitatem decretorum divinorum agnoscendam nos adducet: quæ ipsa cognitio amorem Dei alet atque firmabit. Neque vero existimandum est, laborem hunc esse nimis molestum & difficultatibus obseptum, quas non facile superare valeamus. Quodsi enim eidem

eidem per aliquod temporis ſpatium adſueſcamus; ad conſpectum cujuscunque objecti de Deo cogitatio ſua veluti ſponte ſubibit animum noſtrum. Ut vero adſueſcamus, incitamento ſunt ea, quibus ad Deum amandum & diligendum commovemur, *per antea demonſtrata*. Et ne ad eum continuandum ſegnes evadamus, dulcedo amoris divini, quam deguſtavimus, & utilitas dilectionis, quam experti ſumus, præcavebit. Immo eadem de cauſa augebitur eum continuandi alacritas. Tenendum in genere eſt, quamvis multa, quæ de praxi morali demonſtrantur, admodum difficilia videantur, ſi in ſe conſiderentur extra nexum, quo invicem cohærent; non tamen ideo praxin moralem adeo difficilem eſſe, quantum videbatur, ſi veniamus in rem præſentem, cum multa, quæ a ſe invicem dependent, ſua veluti ſponte irrepant in animum, utut de iis nondum cogitaveramus. Multa demonſtratu difficilia ſunt, cum ex remotis admodum principiis tandem deducantur, ideoque multum negotii faceſſunt ei, qui vi demonſtrationis convinci vult, & ſcientiam rerum moralium acquirere ſtudet, id quod philoſophi eſt; non tamen propterea tantum difficultatis deprehenditur in praxi. Sane hoc non ſaltem obtinet in Philoſophia morali, ſed in diſciplinis quoque aliis, immo in ipſa Matheſii.

§. 268.

Studium promovendi gloriam Dei cum dilectione ipſius conjunctum.

Qui Deum diligit, gloriam ejus promovere ſtudet. Qui enim Deum diligit, eidem placere ſtudet (§. 241.), conſequenter operam dat, ut Deo ſeſe obedientem præbeat (§. 237.), ideoque facit, quæ vult ut faciat (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum Deus velit, ut homo gloriam ipſius promoveat (§. 1148. *part. 1. Jur. nat.*), ac ideo condidit eundem, ut promoveat (§. 115.); qui Deum diligit, gloriam ejus promovere ſtudet.

Nemo non agnoscit, nos Deo maxime placere, si faciamus id, ob quod nos condidit, ideoque nos existere voluit; ex adverso autem ipsi displicere, si facere id nolimus, cujus gratia nos condidit, ut utrumque sine probatione admittat, si tantummodo ex se judicium ferat de Deo. Ponamus enim, nos alicui larga stipendia solvere, ut disciplinam quandam excolat. Quodsi is omnem operam in eadem excolenda collocet ac omne tempus consumat; ecquis dubitabit, quod hoc nobis placeat? Quodsi vero quæcunque alia malit agere; nonne quilibet confitebitur, quod id nobis displiceat? Convenit naturæ entis rationalis, ut ipsi placeat, si quis faciat, quod ut faciat vult (§. 156. *part. 2. Eth. & §. 542. Psych. empir.*).

§. 269.

Item cum amore in Deum. Quoniam amor & dilectio Dei indivulso nexu cohærent (§. 243.), qui vero Deum diligit, gloriam ejus promovere studet (§. 268.); *qui Deum amat, gloriam ejus promovere studet.*

Amans amato placere studet in omnibus actionibus suis. Exemplo sunt liberi, qui parentes suos impense amant. Quamobrem cum liberi parentes suos amare debeant (§. 739. *part. 7. Jur. nat.*), hoc quoque officium ipsorum erga parentes ex amore deduximus, quod in omnibus actionibus suis studere debeant, ut placeant parentibus, ac sollicite sibi cavere, ne quid faciant, quod voluntati illorum adversum (§. 745. *part. 7. Jur. nat.*), per omnem vitam (§. 805. *part. 7. Jur. nat.*). Placemus autem alteri in actionibus nostris, si faciamus, quæ vult, aut quæ quando facimus ab ipso approbantur. Quod Deus maxime vult, omnino hoc est ut gloriam ipsius promoveamus, cum hoc fine condiderit hoc universum & hominem in eo. Quamobrem Deo maxime placet, ut gloriam ejus promoveamus, cumque

que ad studium placendi Deo nos ducat amor Dei (§. 234.); studium promovendi gloriam Dei ab amore in Deum separari nequit. Supponimus nimirum homini cognitum esse, ob quem finem a Deo fuerit conditus totusque mundus adspectabilis & quid ideo fieri velit ab homine. Pertinet hoc utique ad agnitionem Dei, ex qua nascitur amor (§. 223.). Quoniam Deum ex totis viribus diligere debemus (§. 172. *part. 1 Jur. nat. &*. 244. *b.*); nihil quoque in agnitione ipsius prætermittendum, quod a nobis cognosci potest.

§. 270.

Amor Dei naturæ humanæ maxime convenit. Quando enim Deum amamus, ex perfectionibus divinis voluptatem percipimus (§. 1171. *part. 1. Jur. nat*). Enimvero homini naturale est, ut, quando sibi conscius est perfectionis cujusdam, voluptate perfundatur (§. 511. *Psych. empir.*). Quamobrem cum Deus summa perfectione gaudeat (§. 387. *part. 1. Theol. nat.*), & voluptas major sit, quo major fuerit perfectio (§. 516. *Psych. empir.*); amor Dei naturæ humanæ maxime convenit. *Amoris in Deum convenientia cum natura humana.*

Considerandum inprimis est, quod appetitus hominis tendat in infinitum, ita ut nihil detur quod ipsum satiare possit præter Deum, cujus absolute summa perfectio est, qua majorem concipi repugnat, sicque ipsa natura hominem trahat in amorem erga Deum. Non vero est quod mireris, in tam paucis residere amorem erga Deum, ac multo pauciores esse, qui Deum amant ex totis viribus & super omnia: neque enim amor menti humanæ insitus, sed appetitus saltem naturaliter inclinatus in amorem erga Deum recto facultatum usu concitandum. Per facultates animæ possibilis est amor in Deum, & appetitus insatiabilitas naturalis stimulus est ad faciendum usum facultatum, quo

quo is in actum deducitur. Aſt quia homines ſuarum facultatum uſum non faciunt, quem facere debebant, cum quia nolunt, tum quia non poſſunt ob neglectum perficiendi facultates, quemadmodum in parte prima & ſecunda Ethicæ docuimus, neque ad naturalem iſtum ſtimulum attendunt, ut inquirant in objectum, quod appetitum ex aſſe ſatiare poſſit; omnis ſane ceſſat admiratio, ſi videmus id, quod naturæ humanæ maxime convenit, in homine deſiderari. Nihil hic aſſeritur, quod non ſatis obvium ſit, & a quolibet obſervari poſſit, modo nolit attentionem ſuam deſiderari. Inſatiabilitas appetitus dudum agnita, nec ignota res eſt. Et ſatis conſtat, eam fuiſſe uſurpatam tanquam motivum agnoſcendi Deum, ut eodem delectemur, Immo non defuerunt, qui hinc exiſtentiam Dei probare voluerint, quamvis non ſatis felici ſucceſſu, quemadmodum deprehendet, qui artis demonſtrandi peritus hinc colligere voluerit, dari neceſſario ens quoddam ſumme perfectum, quod appetitum noſtrum ſatiare poſſit.

§. 271.

Amor incitat ſtudium pietatis.

Amor erga Deum ſtudium pietatis incitat. Qui enim Deum amat, gloriam ejus promovere ſtudet (§. 269). Aſt qui gloriam Dei promovet, pius eſt (§. 111.). Amor igitur erga Deum ſtudium pietatis incitat.

Apparet itaque nexus pietatis cum amore in Deum. Agnitione Dei concitatur amor (§. 223.), qui parit dilectionem Dei (§. 243.) &, ut Deum diligamus, ad pietatis ſtudium deducimur. Nexus officiorum erga Deum ut cognoſcatur, plurimum intereſt. Inde nimirum patet, unde ſit incipiendum, ut cetera veluti ſponte ſua conſequantur, & quomodo continuo ſit progrediendum, ne praxis reddatur difficilis atque moleſta. Huc etiam reſpiciendum, ſi ratio reddenda eſt eorum, quæ quoad praxin officiorum erga Deum tam in nobis, quam in aliis obſervamus.

§. 272.

§. 272.

Charitas peculiaris virtus est. Deum enim amare (§. 1172. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter quoniam cum amore in Deum dilectio necessario vinculo cohæret (§. 243.), diligere debemus. Quoniam itaque charitas est habitus diligendi Deum (§. 241.), omnis vero habitus actiones suas juxta legem naturæ determinandi virtus est (§. 322. *part. 1. Phil.pract. univ.*); charitas virtus est. *Quod erat unum.* *An charitas sit virtus peculiaris.*

Enimvero consistit dilectio in voluntate faciendi ea, quæ Deo placent (§. 241.), consequenter Deo sese obedientem præbendi, ut ipsi placeamus (§. 237.). Quoniam itaque animus placendi Deo charitatem ab obedientia distingvit; charitas peculiaris virtus est. *Quod erat alterum.*

Superius jam satis explicavimus, quomodo charitas ab obedientia distingvatur (*not.* §. 241.), quam peculiarem esse virtutem ostendimus (§. 192.). Quemadmodum vero generalis quædam virtus est obedientia (*not.* §. 193.), quæ ad omnem virtutem reliquam accedere potest ac debet (§. *cit.*); ita quoque charitas generalis virtus est, ex qua virtutes ceteræ omnes, ipsa quoque obedientia, fluunt, & quæ ideo ad virtutem omnem accedere potest ac debet. Equidem virtuti locus esse potest absque charitate, quatenus illa nititur solis motivis ab intrinseca bonitate atque malitia actionum desumtis. Sed tum virtus adhuc imperfecta est. Quodsi vero ex charitate fluat, novam quandam formam induit: virtutis enim forma dijudicanda est ex animo virtutem colentis. Accedit, non omnem facultatum omnium usum in culturam virtutis impendi, si desit charitas.

§. 273.

An amor Dei qua affectus virtus sit.

Quoniam charitas virtus est (§. 272.), & in habitu diligendi Deum consistit (§. 241.), cum dilectione autem Dei arctissimo vinculo cohæret amor erga ipsum (§. 243.); *amor erga Deum in charitate continetur*, & quamvis lege naturali præcipiatur (§. 1172. *part. 1. Jur. nat.*), *non* tamen propterea *virtus peculiaris a charitate distincta est.*

Amor Dei ad appetitum sensitivum, dilectio vero ad rationalem seu voluntatem pertinet. In charitate igitur, quæ amorem atque dilectionem simul continet, appetitus sensitivus cum rationali ad consensum reducitur. Cum lege naturali obligemur operam dare, ut appetitus rationalis cum sensitivo & aversatio rationalis cum sensitiva consentiat (§. 267. *part. 1. Jur. nat.*), virtus vero consistat in habitu actiones suas legi naturæ conformandi (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*); consensus appetitus sensitivi cum rationali ad omnem virtutem requiritur, nisi laborare debeat aliqua imperfectione. Constat autem, si appetitus sensitivus & aversatio sensitiva cum rationali consentit, affectus quoque cum voluntate atque noluntate consentire (§. 275. *part. 1. Jur. nat.*). Amor igitur erga Deum equidem virtus peculiaris non est; ad charitatem tamen Dei perfectam, quæ virtus est (§. 272.), requiritur. Actus appetitus sensitivi & rationalis mirifice permiscentur in actionibus humanis, prouti perceptiones distinctæ suscitant confusas vi imaginationis & inde rursus ortum trahunt distinctæ intellectus actu per confusas determinato, quemadmodum in se ipso experiri potest, qui principiorum Psychologicorum gnarus in latebras & recessus in animo suo sollicite inquirit. Per se autem patet, quod pollere debeat vi mentis ad hanc disquisitionem sufficiente, qua pollere nequit, nisi satis perfecerit intellectum, quemadmodum in parte prima Ethicæ docuimus. Quamvis itaque Deus sit insensibilis, ut per se obje-

objectum, appetitus sensitivi esse nequeat; hoc tamen minime obstat, quo minus amor tanquam affectus erga Deum concitetur, & sic quoque appetitus sensitivus in eum feratur. Scriptura sacra Deum diligi jubet ex toto corde & ex tota anima. Per cor intelligit voluntatem, seu appetitum rationalem, per animam vero appetitum sensitivum, quæ hic synedochice sumitur, cum alias per animam significetur complexus omnium facultatum inferiorum, seu pars animæ humanæ inferior.

§. 274.

Aversio a Deo vitium est, quo homo voluptati ex perfectionibus divinis percipiendæ præfert voluptatem ex rebus aliis percipiendam. Quoniam Deum super omnia amare (§. 1172. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter ex nulla re alia voluptatem majorem percipere debemus, quam ex perfectionibus divinis (§. 1171. *part. 1. Jur. nat.*); *aversio a Deo legi naturæ contraria*, & per consequens omnino *vitium est* (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Patet etiam *aversionem a Deo continere neglectum amoris Dei* (§. 1171. *part. 1. Jur. nat.* & §. 750. *part. 1. Phil. pract. univ.*). *Aversio a Deo quid sit.*

Aversio a Deo charitati opponitur tanquam vitium, quod quatenus privative consideratur, consistit in neglectu amoris erga Deum, quatenus vero positive spectatur, in præpostero felicitatis studio (§. 636. *Psych. empir.*). Qui Deum super omnia amat, quemadmodum debet (§. 1172. *part. 1. Jur. nat.*), delectari non vult nisi Deo, nec rebus aliis nisi propter Deum (§. 255.). Sed de his disertius dicemus, quando ostensuri sumus, quomodo nos ipsos & homines alios, itemque res alias diligamus propter Deum. Sufficiant interea, quæ superius ea de re diximus (*not.* §. 255.). Appetitus hominis naturaliter determinatus ad felicitatem (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*); per naturam

stram hominis eo fine conditi ut gloriam Dei promoveat (§. 115.) & cujus perfectio in aptitudine manifestandi gloriam ipsius consistit (§. 915. *part. 1. Theol. nat.*), Deum respicit. Quamobrem si homo felicitatem inhians rebus aliis delectatur; appetitum a Deo avertit & ad res alias, vel homines convertit.

§. 275.

Unde aversio a Deo oriatur. Quoniam aversio a Deo neglectum amoris Dei continet (§. 274.), qui ex agnitione Dei viva oritur (§. 223.), negligentia vero consistit in omissione eorum, quæ certo fine fieri debent (§. 750. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *a Deo se avertere incipit qui Deum agnoscere negligit*, cumque non deguster dulcedinem amoris erga Deum, voluptatem ex rebus aliis perceptam præfert voluptati ex perfectionibus divinis percipiendæ, incognitum nimirum non appetens (§. 148. *part. 2. Etht.*), *tandem prorsus avertitur.*

Cum in parte secunda Ethicæ de differentia bonorum ageremus, ostendimus quoque, unde oriantur diversæ inclinationes hominum, quibus a Deo avertuntur. Non igitur opus est, ut ad particularia descendamus. Ultima vero ratio tandem redit ad neglectum agnitionis vivæ, sine qua locus non est amori Dei (§. 223.). Cum homo obligetur Deum agnoscere (§. 1129. *part. 1. Jur. nat.*) & omnem dare operam, ut vivam Dei cognitionem acquirat (§. 1139. *part. 1. Jur. nat.*), quo amor erga ipsum concitetur (§. 218.); non usum facit facultatum suarum, quem facere debebat, ac ideo neglectus amoris in Deum ipsi imputandus & quod a Deo se avertit.

§. 276.

A Deo se avertens num Deum di- Quoniam aversio a Deo neglectum amoris Dei continet (§. 274.), absque amore erga Deum vero dilectio Dei

Dei non concipitur (§. 243.); *qui a Deo se avertit, Deum diligere nequit*, consequenter cum charitas in habitu diligendi Deum consistat (§. 241.), *cum aversione a Deo charitas consistere nequit.*

ligere possit & num aversio ista cum charitate consistat.

Atque hinc patet, cur aversio a Deo charitati tanquam vitium opponatur, sive privative, sive positive consideretur (*not.* §. 274.). Sunt equidem multi, qui sibi persuadent, se Deum amare ac diligere posse, quamvis se putent esse felices, dum voluptatibus aliis fruuntur, quam quæ percipitur ex perfectionibus divinis; ast hi non satis intelligunt, quid sit amare Deum, quid sit ipsum diligere, & ab eo se avertunt, dum ipsi adhærere sibi videntur. Erroris autem sui facile redarguuntur per ea, quæ de amore in Deum & dilectione ipsius in anterioribus demonstrata sunt. Ab eodem autem sibi maxime cavebit, qui noverit, quomodo nos & homines alii & res quæcunque aliæ propter Deum amari atque diligi debeant. Sed quæ alio loco rectius demonstrabuntur, anticipare nolumus.

§. 277.

Quomodo aversio a Deo præcaveatur.

Si quis sibi cavere vult, ne a Deo avertatur; adsuescere debet, ut semper inquirat, quale sit id, ex quo voluptatem percipit, ac porro consideret idem dari in Deo in gradu multo excellentiori, voluptatemque præterea nocuam & transitoriam agnoscat. Qui enim adsuescit, ut semper inquirat, quale sit id, ex quo voluptatem percipit, ac porro considerat, idem in Deo in gradu multo excellentiori dari, sibi cavet, ne rem quandam, aut personam magis amet quam Deum (§. 222.), consequenter ne voluptatem ex re alia percipiendam præferat voluptati ex perfectionibus divinis percipiendæ. Quamobrem cum a Deo se avertat, qui voluptatem ex rebus aliis percipiendam præfert voluptati

ex perfectionibus divinis percipiendæ (§. 274.); si quis semper considerat, quale sit id, quod voluptatem ipsi creat, & quod idem in Deo in gradu excellentiori detur, sibi cavebit, ne a Deo avertatur. *Quod erat primum.*

Cum voluptates nocuæ in tædium degenerent, vel tædium pariant, ideoque ex eodem objecto, ex quo ante voluptatem perceperamus, posthac tædium percipiamus, vel ex eo, unde voluptatem perceperamus, quidpiam sequatur, ex quo tædium percipimus (§. 383. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quando vero ex perfectionibus divinis voluptatem percipimus eaque pascimus animum, tale quid metuendum non sit, propterea quod perfectiones divinæ veram pariunt voluptatem (§. 514. *Psych. empir.*), hæc autem tum in se spectata, tum respectu subjecti, a quo agnoscitur, constans est, seu semper oritur, quotiescunque illius nobis conscii sumus (§. 513. 515. *Psych. empir.*); si voluptates nocuas agnoscimus, non patiemur earum illecebris nos a Deo avocari. Quamobrem qui sibi cavere vult, ne a Deo avertatur; voluptatem nocuam esse, qua irritatur, agnoscat oportet. *Quod erat secundum.*

Similiter quia voluptas transitoria nonnisi exiguo temporis spatio durat, nunquam reditura (§. 385. *part. 1. Phil. pract. univ.*), cum ex adverso voluptas ex perceptionibus divinis percipienda semper sit in potestate nostra, ut eadem continuo frui valeamus, *per demonstrata;* nemo, qui sapit, voluptatem ex perfectionibus divinis percipiendam cum alia quadam transitoria commutabit, consequenter nec se illecebris voluptatum transitoriarum a Deo se avocari patietur. Qui ergo sibi cavere vult, ne a Deo avertatur,

tatur, agnoſcat oportet, tranſitoriam eſſe voluptatem, qua irritatur. *Quod erat tertium.*

Voluptates, quibus homines a Deo avertuntur, plerumque nocuæ atque tranſitoriæ, vel ſaltem tranſitoriæ ſunt. Quamobrem qui ſibi cavere vult, ne a Deo avertatur, voluptates quales ſint, ſedulo inquirere debet. Voluptates tranſitoriæ pleræque tales ſunt, ut, ſi vel maxime fuerint innocuæ, tandem faſtidiantur. Conſultum quoque eſt, ut conferantur cum voluptate, quæ ex perfectionibus divinis percipitur, quo differentia fiat manifeſta. Neque eſt quod exiſtimes, iſtiusmodi conſiderationes non convenire hebetioribus, ſed philoſophis ſaltem acutioribus. Cum enim conſideratione rerum in hoc univerſo hebetiores etiam ad agnitionem Dei perduci poſſint (§. 71.), ac inprimis beneficiorum divinorum, ex quibus bonitas ejus eluceſcit (§. 697. *part. 1. Theol. nat.*), cognitio nullius captum tranſcendat, voluptates autem ceteræ omnes, quales ſint, experientia conſtare poſſit; nihil hic requiritur, quod non accommodari ad captum omnium poſſit, aut ad ſenſum communem reduci (§. 242. *part. 2. Eth.*). Hæc quidem potiſſimum faciunt ad determinandum noluntatem, ne nos a Deo avertere velimus. Enimvero ne propoſiti noſtri ſimus immemores, quando voluptatum illecebris tentamur, aut omnem attentionem ad res præſentes, ſeu animo obverſantes convertamus; aſſuetudine aſcenſus mentis a creaturis in Deum conſequimur.

§. 278.

Averſio a Deo ſupponit notitiam exiſtentiæ Dei & quod Deo delectari poſſimus. Etenim qui a Deo ſe avertit, voluptati ex perfectionibus divinis percipiendæ præfert voluptatem ex rebus aliis percipiendam (§. 274.). Enimvero qui unum alteri præfert, is utriusque notitiam quandam habere

Quid averſio a Deo notum præſupponat.

bere

bere debet, quod per se patet. Quamobrem si homo præfert voluptatem ex rebus aliis percipiendam voluptati, quæ percipitur ex perfectionibus divinis, necesse est ut norit dari Deum & ex perfectionibus ipsius voluptatem quandam percipi posse. Aversio igitur a Deo supponit notitiam existentiæ Dei & quod Deo delectari possimus.

Qui Deum existere ignorat, nec ullam ejus notionem habet (§. 428. *part. 2. Theol. nat.*). Quamobrem nec dici potest, quod se a Deo ad res alias avertat. Equidem non fruitur ea voluptate, quæ ex perfectionibus divinis percipitur & verum pabulum animæ est; ast cum ignotum nec appetere, nec aversari possimus (§. 148. *part. 2. Eth.*), voluptatem illam non minoris facit quam alias, a quibus trahitur. Quodsi ergo virtutibus intellectualibus & moralibus delectetur, quia non delectatur iisdem propter Deum, defectu quidem aliquo laborat felicitatis studium, non tamen ab aversione a Deo labem contrahit. Enimvero si quis novit dari Deum & edoctus fuerit, nos Deo delectari debere, non tamen inquirit, quomodo delectemur eodem, negligentia labe inficit felicitatis studium, si vel maxime sibi caveat a voluptate apparente, præsertim nocua. Nimirum qui Deum existere ignorat, ad eum non convertit animum, mera volitionis privatione; qui vero novit dari Deum & audivit, nos Deo delectari debere, ad Deum animum convertere non vult, positivo actu nolitionis, quamvis nondum dici possit, quod se a Deo avertat, quia voluptatis ex perfectionibus divinis percipiendæ nullam adhuc notionem habet, cum ab aliis non perceperit nisi sine mente sonum, quatenus verba alterius ad ipsum referuntur.

§. 279.

Quando Deum dereliu-

Si quis voluptatum antea nondum cognitarum illecebris ab amore in Deum avocatur, a Deo se avertit. Etenim si quis volu-

voluptatum antea nondum cognitarum illecebris ab amore in Deum avocatur, is voluptati ex perfectionibus divinis percipiendæ præfert voluptates alias (§. 1171. *part.* 1. *Jur. nat.*). Sed qui voluptati ex perfectionibus divinis percipiendæ præfert voluptates alias, a Deo se avertit (§. 275.). Quamobrem si quis voluptatum antea nondum cognitarum illecebris ab amore in Deum avocatur, a Deo se avertit. *quum ab eo se avertat.*

Deum relinquit, qui eum amare desinit. Non tamen omnis derelictio Dei est aversio a Deo. Etenim si quis in atheismum incidit, vel in Deismum, aut etiam in dubitationem de Deo & attributis divinis adducitur, ut assensus pronior sit in partem negativam, quam affirmativam, Deum derelinquit: non tamen dici potest, quod voluptates alias majoris faciat, quam voluptatem ex perfectionibus divinis percipiendam, cum hanc pro imaginaria habeat. Aliud vero est voluptatem quandam pro imaginaria habere, aliud eandem minoris facere, quam aliam. Si voluptatem quandam pro imaginaria habemus, eam nullam esse putamus & eos decipi existimamus, qui eidem indulgent: ast si voluptatem unam alteri præferimus, utramque realem agnoscimus, sed gradu inter se differre statuimus. Derelictio igitur Dei ab aversione a Deo recte distingvitur, quamvis hæc sub ea contineatur.

§. 280.

Quoniam a Deo se avertit, qui voluptatum antea nondum cognitarum illecebris ab amore in Deum avocatur (§. 279.); *eodem modo cavetur, ne quis a Deo se avertat, quo cavetur ne voluptatum antea nondum cognitarum illecebris ab amore erga Deum avocetur.* *De modo precavendi aversionem a Deo notanda.*

Patet hoc ex collatione eorum, quæ de modo utrumque præcavendi demonstravimus (§. 265. 277). Quamobrem quæ supra annotavimus (§. 265.), ea etiam ad propositionem anteriorem (§. 277.) trahi possunt.

§. 281.

An aversio a Deo idololatria sit.

Aversio a Deo idololatriæ quædam species est. Etenim qui a Deo se avertit, rebus aliis magis delectatur, quam Deo (§. 274), consequenter eas magis amat, quam Deum (§. 1171. *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero Deum super omnia debemus amare (§. 1172. *part. 1 Jur. nat.*), consequenter magis quam res quascunque, vel personas quascunque. Quamobrem qui a Deo se avertit, officium Deo debitum præstat personis, vel rebus aliis, quæ Deus non sunt. Quamobrem cum idololatra sit, qui hoc facit (§. 1258. *part. 1. Jur. nat.*); aversio a Deo species quædam idololatriæ est.

Idololatria subtilior distingvenda est a crassa (*not.* §. 1258. *part. 1. Jur. nat.*). Sed de hoc plura dicenda sunt suo loco.

§. 282.

De inobedientia cum aversione in a Deo conjuncta.

Qui se a Deo avertit, eidem se obedientem non præbet; sed inobediens est. Qui enim a Deo se avertit, eum non diligit (§. 276.), consequenter nec ipsi placere studet (§. 241.). Quamobrem cum Deo placeamus, si nos eidem obedientes præbemus (§. 237.); ut Deo se obedientem præbeat, operam non dat. *Quod erat unum.*

Qui nullam dat operam, ut Deo se obedientem præbeat, cum Deo nos obedientes præbeamus, si faciamus, quod Deus vult, quia vult ut faciamus (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*), curæ cordique non habet, num Deus velit, ut faciat,

facit, an vero nolit, consequenter nisi aliæ sint rationes, cur faciat quod voluntati divinæ conforme est, id non facit, & ex adverso si sibi sint rationes, ut faciat, quod Deus fieri non vult, hoc parum ipsum movet, ne faciat. Quoniam itaque inobediens est, qui facere non vult, quod ut faciat vult Deus, aut non vult abstinere ab eo, quod Deus non vult, ut faciat (§. 1168. *part. 1. Jur. nat.*); qui a Deo se avertit, inobediens est. *Quod erat alterum.*

Qui a Deo se avertit, sua trahitur voluptate (§. 274.), ideoque facit quod sibi placet, non vero quod placet Deo, nisi contingat ipsi idem placere, quod Deo placet. Ast tum actio ipsius non proficiscitur ex obedientia erga Deum, ac per consequens actio, quæ in se spectata Deo placet, non tamen placet quia non committitur animo obediendi. Sane nec voluntati divinæ conformis dici potest actio, quamvis legi naturæ conveniat, propterea quod Deus vult, ut legem naturæ servemus, quo obedientiam ipsi debitam præstemus (§. 1167. *part. 1. Jur. nat.*), nisi animo Deo obediendi faciamus, quod lege naturæ præcipitur, aut non faciamus, quod eadem lege prohibetur. Quemadmodum obedientia cum amore Dei cohæret (§. 243.); ita quoque inobedientia cum aversione a Deo, quæ amori opponitur, conjuncta est. Qui a Deo se avertit, voluntatem suam Deo non dat, sed sibi retinet, nec voluntatem Dei loco voluntatis propriæ habet: sua nimirum voluptas ipsi commendat facienda. Qui animum attendit ad differentiam inter privationem obedientiæ & inobedientiam, quæ actum positivum nolitionis, consequenter notitiam voluntatis divinæ requirit; facile perspicit, cur duas propositionis partes fecerimus.

§. 283.

De blasphemia.

Charitati erga Deum maxime repugnat blasphemia. Qui enim Deum blasphemat, non erubescit dicere, vel face-

re, quæ perfectioni divinæ repugnant, eo animo, ut honori ejus detrahatur, vel is vili pendatur, aut nihili fiat (§. 1157. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum perfectio hominis consistat in aptitudine manifestandi gloriam Dei (§. 917. *part. 1. Theol. nat.*), homo autem gloriam Dei aliter manifestare nequeat, quam si attributa divina sint motiva actionum liberarum (§. 919. *part. 1. Theol. nat.*), consequenter dictorum & factorum, blasphemia maxime repugnat perfectioni hominis accidentali, quam acquirere debet ex voluntate Dei (§. 918. *part. 1. Theol. nat.*). Enimvero nihil Deo placere potest, nisi quatenus perfectum est, quatenus vero imperfectum est placere nequit (§. 207. *part. 2. Theol. nat.*), & ipsi displicet, quod actu positivo non vult, seu aversatur (§. 208. *part. 2. Theol. nat.*). Blasphemus igitur facit, quod Deo maxime displicet, placere autem nequit. Quoniam itaque charitas consistit in habitu faciendi, quod Deo placet (§. 241.); eidem blasphemia in Deum maxime repugnat.

Ad vitia, quæ charitati erga Deum opponuntur, refertur blasphemia, & hoc vitiorum maximum est, quia charitati erga Deum omnium maxime repugnat. Esse blasphemiam vitium inde patet, quia lege naturali omnium maxime prohibita (§. 1158. *part. 1. Jur. nat.*), ad vitium vero refertur omnis actio legi naturæ contraria (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 284.

De atheo blaspheman- te animo il- ludendi able

Si atheus Deum blasphemat animo illudendi ablepsiam, quam Deum confitentibus imputat, ablepsia, qua ipse laborat, ostendenda & absurditas ejus redarguenda. Athei videntur sibi & videri quoque volunt ceteris omnibus acutiores (*not.* §. 84);

84.); ac propterea ceteris, qui Deum confitentur, ablepsiam imputant, ut sibi persuaderi patiantur, quod non est (§. 433. *part.* 2. *Theol. nat.*). Quamobrem si superbi sint, (§. 888. *part.* 1. *Jur. nat.*) & fastosi (§. 583. *part.* 1. *Jur. nat.*); animo illudendi ablepsiam, quam Deum confitentibus imputant, Deum blasphemant, ut quam exiguum sit ipsis acumen luculentius appareat. Quoniam vero ex iis, quæ de agnitione Dei supra demonstrata sunt, abunde patet, ablepsiam atheorum esse, quam tribuunt Deum confitentibus; ut agnoscatur, quod nulla ipsis ratio sit blasphemandi Deum, quem nos in honore habemus, ipsorum ablepsia ostendenda (§. 84. & *seqq.*). *Quod erat unum.* *psiam confitentium Deum.*

Enimvero cum atheus velit, ut sententia sua, quod nullus detur Deus, pro vera habeatur, sententiam vero Deum confitentium falsam esse agnoscatur; nemo non videt blasphemias, quibus honori Numinis detrahitur (§. 1157. *part.* 1. *Jur. nat.*), non esse medium aptum ad persuadendum atheismum. Quamobrem cum absurdum sit uti mediis fini, quem quis intendit, contrariis, & in refutatione abstinendum sit a verbis, quæ contumeliam, vel injuriam redolent (§. 1056. *Log.*); si atheus Deum blasphemat animo illudendi ablepsiam, quam Deum confitentibus tribuit, absurditas ejus redarguenda. *Quod erat alterum.*

Non Deum blasphemat atheus, quia Deum non existere opinatur. Habet enim Deum pro non ente, cujus nulla sunt prædicata. Nimis itaque pueriliter foret, si honori ejus detrahere vellet, quem nullum esse agnoscit. Quando igitur Deum blasphemat, animus illudendi non ad Deum, sed ad eos refertur, qui Deum confitentur. Errant hi opinio-

pinione athei. Nemo vero sanus sibi persuadebit, illusionibus posse quemquam erroris convinci. Hæ igitur proficiscantur necesse est ex alio vitio, quo illusor laborat. Quodnam vero vitium aliud esse potest, quod illusionem ablepsiæ aliis imputatæ gignit, quam fastus, quo sibi acutior videtur, quam est (§. 583. *part. 1. Jur. nat.*), & superbia, qua se supra alios effert & acutior vult aliis videri (§. 888. *part. 1. Jur. nat.*). Ex hoc sane fonte manat satyricum scribendi genus in sententiis aliorum impugnandis, quod quamvis usum habeat in perstringendis vitiis, nullam tamen excusationem habet in sententiis & opinionibus examinandis, præsertim si magnum ad beatam vitam, vel etjam ad scientiam perfectam momentum habeant. Quamobrem ut atheus a blasphemia Numinis abducatur, delendus foret fastus, delenda superbia. Quoniam vero hoc difficillime fieri potest, tela in atheum retorqueri consultius est, ne noceat aliis, cum ipse non possit emendari. Notandum præterea malæ causæ indicium esse, si quis conviciis magis confidit, quam rationibus; sicuti ex adverso bonam causam commendat abstinentia ab iisdem. Possunt autem atque debent tela retorqueri cum moderatione, & cum eadem quoque absurditas redarguenda: id quod facile obtinebitur, si caveatur, ne affectus pravi verba dictitent, quæ magis personam, quam rem, de qua agitur, respiciunt. Affectus enim, qui mentem in transversum agunt, nihil moderabile suadent.

§. 285.

De blasphemia sorte sua non contenti, & in malum incidentis:

Qui Deum blasphemat, vel quia sorte sua contentus non est, vel quia in malum incidit; insaniæ redarguitur in casu priore dominii divini & bonitatis repræsentatione, in posteriore autem ostendendo malorum physicorum in mundo existentiam non repugnare bonitati Dei & ab ipso dirigi in bonum finem, aut, si quis sua culpa

culpa in malum incidit, hanc urgendo. Qui enim Deum blasphemat, quia forte sua contentus non est, indigne fert aliorum fortunam atque conditionem, sibique injuriam a Deo fieri putat, quod non in eadem positus fuerit, sibi persuadens quod eam magis mereatur quam illi. Ast cum Deus sit dominus omnium rerum in hoc universo, atque hominum etiam (§. 965. 966. *part. 1. Theol. nat.*); ipsi competit jus pro arbitrio suo disponendi de rebus omnibus ipsisque hominibus (§. 959. *part. 1. Theol. nat.*), consequenter unicuique dare potest, quod ipsi visum fuerit, nec homini ulli quidpiam debet, quod ab ipso jure suo possit exigere. Cumque mundum gubernet sapientia & bonitate sua (§. 902. 903. *part 1. Theol. nat.*), unicuique autem tantundem boni confert, quantum salva sapientia sua fieri potest (§. 698. *part. 1. Theol. nat.*), sicque bonitatem sapientiæ attemperat; nihil committit, quod sit justitiæ adversum (§. 1067. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem nihil absurdius cogitari potest, quam si quis dictis, vel factis honori Dei detrahere velit, quod aliorum fortunam atque conditionem meliorem sua reputans forte sua contentus non est. Quoniam itaque hoc facit, qui Deum blasphemat, quia forte sua contentus non est (§. 1157. *part. 1. Jur. nat.*); insaniæ suæ redarguitur, si ipsi repræsentetur dominium divinum & bonitas divina. *Quod erat unum.*

Qui Deum blasphemat, quia in malum incidit, aut indigne fert malorum physicorum in mundo existentiam, quæ ex eodem proscribi debuisse contendit, aut indignatur, quod Deus malum, in quod incidit, non a se averterit. Mala physica in hac serie rerum, qui mundus est

(§. 55.

(§. 55. *Cosmol.*), ita implicantur bonis ut, si mala inde auferre velis, bona una cum ipsis auferas (§. 675. *part. 1. Theol. nat.*), nec Deus salva sapientia summa atque perfectissima ea tollere potest (§. 676. *part. 1. Theol. nat.*), attamen dirigit in bonum finem (§. 680. *part. 1. Theol. nat.*), vi bonitatis suæ (§. 733. *part. 1. Theol. nat.*), immittit homini mala physica, ut adversus malum morale præmuniatur, vel ab eodem desistat (§. 734. *part. 1. Theol. nat.*), immittit minus, ut eodem avertatur majus (§. 735. *part. 1. Theol. nat.*). Immo sublato malo hæc rerum series non permaneret omnium possibilium perfectissima (§. 556. *part. 1. Theol. nat.*), nec fini a Deo intento conveniret (§. 616. 617. *part. 1. Theol. nat.*). Absonum itaque est, si quis prætendat, ex mundo præscribenda esse mala physica. Cumque Deus rem nullam potuerit aliter facere, quam fecit, quoad determinationes essentiales & attributa (§. 557. *part. 1. Theol. nat.*), nec propter nexum rerum in hoc mundo (§. 55. *Cosmol.*), vi cujus actus contingentium in eodem determinantur (§. 83. *Cosmol.*), homo unusquisque locum alium in hac serie obtinere potuerit, quam in quo constituitur, &, si quod malum physicum ab eo foret avertendum, in quod incidit, absque sua culpa, id per miraculum fieri deberet (§. 519. *Cosmol.*), tuncque si Deus in gratiam hominis cujusdam tolleret (§. 553. *part. 1. Theol. nat.*), sequens seriei pars non amplius eadem maneret (§. 555. *part. 1. Theol. nat.*); non minus absonum est, si quis prætendat, ut malum, quod evitare non potest, ab ipso avertatur. Maxime autem absurdum est imputare Deo malum, in quod quis incidit sua culpa, quodque potuisset ac debuisset evitare. Patet itaque, si quis blasphe-

blasphemat Deum, quia in malum incidit, ut insaniæ redarguatur, ostendendum esse, quod malorum physicorum existentia non repugnet bonitati Dei, quodque ab ipso dirigantur in bonum finem. Et si quis culpa sua incidit in malum, hanc esse urgendam. *Quod erat alterum.*

Etiamsi homines non in tantam impietatem delabantur, ut Deum blasphement, si forte sua contenti non sint, vel in malum incidant; ipsorum tamen mentem subeunt cogitationes bonitati divinæ detrahentes, quæ impediunt, quo minus ipsis placeat Deus. Adversus istiusmodi cogitationes, quæ cum blasphemia quidpiam affine habent, quatenus honori Dei detrahunt, idem præsidium est, quod adversus blasphemiam. Quamobrem doctrina de malo in hoc mundo existente, si qua alia, omnium animus erat imbuendus, quatenus respectum ad Deum habet. In parte prima Theologiæ nataralis eandem sufficienter enucleavimus, ut inde hauriri possint, quæ ad praxin moralem faciunt. Quoniam vero negari non potest, nisi quis integro systemati penitus perspiciendo navet operam, fieri non posse, ut cognitionem vivam acquirat, qua in dato casu opus habet, qui cogitationes de Deo indignas ex animo eliminare voluerit; ideo maxime consultum est, ut, quæ a nobis demonstrantur, ad captum hebetiorum reducantur exemplo Christi, qui malorum cum bonis in hac serie rerum implicationem parabola de zizaniis inter triticum vulgo intelligibilem reddidit. Hanc doctrinam qui animo comprehensam tenet, persuasissimus erit, quam injuriæ in Deum sint omnes cogitationes bonitati divinæ datrahentes ob mala, quæ nobis obtingunt, & quam abominanda sit blasphemia in Deum, quæ manat ex eodem fonte. Cum ad blasphemiam requiratur animus detrahendi honori divino (§.1157. *Part. 1. Jur. nat.*), si quis affectuum impetu abreptus in verba prorumpit honori divino adversa, ad quorum signi-

ficatum animum non attendit, quæ dicit rationem blasphemiæ proprie non habent, nisi quando significatum verborum considerans dicta non improbat. Quamobrem ne inconsiderate dicta in blasphemiam abeant, eadem perpendenda sunt, quæ in propositione præsente inculcavimus.

§. 286.

De divisione blasphemiæ. Si blasphemia consistit in actibus internis, seu in cogitationibus subsistit, *Blasphemia cordis*; si prodit per verba, *Blasphemia oris*; si denique per facta prodit, *Blasphemia operis* vocatur. Poterat eadem quoque dividi in *Blasphiam directam*, qua ex intentione directa Deus blasphematur, & *indirectam*, qua quis cogitat, dicit vel facit, unde necessario sequitur, quod honori divino adversum, veluti si quis execratur grandinem, quæ fruges prostravit, aut ventum, quæ ædificii tecta dejecit, aut alio modo damnum dedit.

Indirecta blasphemia degenerat in directam, ubi considerans causas secundas exequi voluntatem Dei, consequenter dicta esse in Deum injuriosa, eadem non improbat. Oriuntur etiam cogitationes blasphemæ in Deum in animo præter voluntatem hominis, immo etiam ipso invito: quæ si homo detestetur, blasphemia dici non possunt, cum desit animus detrahendi honori divino, ad blasphemiam requisito. Ceterum differentiæ hæ notandæ sunt, ut pateat, ad quosnam actus blasphemia procedere possit, & eas subinde quoque cognoscere utile est ad æstimandos gradus blasphemiæ, ut detestanda malitia magis appareat. Et indirectam blasphemiam considerari oportet, ut malitia ejusdem agnita tanto facilius ab eadem abstineamus: id quod omnino sperandum, nisi quis ab omni pietate vacuum habuerit animum. Sicuti virtus in genere optimum adversus vitium præsidium est, utpote cum cujus odio conjuncta (§. 368. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ita quoque virtutes, quibus praxis officiorum erga Deum continetur, firmissimum

præ-

præsidium sunt adversus vitia opposita iisdem, quibus medelam afferre absque cognitione Dei non datur, hac autem ad officia Deo debita præstanda movetur voluntas.

§. 287.

Unio hominis cum Deo est indentitas voluntatis ac noluntatis nostræ & voluntatis atque noluntatis divinæ. Quamobrem *qui cum Deo unitus est, is eadem vult, quæ vult Deus, & non vult, quæ Deus non vult; quod Deo placet, ipsi placet, quod displicet Deo, ipsi displicet.* *Unio cum Deo quid sit.*

Personæ duæ non aliter uniri possunt, quam animo, ita ut earum voluntas & noluntas ad idem tendat. Ita in societate, quam duæ, vel plures personæ ineunt, eædem uniuntur, ut unam repræsentent personam respectu finis societatis (neque enim ipsarum unio ultra societatem extenditur), quatenus eandem habent voluntatem pro virili conferendi, quæ ad obtinendum finem faciunt, cujus causa societas contracta, eandemque noluntatem faciendi, quæ fini societatis adversantur. Nec animorum unio aliter concipi potest. Similiter non aliter concipere possumus unionem hominis cum Deo, nisi ut voluntas & noluntas nostra identificetur cum voluntate divina, ut quemadmodum Deus mundum hunc fecit gloriæ suæ manifestandæ causa (§. 629, *part. 1. Theol. nat.*) & omnia in eodem dirigit ad hunc finem (§. 632, *part. 1. Theol. nat.*); ita etiam nos omnes actiones nostras dirigamus ad promovendam gloriam Dei, sicque velimus, quod vult Deus, & per consequens etiam nolimus quod Deus non vult. Deus vult ut gloriam suam promoveat homo (§. 1148. *part. 1. Jur. nat.*), & lex naturæ, quam tulit homini (§. 274. *part. 1. Jur. nat.*), dum urget actionum nostrarum directionem ad perfectionem nostram (§. 152. *part. 1. Phil. pract. univ.*), eodem tendit. Quodsi ergo nos gloriam Dei promovere studemus,

demus, voluntas nostra cum voluntate divina ad eundem finem tendit, ita ut voluntas nostra & divina sit quasi una voluntas. Actiones nostræ tunc non nostra, sed voluntate Dei reguntur, cumque voluntatis determinatio ab intellectu dependeat, nec nostrum judicium de actionibus a judicio Dei differt, ut quemadmodum voluntatis divinæ, ita etiam intellectus divini participes simus. Equidem multi de unione hominis loquuntur; cum tamen distinctam ejus notionem non habeant, quid illa sit non satis intelligunt. Nec dubito fore inter illos forsan non paucos, qui unionem Dei cum homine longe aliud quid esse sibi persuadebunt, quam quod definitio nostra insinuat. Sed quicquid sit, sufficit nos explicasse, quid nomine hoc nobis veniat, & vera esse, quæ de unione hominis cum Deo demonstramus.

§. 288.

Quomodo homo cum Deo uniatur.

Charitas hominem cum Deo unit. Charitas enim est habitus diligendi Deum (§. 241.). Qui vero Deum diligit facere non vult, quæ eidem displicent (§. 248.), consequenter operam dat, ut Deo se obedientem præbeat (§. 237.). Quoniam itaque voluntatem suam Deo dat (§. 179.), ideoque propriam habere voluntatem non vult, sed voluntas Dei loco propriæ voluntatis ipsi est; eadem vult, quæ vult Deus, eadem non vult, quæ Deus non vult. Quamobrem quia cum Deo unitus est, qui eadem vult, quæ vult Deus, eadem vero non vult, quæ Deus non vult (§. 287.); charitas hominem cum Deo unit.

Medium igitur unionis cum Deo charitas est, cui studere debet, qui cum Deo uniri cupit, & quia obedientia consistit in conformatione voluntatis & noluntatis suæ cum voluntate atque noluntate divina (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*), unionis hujus vinculum est, quod non dissolvitur, nisi quando

do ab obedientia receditur: hac enim sublata tollitur unio cum Deo. Ne autem vinculum dissolvatur, charitas perfecta, qua cum gaudio facimus, quæ Deo placent, ut ipsi placeamus & Deus placeat nobis (*not.* §. 247.), conservanda.

§. 289.

Incitamentum unionis cum Deo.

Quoniam amor erga Deum tendit ad studium faciendi, quæ Deo placent (§. 234.), consequenter ad charitatem (§. 241.), charitas vero hominem cum Deo unit (§. 288.); *amor erga Deum incitamentum est unionis cum Deo, & quasi fons, ex quo unio cum Deo profluit.*

Quibus in more positum non est vocabulis singulis determinatum tribuere significatum, vocabulum amoris & charitatis promiscue usurpant tanquam synonyma; & amore animos uniri dicunt, seu amantem cum amato, atque amorem per effectum explicantes definiunt, quod sit unio amari cum amato, seu personæ unius cum altera. Sed qui ad ea animum attendit, quæ de amore atque charitate in anterioribus demonstrata sunt, & perpendit, in quonam unio amantis cum amato proprie consistat; statim videt, non sufficienter sic explicari amorem, neque definitionem istam esse fœcundam notionem, ex qua de amore cognoscenda demonstrari possunt, neque pragmaticam, ut inde deriventur quæ ad praxin faciunt, multo minus vi ejusdem perspicitur, quomodo inter se cohæreant officia Deo debita.

§. 290.

Qualis sit delectatio uniti cum Deo.

Similiter quia charitas hominem cum Deo unit (§. 288.), amor autem erga Deum cum dilectione ipsius indivulso nexu cohæret (§. 243.); *qui cum Deo unitur, eundem amat*, consequenter *perfectionibus divinis delectatur* (§. 171. part.

part. 1. Jur. nat.) &, quia Dei ſemper memor eſt (§. 256.), atque amor ad contemtum rerum terreſtrium ducit, ut ſcilicet delectari nolimus niſi Deo, nec rebus aliis niſi propter Deum (§. 255.), *ſolo Deo conſtanter ac indeſinenter delectatur, nec re alia quacunque niſi propter Deum.*

Quæcunque de amore ac dilectione Dei demonſtrantur, ad unionem cum Deo trahenda ſunt, ut intelligatur qualis ſit ſtatus ejus, qui cum Deo unitur. Atque vel hinc diſcimus, quam ſit neceſſe, ut a vagis loquendi formulis abſtineamus, & ad ſignificatum determinatum ſingulas revocemus, immo quæ quocunque modo diverſa ſunt omni ſollicitudine a ſe invicem diſtingvamus. Quoniam vero in unione cum Deo omnia pendent ab amore, dilectione atque obedientia, de quibus ſingulis prolixe ſatis diximus: ideo non opus eſt, ut in illa explicanda prolixiores ſimus.

§. 291.

An extra unionem cum Deo perpetua detur felicitas.

Quia cum Deo unitus ſolo Deo conſtanter ac indeſinenter delectatur, nec re alia quacunque niſi propter Deum (§. 290.), felicitas autem hominis ſtatus eſt, in quo voluptas vera perdurat (§. 636. *Pſych. empir.*); *unio cum Deo hominem facit vere felicem, nec extra eam perpetua reperienda felicitas.*

Videmus itaque, quod ipſa natura noſtra, per quam appetitus ad felicitatem determinatus eſt (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*), nos ducat ad unionem cum Deo, modo facultatibus omnibus rite utamur. Etenim ne hanc ducem ſequamur, de unione cum Deo parum ſolliciti, partim a non uſu, partim ab abuſu facultatum venit. Ceterum hic quoque conſiderari merentur quæ de felicitatis noſtræ ab amore Dei dependentia ſuperius demonſtrata & annotata fuerunt (§. 251. & ſeqq.).

§. 292.

§. 292.

Quoniam extra unionem cum Deo non datur perpetua felicitas (§. 291.), omnia vero hominum molimina tandem huc tendunt, ut sint felices, quod satis constat; *nihil* quoque *magis nobis curæ cordique esse debet, quam ut cum Deo uniamur.* *Qualis hinc nascatur cura.*

Quod de unione cum Deo parum cogitent homines, ideo contingit, quod eandem ignorent, nec satis distinctam ejus notionem habentes felicitati suæ prorsus adversam esse putent, rebus terrenis nimium addicti, quo tamen animum suum satiare non posse satis superque ipsimet experiuntur.

§. 293.

Unio cum Deo hominem facit participem felicitatis ac beatitudinis divinæ. Qui enim cum Deo unitur, perfectionibus divinis constanter & perenniter delectatur, Deoque delectatur solo, nec rebus aliis nisi propter Deum (§. 290.). Quamobrem cum Deus perenniter fruatur voluptate (§. 1084. *part. 1. Theol. nat.*), quatenus omnem perfectionem possibilem tam suam, quam rerum ceterarum intuetur (§. 199. *part. 2. Theol. nat.* & §. 511. *Psych. empir.*), mundi autem totius perfectio consistat in aptitudine manifestandi gloriam ipsius (§. 673. *part. 1. Theol. nat.*); Deus se solo & rebus ceteris nonnisi propter se delectatur, & per hoc concipitur felicitas Dei (§. 636. *Psych. empir.*). Unio igitur cum Deo hominem facit participem felicitatis divinæ. *Quod erat primum.* *Quomodo homo fiat particeps felicitatis & beatitudinis Dei.*

Enimvero cum Deus fruatur perfectione sua absolute summa, quatenus eadem delectatur, *per demonstrata*, & hæc fruitio pertineat ad beatitudinem ipsius (§. 1087. part.

part. 1. Theol. nat.), unio autem cum Deo vocet in partem hujus fruitionis *per demonstrata n. 1.* eadem quoque hominem participem facit beatitudinis divinæ, quantum fert natura ipsius, cum qualis in Deo est homini nulli communicari possit (§. 1091. *part. 1. Theol. nat.*) *Quod erat alterum.*

Velim, quæ hic demonstrantur, probe perpendantur: ab his enim pendet rerum scitu optatissimarum interior cognitio. Discimus hinc, quanti debeat fieri hominis unio cum Deo, quam adeo parvi faciunt homines, ut in eam nullam conferant curam atque cogitationem. Discimus hinc quanta sit bonitas divina, & quam benignissimum habeamus dominum, qui nos servos suos admittit in communionem bonorum suorum, ut iisdem fruamur, quantum possumus. Immo ut taceamus alia, patet hinc fons verus & perennis felicitatis, ex quo haurire licet aquas, quæ sitim nostram restingvunt. Qui nomen *Christo* dedimus, beatitudinem speramus æternam ab ipso nobis promissam, eamque consistere docemur in cognitione Dei intuitiva, qui sit fons voluptatis perennis. Quodsi propositionis præsentis demonstrationem rite perpendamus, modo principia, quæ eam ingrediuntur, satis fuerint perspecta, quemadmodum penitus perspici possunt, si quis in operibus nostris perlegendis debitam operam collocaverit; ad beatitudinem illam distinctius cognoscendam adducemur, atque simul agnoscemus, quomodo unio cum Deo in hac vita incepta in vita altera perficiatur, & in quonam prægustus vitæ æternæ consistat. Quoniam vero me vel tacente patet, de his expressius dici non posse, nisi alia præsupponantur, quæ ex Theologia revelata petenda sunt; nobis sufficit attentionem eorum excitasse, qui doctrinæ nostræ usum in Theologia revelata facere voluerint. Cum nos non tradamus, nisi quæ ex principiis rationis demonstrari possunt; qui laborem istum in se suscipere voluerit, non modo conformitatem fidei cum

cum ratione clarissime perspiciet, verum etiam patebit, quænam fides rationi superaddat & quomodo ea adversus irrisores hujus seculi sit defendenda. Non desunt qui sperant fore tempus, quo Theologi philosophiam, quam profitemur, in usum suum convertent: ast nos hoc providentiæ divinæ committimus contenti sparsisse semina, quæ in alienis agris fertilem segetem spondent.

§. 294.

Quomodo similitudo animæ cum Deo promoveatur.

Unio cum Deo similitudinem animæ cum Deo promovet. Etenim qui cum Deo unitur, eadem vult, quæ vult Deus (§. 287.). Enimvero Deus vult, ut omnes nostras actiones dirigamus ad perfectionem nostram (§. 905. *part. 1. Theol. nat.*), consequenter ut facultates animæ, quibus essentialis similitudo inter Deum & animam nostram continetur (§. 1092. *part. 1. Theol. nat.*), continuo magis magisque perficiamus, quemadmodum de singulis demonstravimus in Jure naturæ (§. 198. & *seqq. part. 1. Jur. nat.*) & quomodo id fieri possit ostendimus in parte prima & secunda Ethicæ. Quamobrem patet, unione cum Deo similitudinem animæ cum Deo promoveri.

Similitudo, de qua hic loquimur, ea est, quam accidentalem vocamus, & quæ opponitur essentiali, quam demonstravimus (§. 1092. *part. 1. Theol. nat.*). Hæc homini naturalis est, illa vero acquirenda. Quodsi acquiri debeat, necesse ut facultates animæ perficere studeamus: id quod fit, si eadem sit nobis, quæ Deo voluntas. In hac autem identitate unio cum Deo consistit (§. 287.). Facultates, quales natura insunt animæ, habent aliquam similitudinem cum essentia divina; ast quando perficiuntur, similitudo ista fit major. Cum lege naturæ intendatur perfectio hominis accidentalis; eadem intenditur similitudo animæ cum Deo.

Theologi hanc similitudinem imaginem Dei appellant, quam cum primo homini concreatam fuisse docent, in unione cum Deo eadem renovatur. Sed quæ in Theologia revelata hisce superadduntur, quæ rationis lumine agnoscuntur, non sunt fori nostri.

§. 295.

Cur in unione cum Deo agnitio Dei perficiatur.

Quoniam unione cum Deo similitudo animæ cum Deo promovetur (§. 294.), notiones autem perfectionum divinarum, seu attributorum Dei consequimur, si notiones distinctas eorum, quæ animæ nostræ per essentiam & naturam ejus insunt, a limitationibus liberemus (§. 1095. *part. 1. Theol. nat.*), nec indubium vocari potest, notiones istas esse magis distinctas, quo magis facultates nostræ perficiuntur, vi eorum, quæ fusissime demonstrata sunt in parte prima & secunda Ethicæ; *si cum Deo unimur & hanc unionem continuo magis magisque perficere studemus, Deum quoque continuo intimius cognoscimus*, consequenter *in iis, quæ ab agnitione Dei dependent, proficimus.*

Pendent ab agnitione Dei omnia officia Deo debita (§. 1.), quæ sine hac ne quidem recte agnoscuntur (§. 2.). Pendet quoque ab eadem virtutis omnis studium, quatenus officia erga Deum non uno modo in idem influunt, idemque facilitant, perficiunt atque conservant, sicut ex iis, quæ passim de ipsis demonstrantur, satis superque apparet. Pendet denique ab eadem felicitas hominis, non modo quia sine virtute nemo felix esse potest (§. 400. *part. 1. Phil. pract. univ.*), verum etiam quia præstatione officiorum erga Deum magna felicitatis nostræ pars continetur, immo extra unionem cum Deo perpetua felicitas reperiri nequit (§. 291.). Quodsi similitudine animæ essentiali cum Deo destitueremur, ne quidem fieri posset, ut Deum agnosceremus,

remus (*not.* §. 1095. *part.1. Theol. nat.*). Quo major itaque similitudo ista efficitur, quando ad essentialem accedit accidentalis, studio ac labore acquirenda; eo magis quoque proficere possumus in agnitione Dei. Discimus hinc, quantum fallantur, qui perfectionem facultatum cognoscendi pro vano venditant ornatu & perfectionem voluntatis absque perfectione intellectus obtinendam fingunt ac scientiam physicam, immo ipsam historiam naturalem ad solam curiositatem referunt, non attendentes, quod hæc scala sit, per quam ad Deum ascenditur, & quod perfectio facultatum cognoscendi nos aptos reddat ad ascendendum per eam altius. Qui sic sentiunt, animum saltem attendunt ad abusum & de eo, quod fieri debet, judicant ex eo, quod fieri solet, non vero considerant usum, qui vulgo negligitur. Ut vero usum cognoscamus, necesse est ut veritatum nexum intime perspiciamus: id quod extra systema fieri non posse haud difficulter apparet, cum in hoc veritates per continuas demonstrationes inter se connexæ exhibeantur. Juvat quoque, præsertim hebetiores, ut omnia referant ad Deum, nec judicium deproperent, ubi defectu notionum satis distinctarum &, quantum datur, adæquatarum videre nequeunt, quomodo se ad Deum habeant, ne sibi videantur in iis acuti, in quibus cœcutiunt, amplius de facultatibus suis sperantes, quam in ipsis est. Turpius vero peccant, qui cum possent Deum intimius cognoscere atque pietatis studium perficere, in limine scalæ subsistunt, per quam ad Deum ascendere debebant, parum considerantes, quo tendere debeant omnia molimina nos perficiendi, & quomodo tandem perfectio nostra terminetur (§. 917. *part. 1. Theol. nat.*). Ceterum hinc quoque manifestum est, quomodo nos perficere studeamus propter Deum, non gloriam nostram intendentes, sed divinam. Patebit autem suo loco, quam firmum munimentum hoc sit contra vitia, quibus vulgo contaminatur animus eruditorum.

§. 296.

Quomodo divinæ naturæ participes reddamur.

Similiter quoniam unio cum Deo similitudinem animæ cum Deo promovet (§. 294.), Deus autem intellectu perfectissimo (§. 168. *part. 1. Theol. nat.*) & voluntate perfectissima gaudet (§. 386. *part. 1. Theol. nat.*), ideoque ad similitudinem cum Deo tanto propius acceditur, quanto magis intellectus & voluntas perficitur; *unione cum Deo participes reddimur divinæ naturæ, quantum conditio finitudinis humanæ permittit.*

Perfectionem intellectus & voluntatis Dei cognoscere tenemur, ut habeamus exemplar, quod imitemur, quamvis ad eam tanquam ad metam nunquam pervenire possimus, propter incommunicabilitatem perfectionis absolute summæ. Urget hoc imitamentum Christus Matth. V. 48. quemadmodum fusius me exposuisse memini in Horis subsecivis Marburgensibus. Absit itaque, ut tibi persuadeas, quasi affectatio similitudinis cum Deo hominem reddat superbum, & eum a Deo separet! Id enim verendum non est, si Deum imitari studeamus & hoc studium ex unione cum Deo proficiscatur. Perfectionem Dei summam cum semper respiciamus & quantum ab ea absit perfectio nostra tanto evidentius perspiciamus, quanto hæc major fuerit; coram Deo potius humiliamur & omnis fastus atque superbia procul arcetur. Huc etiam referri poterat, quod supra jam monuimus (*not.* §. 287.), quomodo intellectus ac voluntatis divinæ fiamus participes.

§. 297.

Vitia unioni cum Deo repugnant.

Vitia repugnant unioni cum Deo. Qui enim vitio deditus est, actiones suas aliter dirigit, quam lege naturæ præscribitur (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*), consequenter quam

quam Deus vult (§. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum unio hominis cum Deo consistat in identitate voluntatis & noluntatis nostræ cum voluntate atque noluntate divina (§. 287.); vitia repugnant unioni cum Deo.

Quamdiu quis vitiis deditus, cum Deo uniri nequit, & quando in vitia prolabitur, unio cum Deo tollitur. Quamobrem qui cum Deo vult uniri, a vitiis sese abstinere tenetur, & qui cum Deo unitus permanere vult, sollicite sibi cavere debet, ne in vitium incidat. Deficientis igitur unionis cum Deo signum sunt vitia, quæ hominem a Deo separant, consequenter unionem cum Deo vel impediunt, vel tollunt.

§. 298.

Quoniam vitia unioni cum Deo repugnant (§. 297.); *Odium vitii* *Qui cum Deo unitus est, vitium odit.* *conjunctum*

Vitiorum itaque odium signum est unionis cum Deo, si *cum unione* quis pietatem colit. Etenim cum virtute præditus vitium *Dei.* oderit (§. 368. *part. 1. Phil. pract. univ.*), fieri autem possit ut quis virtutem colat sola intrinseca honestate actionum permotus, consequenter pietate sejuncta, quamvis virtus ejus imperfecta sit; odium quoque vitiorum signum unionis cum Deo non est, nisi constet, id proficisci ex amore in Deum, ut ideo displiceat, quia Deus amatur, cujus voluntati adversatur. Multo minus autem ex odio vitii cujusdam particularis unio cum Deo colligitur. Constat enim vitia quædam odio haberi, quamvis aliquis delectetur aliis, immo nec fieri posse, ut quis omnibus delectetur, cum alia aliis repugnent, nec in eodem subjecto simul inesse possint. Notandum præterea, vitium quoddam odio haberi in aliis, utut ipsemet quis eidem fuerit deditus. Quamobrem neces-

ſe eſt, ut conſtet, vitium in ſe & quatenus Deo diſplicet ſpectatum odio haberi, ſi quidem ex eo colligenda ſit unio cum Deo.

§. 299.

An unio cum Deo vitium omne excludat.

Unio perfecta cum Deo vitium omne excludit. Cum enim unio cum Deo conſiſtat in identitate voluntatis ac noluntatis cum voluntate divina (§. 287.), ſi perfecta fuerit, fieri non poteſt, ut homo quidpiam velit, quod Deus non vult. Enimvero ſi vitio cuidam deditus fuerit homo, cum certas actiones aliter determinet, quam lege naturali præſcribitur (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*), utique vult, quæ Deus non vult (§. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Perfecta igitur unio cum Deo vitium omne excludit.

Unio cum Deo requirit voluntatem omnem, non fert diviſionem, ut in aliis quis velit, quod vult Deus & ipſi placet, in aliis vero, quod Deus non vult ipſique diſplicet. Quamobrem patet, continuo dandam eſſe operam, ut unio cum Deo magis magisque perficiatur. Poteſt hæc eodem modo, quo charitas (*not.* §. 247.), dividi in incipientem, proficientem & perfectam, prouti nimirum charitas, quæ hominem cum Deo unit, fuerit vel incipiens, vel proficiens, vel perfecta: in quolibet autem actionum genere ſemper habenda eſt charitatis ratio. Neque hoc moleſtum videbitur, modo convicti aut perſuaſiſſimi ſimus, extra unionem cum Deo non eſſe ſperandam perpetuam felicitatem (§. 291.). Cum vitium quodlibet hominem reddat infelicem (§. 406. *part. 1. Phil. pract. univ.*); vitio cuidam deditus impedire nequit, quo minus voluptas & moleſtia alternent (§. 636. 637. *Pſych. empir.*). Qui ad perfectam unionem cum Deo non adſpirant, propterea quod vitio quodam adhuc delectantur, cui nuncium mittere nolunt, felicitatis veræ, cujus in unio-

unione cum Deo participes reddimur (§. 291.), cognitionem vivam nondum habent. Atque hinc intelligitur, quam necessarium sit, ut, qui ad unionem cum Deo adspirat, ante omnia felicitatem veram agnoscere studeat, ne voluptate nocua decipiatur.

§. 300.

Qualem animum requirat unio cum Deo.

Quoniam animus nondum purus est, si appetitioni & aversioni, seu volitioni & nolitioni quidpiam vitiosi adhuc inhæret (§. 599. *part. 2. Eth.*), unio autem cum Deo nullum fert vitium (§. 299.); *unio cum Deo requirit animum purum.*

Ab omni vitiorum labe purgandus est animus, si quis cum Deo uniri voluerit. Cum puritas animi obtentu admodum difficilis sit (§. 607. *part. 2. Eth.*), vel exinde discimus, perfectam quoque cum Deo unionem obtentu difficilem esse. Accedit, quod quævis culpa puritati animi obstet (§. 608. *part. 2. Ethic.*). Nemo vero est qui nesciat, quam facile committantur actiones culposæ, & quam difficile sit ab omni culpa vacuum habere animum. Quo vero difficilius obtentu fuerit, quod tamen ut consequamur, maxime interest, eo majore animi contentione enitendum ad id consequendum. Enimvero cum amor erga Deum sit incitamentum unionis cum Deo (§. 289.), dulcedo ejus arcet molestiam, quam difficultas eam obtinendi creare poterat, aut saltem eidem vim detrahit, ne aversatio vincat appetitum, ut a studio contendendi ad unionem cum Deo desistamus.

§. 301.

Qualem voluntatem requirat unio cum Deo.

Unio cum Deo requirit voluntatem perfectam. Cum enim unio cum Deo consistat in identitate voluntatis nostræ cum voluntate divina (§. 287.), Deus autem velit, ut actiones nostras

noſtras juxta legem naturæ determinemus (§. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*); unio cum Deo requirit, ut actiones noſtras juxta legem naturæ, minime vero contraria ratione determinare velimus. Quamobrem cum lex naturæ urgeat perfectionem noſtram (§. 152. *part. 1. Phil pract. univ.*), conſequenter ut non appetamus niſi bonum verum (§. 557. *Pſych. empir.*), voluntas autem perfecta ſit, quæ non determinatur niſi per bonum verum (§. 271. *part. 1. Jur. nat.*); unio cum Deo requirit voluntatem perfectam.

Quæ igitur de voluntate perficienda demonſtravimus (§. 133. *& ſeqq. part. 2. Eth.*), ea quoque faciunt ad unionem cum Deo conſequendam. In Philoſophia morali cohærent omnia, nec traditur in antecedentibus, quod uſui non ſit in ſequentibus. Quamobrem difficultates quoque, quas ſuperare nequit, offendit qui per ſaltum conſequi ſtudet, ad quod nonniſi per gradus patet aditus, aut facere negligit, quod una faciendum erat, niſi omnis labor in caſſum cadere debeat.

§. 302.

An ad eam ſufficiat voluntas bona.

Quoniam ad unionem cum Deo requiritur voluntas perfecta (§. 301.), voluntas autem bona nondum perfecta eſt (§. 132. *part. 2. Eth*); *ad unionem cum Deo non ſufficit voluntas bona.*

Falluntur omnino qui ſibi perſuadent, voluntatem bonam ad unionem cum Deo ſufficere, propterea quod ſibi videntur non velle, niſi quod vult Deus, conſequenter voluntatem ſuam eandem eſſe cum voluntate divina, quemadmodum unio cum Deo requirit (§. 287.). Enimvero ſi bona fuerit voluntas, generaliter ſaltem determinata eſt ad committendas actiones, quas Deus a nobis committi vult & ad abſtinendum a contrariis (§. 121. *part. 2. Eth.*), ideo-

ideoque saltem propositum firmum est non volendi, nisi quod vult Deus, consequenter ad unionem cum Deo contendendi. In hoc autem proposito nondum consistit unio. Ad hanc igitur ut pervenias, necesse est ut, quoties offertur agendi occasio, constet, quidnam Deus velit, ut facias, consequenter cum Deus velit, ut actiones nostras legi naturæ conformemus (§. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*), exacta requiritur legis naturæ scientia, ut voluntas perficiatur (§. 134. *part. 2. Eth.*). Quamobrem quæ de voluntate bona & perfecta demonstravimus in secunda Ethicæ parte probe consideranda sunt, si quis ad unionem cum Deo adspirat, atque particeps fieri vult eorum, quæ ab unione cum Deo dependent (§. 291. & *seqq.*). Brevitatis causa non semper mentionem facimus noluntatis, cum per se pateat, quæ de voluntate dicuntur, eadem de noluntate quoque valere.

§. 303.

Cui curæ cordique est unio cum Deo, eum peccati pœnitet. Etenim cui curæ cordique est unio cum Deo, is propositum firmum habet non volendi, nisi quod vult Deus (§. 287.). Quoniam itaque Deus vult, ut actiones nostras legi naturæ convenienter determinemus (§. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*), peccatum vero legi naturæ contrariatur (§. 440. *part. 1. Phil. pract. univ.*); quando peccavit, se male fecisse sibi conscius est. Quamobrem cum eum facti pœniteat, qui se male fecisse agnoscit (§. 759. *Psych. empir.*); cui curæ cordique est unio cum Deo, eum peccati pœnitet.

De pœnitentia ad curam unionis cum Deo accedente.

Quem peccati, quod agnoscit, nondum pœnitet, is quoque unionem cum Deo parum curat. Agnoscit enim se fecisse, quod Deus non vult: cum vero ipsi non displiceat, quod hoc fecerit, nec ipsi propositum firmum est volunta-

luntatem suam voluntati divinæ conformandi, consequenter animum ejus non tangit cura, ut cum Deo uniatur.

§. 304.

Fons illius pœnitentiæ. Cum amor in Deum incitamentum sit unionis cum Deo & quasi fons, ex quo unio cum Deo profluit (§. 289.), cui autem unio cum Deo curæ cordique est, eum peccati pœnitet (§. 303.); *si eum peccati pœnitet, cui curæ cordique est unio cum Deo, pœnitentia profluit ex amore erga Deum.*

Quo magis quis Deum amat, eo magis quoque ipsum pœnitet, quod fecerit, quod eidem displicet. Experimur hoc in nobis, si quid fecimus, quod ægre fert, quem impense amamus. Pœnitentia comes individua est amoris, si amans agnoscit se facto suo tædium creasse amato. Quoniam actiones legi naturæ contrariæ hominem in mala præcipitem dant; mali consideratione pœnitentia solet excitari, cum inde agnoscat qui peccavit se male fecisse. Ast tum pœnitentia non fluit ex amore Dei, quamvis originem deducat ex amore sui. Differt itaque ab ea pœnitentia, qua ejus angitur animus, qui unionem cum Deo curæ habet, cum hæc amore Dei singulari quodam modo temperetur.

§. 305.

Quodnam propositum ex pœnitentia sequatur. Quoniam eum, cui curæ cordique est unio cum Deo, peccati pœnitet (§. 303.), nimirum quia repugnat unioni cum Deo (§. 297.), quem amat (§. 304.), pœnitentia autem ducit ad propositum id, cujus pœnitet, in posterum non faciendi (§. 363. *part. 2. Eth.*); *si peccatum is agnoscit, cui curæ cordique est unio cum Deo, idem posthac non committere sibi proponit.*

Ejus igitur pœnitentia conjuncta est cum proposito voluntatem emendandi. Quamobrem ut idem exequatur, unio-

unionis cum Deo firmandæ causa voluntas emendanda. Quamobrem huc faciunt, quæ de voluntatis emendatione integro capite tradidimus (§. 153. & *seqq. part. 2. Eth.*). Usui hæc inprimis sunt, ut in unione cum Deo proficiamus. Quoniam vero incitamentum ad hanc unionem est amor erga Deum (§. 289.), ex quo etiam profluit pœnitentia (§. 304.); studium emendandi voluntatem amor erga Deum incendit. Quodsi hoc negligatur, voluntate non emendata, parum prodest propositum, cum hoc minime sufficiat, ne denuo peccemus, quando voluptatum illecebris irritamur.

§. 306.

Deum odio habere dicitur, qui ex iis, quæ de Deo cognoscit, tædium, sive molestiam percipit. *Odium* igitur *Dei* seu *erga Deum* est dispositio animæ tædium percipiendi ex iis, quæ de Deo cognoscimus. *Odium Dei quid sit.*

Opponitur odium amori erga Deum. Quemadmodum itaque amor est dispositio animæ ex summa Dei perceptione voluptatem maximam percipiendi (§. 1171. *part. 1. Jur. nat.*); ita ex adverso odium est dispositio animæ ex iis, quæ de Deo cognoscimus, tædium percipiendi.

§. 307.

Qui Deum vere agnoscit, eum odio habere nequit. Deus enim ens perfectissimum est absolute tale (§. 14. *part. 2. Theol. nat.*), nec ipsi tribui possunt, quæ ullo modo defectum aliquem involunt (§. 37. *part. 2. Theol. nat.*). Quamobrem qui Deum vere agnoscit, qualis nimirum est (§. 505. *Log.*), nonnisi perfectionum divinarum sibi conscius est, consequenter cum ex cognitione viva perfectionum divinarum oriatur amor erga Deum (§. 225.), amor vero atque *An Deus odio haberi possit.*

atque odium sibi mutuo repugnent (§. 623. *part.* 1. *Jur. nat.*); qui Deum vere agnoscit, eum odio habere nequit.

Ostenditur etiam hoc modo. Deus summe amabilis est, ita ut non detur ens aliud, quod æque amabile sit (§. 230. *part.* 2. *Theol. nat.*). Quamobrem qui Deum vere agnoscit, qualis nimirum est (§. 505. *Log.*); is quoque agnoscit, non dari ens aliud, quod æque amabile sit, quemadmodum Deus. Quamobrem cum odium erga Deum repugnet amori erga ipsum (§. 1171. *part.* 1. *Jur. nat.* & §. 306. *h.*); qui Deum vere agnoscit, eum odio habere nequit.

Contra naturam est, ens summe amabile odio haberi, si vere agnoscitur. Immo absurdum est, odisse Deum. Quando enim hominem odio habemus, anima disposita est ad voluptatem percipiendam ex ejus infelicitate (§. 661. *Psych. empir.*), ideoque tendit ad promovendam infelicitatem ejus, quem odio habemus (§. 308. *part.* 2. *Eth.*). Deo autem competit felicitas absolute summa (§. 226. *part.* 2. *Theol. nat.*), quæ, cum Deus prorsus immutabilis sit (§. 17. *part.* 2. *Theol. nat.*), mutari nequit. Et, si vel maxime odium Dei concipias per modum rerum inanimatarum, ita ut tantummodo consistat in tædio, quod ex ipso percipitur (§. 682. *Psych. empir.*), non minus tamen absurdum est. Tendit enim odium rerum inanimatarum ad eas destruendas, aut e conspectu nostro removendas (§. 311. *part.* 2. *Eth.*). Deus autem interire nequit (§. 79. *part.* 1. *Theol. nat*), nec de loco in locum moveri potest (§. 1058. *part.* 1. *Theol. nat.*). Nihil igitur absurdius cogitari potest, quam odium erga Deum, cum nihil magis tam naturæ divinæ, quam humanæ adversetur ac rationi contrarium sit.

§. 308.

§. 308.

Quoniam Deum odio habere nequit, qui ipsum vere agnoscit (§. 307.); *Si quis Deum odio habet, necesse est ut per errorem ipsi tribuat, quæ non conveniunt eidem, sibi autem displicent* (§. 677. *Psych. empir.*). *Quando id contingat.*

Quamvis maxime absurdum sit Deum odio habere (*not.* §. 307.); absurditas tamen non agnoscitur, nisi Deum cognoscamus, qualis revera est. Nihil magis familiare est hominibus, quam ut Deum concipiant instar hominis. Quamobrem si per errorem Deo tribuunt, quæ sibi displicent; odio commovetur appetitus sensitivus contra Deum, quemadmodum contra hominem: neque enim perpendunt, quid sibi velit odium, cum quo tendant appetitiones eodem conclusæ non intelligant, utpote nonnisi confuse percipientes affectum. In affectibus hominum non raro deprehenditur absurditas, quia quæ eosdem ingrediuntur nec distincte agnoscuntur, nec ad rationis trutinam expenduntur.

§. 309.

Si quis sibi persuadet, quæ a Deo prohibentur & ob quæ Deum hominem punire vult, ea hominem reddere felicem; odium erga Deum concitatur. Etenim qui sibi persuadet, ea se felicem reddere, quæ a Deo prohibentur, & ob quæ hominem punire vult; is putat Deum maxime invidere felicitati hominum. Quamobrem cum appetitus hominis per naturam suam feratur in felicitatem (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*), infelicitatem aversetur (§. 325. *part. 2. Phil. pract. univ.*); fieri non potest aliter, quam ut ex prohibitione divina & animadversione in peccatores tædium percipiat (§. 156. *part. 2. Eth.*). Enimvero Deum odio habet, qui ex iis, quæ de Deo cognoscit, tædium percipit (§. 306.). Odium igitur erga Deum concitatur, si quis sibi persuadet, *De odio erga Deum peccatorum prohibitorem & pœnarum inflictorem.*

 quæ

quæ a Deo prohibentur & ob quæ hominem punire vult, ea hominem reddere felicem.

Qui peccatis delectantur, tunc putant se felices esse, si animo suo indulgere possint. Ast cum peccata consistant in transgressione legis naturæ (§. 440. 139. *part. 1. Phil. pract. univ.*), transgressione autem legis naturalis homo infelix fiat (§. 405. *part. 1. Phil. pract. univ.*); omnino errant (§. 623. *Log.*), quando Deum peccatorum prohibitorem sibi repræsentant tanquam invidentem felicitati suæ. Odium itaque Dei nascitur ex errore, quo Deo tribuuntur, quæ procul ab eodem absunt, cum is lege sua non intendat nisi nostram felicitatem ac saluti nostræ consulere studeat (§. 189.).

§. 310.

Remedium istius odii. Quoniam odium erga Deum concitatur, si quis sibi persuadet, quæ a Deo prohibentur & ob quæ hominem punire vult, ea hominem reddere felicem (§. 309.), Deus autem legislator induit personem patris saluti liberorum suorum præceptis ac prohibitionibus suis consulere studentis (§. 189.), & odium extingvitur, si cui persuaseris, quod in altero displicet, re vera non adesse, aut quod sine ratione displicet, placere potius debere (§. 451. *part. 2. Eth.*); *si quis Deum peccatorum prohibitorem & punitorem sibi repræsentat tanquam invidentem felicitati suæ, ostendendum est, quod consulat saluti ipsius* (§. 189.), *& quod præcepta & prohibitiones divinæ a bonitate divina proficiscantur* (§. 992. *part. 1. Theol. nat.*), *ac ideo lege divina delectari eandemque caram habere debeamus.*

Hæc si cognoscamus, verendum non est, ne odium erga Deum tacite sese insinuet in animos nostros. Etenim contingit, ut tacite irrepat in animum hominis, si vel maxime hor-

horrendum dictu videatur odisse Deum, cum horrorem saltem incutiat metus pœnæ. Semper autem obstabit amori erga Deum, si ignores bonitati divinæ hoc esse tribuendum, quod ad servandum legem naturæ nos obligat, nec placebit Deus, quemadmodum placere poterat atque debebat, quamdiu ignorantia ista laboras. Equidem qui peccatis delectantur, veritatis hujus tam salutaris non adeo facile convincuntur, cum præjudicatæ opiniones altas in mente radices egerint difficulter eradicandæ, & concupiscentiæ pravæ, quæ in alteram naturam degenerarunt, reluctentur, quando veritati assensus præbendus; non tamen prorsus desperandum, si ea sollicite observaverimus, quæ de voluntate corrupta emendanda prolixe demonstravimus & inculcavimus in parte secunda Ethicæ. Et quamvis vix sperandum, ut demonstrationes capiant; si tamen demonstrationes resolvantur in sua principia, facile hinc constabit, unde petenda sint argumenta suasoria a posteriori confirmanda: id quod in genere notandum est, ubi provocandum est ad veritates in systemate a nobis demonstratas, erroribus in praxi morali nocuis opponendas.

§. 311.

De blasphemia odii erga Deum signo.

Qui Deum legislatorem blasphemat, odium erga Deum prodit. Etenim qui Deum legislatorem blasphemat, honori divino detrahere studet, quod hæc præceperit, ista prohibuerit, ac inobedientem punire velit (§. 1157. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum nemo non hinc colligat, quod ex eo tædium percipiat, qui vero tædium percipit ex eo, quod de Deo cognoscit, Deum odio habeat (§. 306.); *qui Deum legislatorem blasphemat, odium erga Deum prodit.*

Blasphemia Dei legislatoris signum est odii erga Deum. Supponimus nimirum blasphemiam prodi per verba, vel facta, seu esse blasphemiam oris, vel operis (§. 286.), si

alii

alii hinc colligere debent odium erga Deum. Quodsi enim blasphemia cordis fuerit, qualem tantum non semper continet odium Dei ob præcepta & prohibitiones ipsius (§. 1156. *part. 1. Jur. nat.*), cum ea in cogitationibus subsistat (§. 286.), se odio habere Deum hinc saltem intelligit, qui Deum in corde blasphemat. Signa vero vitiorum non modo dantur, ut per ea cognoscamus aliena vitia, verum etiam ut nobis inotescant propria.

§. 312.

De odio erga Deum obfortunam non satis faventem.

Si quis indigne fert, quod Deus non fortunatiorem sibi dederit fortunam, aut mala quædam a se averterit; Deum odio habet. Si quis enim indigne fert, quod Deus non fortunatiorem sibi dederit fortunam, aut mala quædam a se averterit; is putat Deum debuisse sibi dare fortunam fortunatiorem, aut mala a se avertere, consequenter cum quod Deus facit aversetur (§. 590. *Psych. empir.*), ex eo tædium percipit (§. 156. *part. 2. Eth.*). Quoniam itaque Deum odio habet, qui ex eo, quod de ipso cognoscit, tædium percipit (§. 306.); si quis indigne fert, quod Deus non fortunatiorem sibi dederit fortunam, aut mala quædam a se averterit, Deum odio habet.

Odium hoc erga Deum omnino nascitur ex errore, qui de Deo fovetur. Quamvis enim verum sit, omnia, quæ fiunt in hoc universo, subesse providentiæ divinæ atque in æterno decreto de mundo creando contineri; multos tamen errores veritati admiscet, qui indigne fert, quod Deus sibi non dederit fortunam fortunatiorem, nec mala, quibus obnoxius factus est, a se averterit, cum Deus providentia sua enti cuique tantundem conferat boni, quantum salva sapientia sua fieri potest (§. 933. *part. 1. Theol. nat.*), & tantundem quoque ab ente quocunque arceat mali, quantum

tum eadem salva fieri potest (§. 934. *part.* 1. *Theol. nat.*), atque mala tam physica, quam moralia, quæ salva perfectione hujus universi (§. 556. *part.* 1. *Theol. nat.*) & sapientia sua tollere nequit (§. 676. *part.* 1. *Theol. nat.*), ad bonum finem dirigit (§. 680. *part.* 1. *Theol. nat.*), ita ut nemo habeat, quod de bonitate ipsius conqueratur (§. 698. *part.* 1. *Theol. nat.*). Quodsi ea perpendamus, quæ de existentia mali in hoc universo demonstrata sunt in parte prima Theologiæ naturalis, multo plures errores deprehendemus, a quibus odium in Deum in præsenti casu dependet. Accedit, quod plurimum quoque fallatur, qui Deum odio habet, quod putet Deum sibi obligatum esse ad hæc, vel ista bona conferenda, aut hoc, vel istud malum depellendum. Sed de eo plura dicenda erunt suo loco. Veritatem in errorem vertit, qui vero falsa admiscet. Hæc probe notanda sunt, ne in dubitationem adducatur, quod ante demonstravimus, ex vera Dei agnitione non posse nasci odium erga Deum (§. 307.), sed si quod oritur, id ex errore provenire, quo Deo tribuuntur, quæ homini displicent (§. 308). In præsenti omnino casu attendendus est animus ad rationem, cur quis indigne ferat, quod Deus non fortunatiorem reddiderit fortunam ipsius, aut quod malum non averterit; non vero saltem quæritur, quid Deus fecerit, aut non fecerit. Factum enim & non factum Dei non est ratio sufficiens odii concitati, sed ea quærenda est in judicio hominis de eo, cujus animus odio erga Deum inquinatur.

§. 313.

Quoniam odio habet Deum, qui fert indigne, quod *Remedium* sibi non dederit fortunam fortunatiorem, aut quod mala *odii istius.* quædam a se non averterit (§. 312.), cum ex falso de

facto, vel non facto Dei judicio proficiſcatur odium (§. 308.), ideoque demendus ſit error, ſi odium extingvendum (§. 432. *part. 2. Eth.*); *ſi quis Deum odio habet, quia indigne fert, quod fortunam ſuam non fecerit fortunatiorem, mala quædam a ſe averterit, oſtendendum eſt, quod Deus ipſi adnihil ſit obligatus*, vi eorum, quæ de dominio Dei in parte prima Theologiæ naturalis demonſtrata ſunt, & *quod Deus pro præſtita ipſi obedientia nihil retribuere obligetur* (§. 181.), *quodque Deus nihil fecerit, quæ bonitati ejus ſummæ repugnet*, vi eorum, quæ de bonitate atque providentia divina in parte prima Theologiæ naturalis demonſtrata ſunt.

Corrigenda eſt falſa opinio, quam Deum odio habens fovet cum de factis ſuis, ob quæ ſe meliore fortuna dignum exiſtimat, vel non minus dignum, quam alium, qui eo gaudet, quod ipſe cupit atque in votis habet, tum de facto Dei. Ad errorem priorem corrigendum facient multa, quæ ſuo loco tradentur, ubi de animo ſorte ſua contento, itemque de acquieſcentia in providentia divina ſumus acturi; ad poſteriorem vero abunde ſufficiunt in parte prima Theologiæ naturalis demonſtrata, ad quæ provocamus, & quorum palmaria commemoravimus in annotatione ad propoſitionem præcedentem. Obſervanda autem hic quoque ſunt, quæ paulo ante annotavimus, ſi alius ad mentem ſaniorem revocandus (*not.* §. 310.). Qui autem ſibi a vitio hoc abominando cavere voluerit, ne eodem contaminetur animus; is omnium optime ſibi conſulit, ſi Deum agnoſcere ſtudeat, ut ex viva cognitione naſcatur amor (§. 223.), qui odio nullum concedet locum. Præſtat mentem ſanam conſervare, quam demum a labe, qua inficitur, animum purgare, quemadmodum jam alias oſtendimus. præſtare corruptionem voluntatis præcavere, quam corruptam emendare.

§. 314.

§. 314.

De blasphemia ob malorum præsentiam, bonorum absentiam.

Qui Deum blasphemat, quod non fortunatiorem sibi dederit fortunam, aut mala quædam a se averterit; odium erga Deum prodit. Qui enim Deum blasphemat, quod non fortunatiorem sibi dederit fortunam, aut mala quædam a se averterit, bonitati divinæ detrahere studet (§. 1157. *part. 1. Jur. nat.* & §. 699. *part. 1. Theol. nat.*). Quoniam vero hinc satis apparet, quod tædium percipiat ex eo, quod Deus non fecit, qui vero tædium percipit ex eo, quod de Deo cognoscit, Deum odio habet, (§. 306.); qui Deum blasphemat, quod non fortunatiorem sibi dederit fortunam, aut mala quædam a se averterit, odium erga Deum prodit.

Si odium erga Deum vires capit, semper cum ira conjunctum est. Etenim sive qui Deum odio habet eundem sibi repræsentet tanquam felicitati suæ invidentem (§. 309.), sive tanquam minus sibi providentem (§. 312.), cum putet, Deum non fecisse quod facere debuisset, sibi a Deo injuriam factam esse opinatur. Quamobrem cum tædium ex injuria nobis illata perceptum & cum odio ejus, qui eam intulit, conjunctum ira sit (§. 862. *Psych. empir.*); qui Deum odio habet, sive quod eum sibi repræsentet tanquam felicitati suæ invidentem, sive tanquam minus sibi providentem, Deo irascitur, quam primum odium vires capit. Qui Deum ea de causa blasphemant, iram magis produnt, quam odium, cum illa sit affectus vehementior, quam odium.

§. 315.

De errore, quasi Deum miseria

Error, quasi Deum miseria hominum per se delectet, aut odium erga Deum concitat, aut saltem amori erga ipsum officit. Etenim qui putat per se miseriam hominum delectare De-

 um,

hominum per se delectet. um, cum miseriam faciant mala, quibus homo affligitur (§. 329. *part. 2. Eth.*), Deum sibi reqræsentat tanquam voluptatem percipientem ex malis, quibus homo affligitur. Quodsi ergo ipse homines amet, quoniam ex eorum tædio tædium ipse percipit (§. 642. *Psych. empir.*), quod Deum miseria hominum per se delectet, utique displicet (§. 542. *Psych. empir.*). Quoniam itaque odium oritur, si quid in altero observamus, quod nobis displicet (§. 677. *Psych. empir.*); error, quasi Deum miseria hominum per se delectet, odium erga Deum concitabit. Enimvero si quis parum curat miseriam alienam, modo ipsemet eadem sit vacuus; non tamen ex eo voluptatem percipiet, quod Deum miseria hominum per se delectet, deficiente nimirum ratione sufficiente voluptatis (§. 511. *Psych. empir.*), consequenter id ipsum placere nequit (§. 542. *Psych. empir.*). Quamobrem cum amor oriatur, si quid in altero observamus, quod nobis placet (§. 645. *Psych. empir.*), deficiente ratione sufficiente, cur Deum amemus, id utique obstabit, quo minus eum amemus, &, si vel maxime aliorum consideratione amor Dei concitetur, ubi tamen animus attenditur ad hoc, quod Deum miseria hominum per se delectet, amor langvescet. Patet itaque, errorem, quasi Deum miseria hominum per se delectet, aut odium erga Deum concitare, aut saltem amori erga ipsum officere.

Tyrannus est, quem miseria subditorum per se delectat, & qui propterea crudelitatem in eos adhibet. Odio habent tyrannum non modo subditi, verum etiam alii, quos aliena tangit miseria, non autem reperies quenquam, qui tyrannum amet, nisi eundem cum ipso habuerit animum, ut malitia per se ipsum delectet. Videmus quoque, latronum

num ac hostium in bello crudelitatem abominari omnes bonos, nec ubi adsit singularis quædam ratio saltem occulti cujusdam erga miseros odii, aut cur crudelitas excusetur, eandem ab ullo probari. Quodsi ergo Deum tibi repræsentes tanquam tyrannum, aut instar latronis, quem malitia sua per se delectat; nemo non ultro fatebitur, opinionem hanc esse aptam ad concitandum odium erga Deum, aut saltem officere amori. Ecquis sibi persuadebit, Deum esse maxime amabilem, ita ut detur ens nullum, quod magis amabile sit, quam Deus, si opiniones istiusmodi bonitati divinæ adversas de Deo fovet? Falluntur omnino qui sibi persuadent, consideratione absoluti dominii, vi cujus Deus de hominibus disponere possit pro lubitu, opinioni tam adversæ bonitati divinæ vim detrahi, ne odium generare, vel amori erga Deum officere possit. Etenim si vel maxime quis opinetur, domino competere jus absolutum in servum, aut hosti in captivum; non tamen ideo crudelitatem approbabit, quæ rationem aliam non agnoscit, quam quia crudelem miseria servi, aut captivi per se delectat, nisi ipsemet in crudelitatem pronus sit, quamvis nec hoc sufficiat ad concitandum amorem ejus, qui crudelitatem in alios adhibet. Si quis in istiusmodi rebus ad exempla provocare voluerit, multa cautione opus est, cum magna vis sit latebrarum & recessuum in animis hominum, qui si non agnoscantur, exempla probare videntur, quod minus probant.

§. 316.

Remedium istius odii.

Quoniam error, quasi Deus miseria hominis per se delectetur, aut odium erga Deum concitat, aut saltem amori erga ipsum officit (§. 315.), consequenter ne hoc fiat, error iste ex animo errantis evellendus (§. 432. *paat. 2. Eth.*); *si error, quasi Deus miseria hominis per se delectetur, odium erga*

 Deum

Deum concitet, aut saltem amori erga ipsum officiat, ostendendum est, Deum velle hominum felicitatem (§. 706. *part.* 1. *Theol. nat.*), *nec fieri posse, ut velit infelicitatem* (§. 707. *part.* 1. *Theol. nat.*), *consequenter nihil absurdius de Deo cogitari posse, quam quod miseria hominum ipsum per se delectet, & urgenda sunt, quæ de bonitate Dei demonstrata sunt* (§. 698. & *seqq. part.* 1. *Theol. nat.*).

Errores istiusmodi, quibus Deus assimilatur tyranno, & crudelis fingitur, omni sollicitudine præcavendi. Quoniam enim impediunt, quo minus Deus super omnia ametur, ab hoc autem amore non modo dependet ceterorum officiorum erga Deum præstatio, verum etiam idem mirifice influit in omnem reliquam praxin moralem; cane ac angve pejus fugiendi. Nihil est, quod Deum magis amabilem reddat, quam summa, quæ ipsius est, bonitas. Quamobrem ea animis hominum insinuanda & omnes dubitationes, quæ eandem vel suspectam quodammodo reddunt, vel quomodocunque imminunt, tollendæ. In Theologia naturali abunde demonstravimus, quæ huc faciunt, ut in præsenti ad particularia descendere non sit opus.

CAPUT V.

De Timore Dei.

§. 317.

Unde timor filialis nascatur.

Qui Deum amat, eundem timet timore filiali. Qui enim Deum amat, ejus animum tenet sollicitudo, ne quid faciat, quod a se fieri Deus non vult, vel etiam non faciat, quod fieri vult (§. 1176. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quoniam igitur hæc sollicitudo timor Dei filialis est

eſt (§. 1177. *part.* 1. *Jur. nat.*); qui Deum amat, eundem timet timore filiali.

Timor filialis naſcitur ex amore Dei, ſicuti timor liberorum ex amore in parentes (*not.* §. 746. *part* 7. *Jur. nat.*), unde nomen etiam timoris filialis venit, quia liberis parentes amantibus proprius, qui ſollicite ſibi cavent, ne actionibus ſuis parentes ad iram provocent, ſed potius curæ habent, ut ipſis afferant gaudia. Timorem hunc in ſe expertus omnium optime intelligit, quid ſit filialis timor, ne cum aliis officiis agnatis eundem confundat.

§. 318.

Quoniam qui Deum amat, eundem timet (§. 317.); *Medium timoris filialis.* *ſi quis Deum timere debet, operam dare tenetur, ut eundem amet,* conſequenter cum timor filialis totus dependeat ab amore, *quo magis quis proficit in amore Dei, eo magis quoque proficit in timore Dei.*

Medium timoris filialis amor erga Deum eſt, ex quo is veluti ſua ſponte conſequitur. Qui alterum amat, is voluptatem ejus appetit (§. 650. *Pſych. mpir.*), tædium vero averſatur (§. 651. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum nemo quid appetat, niſi quatenus voluptatem inde percipit, nec averſetur, niſi quatenus id ipſi moleſtiam, ſive tædium creat (§. 156. *part.* 2. *Eth.*), ideoque nemo non intelligat, ſe voluptatem creare alteri, ſi facit, quæ vult, moleſtiam vero, ſi facere nolit, quæ vult, aut ſi faciat, quæ non vult; amore accenditur cupiditas faciendi, quæ vult amatus, & fuga eorum, quæ non vult (§. 810. 813. *Pſych. empir.*). Hinc vero naſcitur ſollicitudo, ne quid faciamus, quod amatus non vult, aut ne faciamus, quod non vult, quatenus nimirum ex amati tædio ipſimet tædium (§. 642. *Pſych. empir.*), & ex ejus voluptate ipſimet voluptatem percipimus

mus (§. 640. *Psych. empir.*). Et in hac sollicitudine timor filialis consistit. Quamvis vero homo Deo creare tædium nequeat, utpote quale in ipsum non cadit (§. 205. *part. 2. Theol. nat.*), nec ad voluptatem ejus quidpiam conferre valeat, cum in se immutabilis sit (§. 17. *part. 2. Theol. nat.*) ac ab omni ente alio prorsus independens (§. 25. *part. 2 Theol. nat.*); constat tamen Deum approbare quod homo facit, si facit quod vult, ast improbare, si facit, quod non vult. Quamobrem cum voluntas Dei approbans concipiatur per modum voluptatis, quam homo facto suo creat Deo; ideo amor tanquam affectus eodem modo tendit in Deum amatum, quo in hominem amatum. Et sic amans Deum considerat facta sua tanquam voluptatem Deo afferentia, quæ voluntati ejus conformia sunt, & ex adverso tanquam molestiam creantia, quæ voluntati ipsius adversantur. Quamvis vero hebetiores humano more in Deo concipiant, quæ tantummodo per eminentiam insunt, & essentiæ ac naturæ divinæ convenienter intelligenda; error tamen, qui admiscetur, inter eos referendus, quos tolerabiles declaravimus in superioribus, quia timori Dei non officit (§. 99.). Si quis vero fuerit acutior, ut, quæ Deo conveniunt, ea intimius cognoscere possit & ab eorum notionibus separare, quicquid humani hebetiores admiscent; apud eum tantundem valet facti approbatio, quantum voluptatis ex eodem perceptio, & facti improbatio, quantum tædii perceptio. Neque in his notio actionis ad Deum relatæ, quæ est hebetioribus, contrariatur notioni, quæ est acutioribus, cum in hac saltem respectu Dei separetur, quod humanum est, nec in Deo locum habet, propterea quod etiam notio actionis amato voluptatem, vel tædium creantis continet approbationem, vel improbationem amati.

§. 319.

An timor Dei sit pecu-

Timor Dei virtus peculiaris est. Lege naturæ præcipitur, ut Deum timeamus, timore filiali (§. 1179. *part. 1. Theol. nat.*),

nat.), conſequenter qui Deum timet timore filiali, actionem ſuam legi naturæ convenienter determinat. Quamobrem cum habitus actionem legi naturæ convenienter determinandi virtus ſit (§. 321. *part. 1. Phil.pract. univ.*); timor Dei filialis virtus eſt. *Quod erat unum.*

Conſiſtit autem timor filialis in ſollicitudine, ne quid faciamus, quod Deus a nobis fieri non vult, & ne facere omittamus, quod fieri vult (§. 1177. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam itaque hæc ſollicitudo differt a voluntate faciendi, quæ Deo placent, conſequenter a charitate (§. 241.); timor Dei virtus peculiaris eſt. *Quod erat alterum.*

Obedientia, charitas & timor filialis arctiſſimo quodam vinculo cohærent, atque ſimul ad eandem actionem hominis Deum vere agnoſcentis concurrunt, & in ejus determinationem influunt, ut ideo acute a ſe invicem diſtingvi debeant. Inprimis charitas & timor filialis facile confundi poterant. Charitas enim requirit ſtudium placendi Deo (§. 241), conſequenter committendi has actiones, omittendi alias, quia illæ Deo placent, hæ autem diſplicent; timor autem filialis ſollicitudinem non faciendi, quæ Deus non vult, conſequenter quæ ipſi diſplicent, ideoque etiam faciendi, quæ vult, conſequenter quæ eidem placent (§. 1177. *part. 1. Jur. nat.*). Timor itaque filialis atque charitas a ſe invicem differre non videntur, cum utraque virtus redire videatur ad voluntatem faciendi quod Deo placet, & noluntatem faciendi, quod diſplicet. Differentiam obedientiæ atque charitatis ſupra explicavimus (*not.* §. 241.). Neceſſe igitur eſt, ut etiam explicemus, quomodo timor filialis differat a charitate. Charitas abſolvitur dilectione Dei, qui vero Deum diligit, actionem ideo committit, vel omittit, ut Deo placeat (§. 241.), conſequenter tanquam finem intendit, ut Deo placeat, & hic finis movet voluntatem

ad actionem committendam, quæ propterea cum gaudio committitur. Enimvero sollicitudo, quæ tenet animum timentis Deum, timorem filialem a charitate potissimum distingvit. Sollicitudo enim est cum ægritudine quadam cogitatio, quam tamen amor ita temperat, ne sit molesta, & continet aversionem ejus, quod Deo displicet, ita ut Deum timens odio habeat, quicquid Deo displicere potest, atque curam certitudinis de conformitate actionis cum voluntate divina. Qui studet placere Deo, utique certus esse debet, actionem esse voluntati divinæ conformem, consequenter quo ardentior est charitas, eo quoque certior esse debet conformitas actionis cum voluntate divina. Et propterea diligenti Deum curæ cordique esse debet, ne fallat judicium de conformitate actionis cum noluntate divina, sicque timor ad charitatem accedit, & quemadmodum qui Deum diligit gaudet, quod faciat, quæ placent Deo, ita qui Deum timet, gaudet, quod certus sit se facere, quod non displicet Deo, & abominatur actionem voluntati divinæ adversam, quia novit, eam displicere Deo. Actus igitur animæ ad charitatem atque timorem Dei requisiti differunt: ex his autem æstimanda est virtutum differentia, quibus praxis officiorum erga Deum continetur. Non est quod objicias, differentias istas esse subtiliores, quam ut ab hebetioribus capi possint, cum tamen omnes Deum diligere & timere debeant. Hebetioribus enim sufficiunt notiones confusæ, qui Deum diligere ac timere possunt, modo lubenter faciant, quod Deus vult, & facere nolint, quod norunt Deo displicere, ideoque curæ habeant, ne quid faciant, quod ipsius voluntati adversatur, quamvis non distingvant actus ad charitatem pertinentes ab iis, quæ ad timorem requiruntur, immo nec singulos distincte cognoscant. Ast in philosophia morali necesse est, ut singuli a se invicem separentur & quinam ad charitatem, quinam ad timorem Dei requirantur cognoscatur, ut virtutem utramque,

qualis

qualis sit, intimius perspiciamus. Studium faciendi, quod Deo placet, & sollicitudinem, ne faciat, quod Deo displicet, a se invicem distingvit, qui Deum diligit atque timet, quatenus sibi actuum internorum conscius est. Et hoc sufficit hebetioribus.

§. 320.

Qui Deum timet timore filiali, eundem amat. Qui enim Deum timet timore filiali, ejus animum tenet sollicitudo, ne quid faciat, quod voluntati divinæ aversatur (§. 1177. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter quod improbatur a Deo. Quamobrem cum alterum amet, qui tædium ejus aversatur (§. 651. *Psych. empir.*), & per consequens Deum amet, qui aversatur, quod Deus improbat (§. 206. *part. 2. Theol. nat.*); qui Deum timet timore filiali, eundem amat. *Quod timens Deum eundem amet.*

Timor Dei filialis ex amore in Deum proficiscitur (§. 318.), nec timor filialis concipi potest, nisi qui ex amore proficiscatur. Qui Deum timet, ne puniatur, is intendit pœnæ vitationem: qui vero Deum timet timore filiali, is intendit improbationis aversionem. Deus autem timeri nequit, nisi quatenus vel pœnam vitare volumus, vel quatenus nolumus, ut factum improbetur a Deo, consequenter omnis timor Dei vel ex metu pœnæ, vel ex amore in Deum proficiscitur. Ex timore igitur filiali recte colligitur amor erga Deum, ac ideo timor iste signum est amoris erga Deum. Qui Deum timet timore filiali, eum sibi repræsentat tanquam amabilem; & amore erga ipsum ad eum timendum impellit. Probe quoque notandum est, sollicitudinem, in qua consistit timor filialis, non cadere in eum, qui pœnam metuit & hac commovetur ad non faciendum, quod voluntati divinæ adversum. Qui enim metu pœnæ impellitur, ne faciat, quod Deus non vult, sibi cavet ne commit-

tat actionem voluntati divinæ adversam, ne pœnam incurrat. Aliud vero est sibi ab actione quadam cavere mali evitandi causa; aliud nolle facere, quod alter non vult, ne tædium ipsi creetur, aut quod factum ab ipso improbetur. In priori casu voluntas faciendi quod voluntati Dei repugnat non sublata, sed saltem refrenatur, ne in actum externum prorumpat, ideoque non sine molestia voluntati divinæ conformatur actio, atque minus lubenter fit, quod Deus vult: ast in casu posteriore voluntas faciendi quod voluntati divinæ repugnat prorsus sublata & tota propendet in id, quod eidem conforme est, atque lubentissime fit, quod Deus vult, quemadmodum diligenti Deum convenit (§. 250.).

§. 321.

An amor sit timore prior. *Amor Dei prior est timore filiali, seu amor præcedit, timor sequitur.* Etenim timor filialis nascitur ex amore Dei, ut eum timere nequeat, nisi qui amat (§. 317. 320.). Quamobrem si Deum timere velis, necesse est ut ante ames eundem. Amor igitur timore Dei filiali prior est, seu amor præcedit, timor sequitur.

Timorem Dei filialem nemini persuaseris, qui Deum non amat. Quodsi vero Deum amat, timor filialis sua quasi sponte sequitur. Equidem fieri potest, ut, si amor erga Deum fuerit nascens, inde nondum oiriatur timor: ast in praesenti quoque non sermo est de amore nascente, sed quamvis nondum perfecto, attamen jam proficiente. Quamobrem si quis intendit proficere in amore erga Deum, admonendus est, ut etiam ratonem habeat timoris eidemque una adsuescat. Atque tum docendus est dependentiam timoris filialis ab amore, ut intelligat amorem verum sine timore isto subsistere non posse, atque hunc esse signum, quantum in illo profecerimus (§. 318.). Ceterum hinc intelligitur, cur in praxi morali, quando

quando unum ab altero dependet, considerandum sit, quodnam præcedere & quodnam sequi debeat. Neque existimandum est, quasi præsens propositio nullius sit momenti.

§. 322.

Qui Deum timet, oblata quacunque occasione agendi, sollicite inquirit, utrum actio sit voluntati divinæ conformis, nec ne. Qui enim Deum timet, ejus animum tenet sollicitudo; ne quid faciat, quod a se fieri Deus non vult, vel etiam non faciat, quod fieri vult (§. 1176. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter antequam voluntatem determinat ad agendum, vel noluntatem ad non agendum, certus esse vult, utrum actio voluntati divinæ conformis sit, nec ne. Quamobrem qui Deum timet, oblata quacunque occasione agendi sollicite inquirit, utrum actio sit voluntati divinæ conformis, nec ne.

Quod timens Deum sollicite inquirat in convenientiam actionis cum voluntate divina.

Qui non sollicite inquirit, utrum actio voluntati divinæ conveniat, an adversetur, oblata quacunque occasione agendi, is quoque nondum sollicitus est, ne quid faciat, quod voluntati divinæ adversatur: id quod per se satis patet. Me tamen vel tacente intelligitur, sollicitam istam inquisitionem tantum locum habere, quando nondum constat, utrum actio sit voluntati divinæ conformis, nec ne. Quodsi enim quis ejus convenientiam cum voluntate divina didicerit, cum occasione agendi oblata meminerit, quod eadem cum voluntate divina conveniat; timor filialis sine ulteriore inquisitione influit in determinationem voluntatis, ut faciat, quod Deus vult, quia timet Deum. Ast cum sollicitudo, in qua timor Dei consistit (§. 1177. *part. 1. Jur. nat.*), contineat diffidentiam certitudinis, si qua subsit dubitandi ratio; qui timet Deum scientia, aut notitia, quam habet, non confidit, sed denuo convenientiam actionis cum

voluntate divina ad examen revocat, præsertim si jam expertus fuerit se in jlla dijudicanda a vero aberrasse.

§. 323.

Quodnam studium ad scientiam legis naturæ conferat qui Deum timet,

Quoniam qui Deum timet, oblata quacunque occasione agendi sollicite inquirit utrum actio sit voluntati divinæ conformis, nec ne (§. 322.), hoc vero cognoscitur ex lege naturæ (§. 284. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ad quam servandam Deus homines obligat (§. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *si timens Deum novit ex lege naturæ addisci, quænam actiones a Deo sint præceptæ, quænam prohibitæ, quænam permissæ, studium omne ad scientiam legis naturæ convertit eademque delectatur.*

Timor Dei accendit cupiditatem scientiæ Juris naturæ, ut studium ipsius sit pertinax & acre, & quia juris hujus scientia timentem voti sui compotem reddit, ut certus sit actionem, cujus patrandæ offertur occasio, voluntati divinæ non adversari, eam auro argentoque cariorem facit. Dantur equidem adhuc rationes aliæ, ut lege naturæ delectemur eandemque caram habeamus (§. 190.), ideoque studium ejus commendant; sed eædem cum timore Dei conjungi possunt ac debent. Quodsi objicias dari plurimos, quibus in pretio est timor Dei, scientiam autem juris naturæ parum curant, immo contemnunt; ipsa propositio responsionem suppeditat. Nimirum ignorant ex lege naturæ addisci, quænam actiones a Deo præcipiantur, quænam prohibeantur, quænam permittantur, & quid sit scientia, quid certitudo, quam parit, ac quid Deus velit ut faciamus, vel non faciamus, ex scriptura sacra addiscendum esse, contendunt, ad cujus intellectum non faciat juris naturæ scientia. Non negamus in oraculis divinis contineri præcepta & prohibitiones divinas; ast nostrum in Philosophia morali non est ad ea provocare, qui saltem tradimus, qua ex principiis rationis demonstrari possunt. Falluntur autem, qui sibi persuadent, scien-

ſcientiam juris naturæ nihil conferre ad intellectum ſcripturæ ſacræ in iis, quæ ad mores pertinent. Probe memini, me adoleſcentem ex ore Theologi conſummatiſſimi *Neumanni*, Inſpectoris Eccleſiarum et ſcholarum Vratislavienſium tunc temporis hauſiſſe, quod in ſcriptura ſacra plus videat philoſophus, quam philoſophiæ ignarus, atque hoc monitum cupiditatem diſcendi philoſophiam in me accendiſſe, qui ab optimis parentibus ad pietatem & quævis officia erga Deum a teneris unguiculis adductus fueram, ut, quæ in ſcriptura ſacra docentur, intimius perſpicerem: Et puto me uno atque altero ſpecimine in Horis ſubſecivis Marburgenſibus aſſerto huic fidem feciſſe. Non capit, niſi expertus, quid valeat in animum hominis, ſi etiam ſciamus, quod credimus Deo. In præſenti locus non eſt, ut doceamus, quidnam ad ſcripturæ intellectum conferat philoſophia & inprimis rerum moralium ſcientia: ſufficit provocare ad explicationes dictorum ſcripturæ huc ſpectantium, quibus ea interpretantur concionatores philoſophiæ imperiti, quorum unusquisque verbis ſcripturæ tribuit ſenſum pro ſua opinione, aut ſæpiſſime prorſus nullum, magno licet apparatu verborum dans ſine mente ſonum, ut nihil dicam de auctoribus Theologiæ moralis atque librorum, quos vocant, aſceticorum.

§. 324.

Quoniam *timens Deum* ad ſcientiam legis naturæ ſtudium non convertit, eademque delectatur niſi noverit, inconvenientiam actionum cum voluntate Dei ex jure naturæ addiſcendam eſſe (§. 323.); *ne ſcientiam juris naturæ negligat, convincendus, aut ad veritatem perſuadendus eſt legem naturæ eſſe etiam legem divinam* (§. 277. *part. 1. Phil. pract. univ.*), *Deum ad eandem ſervandam hominem obligare* (§. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*), *nec homini præſcribere potuiſſe legem naturali contrariam* (§. 282. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Quomodo neglectus iſtius impediatur.

Utile

Utile quoque erit, ut, quæ de directione actionum humanarum juxta voluntatem Dei demonstrantur in parte prima Theologiæ naturalis, conferantur cum iis, quæ de eadem demonstrantur in jure naturæ: ita enim identitas eorum, quæ in Theologia naturali ex voluntate Dei & in jure naturæ ex natura humana deducuntur, in oculos incurret. Præjudicium, quasi scientia juris naturæ nihil faciat ad intellectum scripturæ, eademque tuto carere possimus, eradicare non est hujus loci. Videbunt autem acutiores, quomodo refellendum sit, ex iis, quæ modo ad propositionem præcedentem (*not.* §. 323.) annotavimus, nimirum afferendo specimina, quibus usus philosophiæ in dictis moralibus scripturæ sacræ ipso facto evincitur, & ostendendo nævos interpretationum communium ac defectus. Conducit quoque, ut inculcetur rationis autorem esse Deum, qui non minus hominem docet per rationem, quam per revelationem, immo in oraculis suis multa supponit, quæ lumine rationis assequi valemus. Dudum hæc fuerunt agnita a Theologis, qui rationis lumen cum lumine revelationis conjunxerunt, & exemplo est D. *Thomas* in Summa Theologiæ, quamvis nostro seculo præposterum pietatis studium philosophiam in contemtum adduxerit.

§. 325.

De obedientiæ cum timore filiali nexu.

Qui Deum timet, lubentissime obedit Deo. Etenim qui Deum timet, ejus animum tenet sollicitudo nil quicquam faciendi, nisi quod voluntati Dei convenit (§. 1177. *part. 1. Jur. nat.*) & data quacunque occasione agendi sollicite inquirit, utrum actio sit voluntati divinæ conformis, nec ne (§. 322.). Quodsi ergo novit, actionem voluntati divinæ convenire, aut repugnare, quo maior fuerit ista sollicitudo, eo quoque lubentius in casu priori eandem committit, in posteriori omittit. Quamobrem cum obedientem se

Deo

Deo præbeat, qui actionem committit, vel omittit, quia vult, ut committat, vel omittat (§. 1164. *part. 1 Jur. nat.*); qui Deum timet, lubentissime obedit Deo.

Repugnat utique solllcitum esse, ne quid faciamus quod voluntati divinæ adversatur, & facere, quod eidem repugnare agnoscimus, consequenter Deum timere ac eidem non obedire (§. 1177. 1164. *part. 1. Jur. nat.*). Qui Deum timet, ei firmissimum propositum est non faciendi nisi quod voluntati divinæ convenit, consequenter eidem obediendi. Quamobrem ut actu obediat, saltem cognoscat opus est, quod actio sit voluntati divinæ conveniens, ac ideo sollicite inquirit in hanc convenientiam (§. 322.) & ubi novit eam ex lege naturæ agnosci, ad scientiam ipsius omne studium convertit eademque lege delectatur (§. 323.), sicuti christianus, qui credit, convenientiam actionum cum voluntate divina ex scriptura sacra addisci, in scriptura sacra assiduo versatur & lege divina delectatur. Deum igitur timenti minime molestum accidit obedire Deo, quin potius ubi novit se obedire Deo, ipsa obedientia delectatur: cum enim qui Deum timet, eundem quoque amet (§. 320.), quamprimum Deum timens agnoscit Deum hoc velle, vel nolle, amor quoque in determinationem voluntatis & noluntatis influit, qui voluptatem, sine qua non concipitur (§. 640. *Psych. empir.*), in obedientiam diffundit. Quodsi actiones humanas intime perspicere volueris, necesse est, ut omnia, quæ in determinationem voluntatis & noluntatis influunt, accurate a se invicem distingvas: inde nimirum est, ut una eademque actio in diversis subjectis diversas admodum induat formas. Atque hoc maxime observandum, si veritatem eorum, quæ in Ethica demonstrantur, in nobis ipsis experiri voluerimus, vel etiam de his judicium ferre ex iis, quorum nobis in nobismet ipsis conscii sumus, ne judicicium præcipitemus, dum nobis jam videmur consecuti, ad quod demum erat nitendum.

§. 326.

Quid timor filialis confe-rat ad obe-dientiam.

Quoniam qui Deum timet, lubentissime obedit Deo (§. 325.); *timor Dei filialis hominem impellit ad obedientiam Deo debitam, eandemque facilitat.*

Ostendimus jam alias timorem Dei filialem voluntatem & noluntatem efficere bonam, eo autem solo non perfici utramque, perfectæ tamen addere constantiam & perpetuitatem, aut, si jam constans & perpetua fuerit alia de causa, firmare (§. 141. *part. 1. Eth.*). Nimirum timor filialis per se non extenditur ultra propositum non faciendi, nisi quod voluntati divinæ convenit, consequenter ultra limites voluntatis bonæ (§. 121. *part. 1. Eth.*). Quamobrem ut timens Deum actu obediat, nec saltem putet se obedire Deo, necesse est ut certus sit, Deum hoc velle, quod facit, aut nolle, quod non facit. Sine lumine intellectus appetitus & aversatio facultas cœca est, & in tenebris ambulans ubivis offendit, dum inoffenso pede se progredi putat. Timor igitur filialis in obedientiam saltem influit per modum causæ impulsivæ, non vero per modum efficientis, quemadmodum sibi persuadent qui sunt in philosophia hospites & alieni. Quoniam vero timor Dei urget obedientiam & inobedientiam exosam reddit, atque hoc ipso constantiam & perpetuitatem obediendi Deo magis firmat; influxu ipsius obedientiæ demitur molestia, sicque obedientia facilitatur, cum in appetitu sensitivo, vel aversatione sensitiva nihil insit, quod eidem reluctetur.

§. 327.

Signum deficientis timoris Dei.

Similiter quia Deum timens lubentissime obedit Deo (§. 325.), consequenter fieri nequit, ut eidem obedire nolit; *si quis agnoscit, Deum hoc velle, istud nolle, hoc tamen non obstante hoc facere non vult, istud non facit*, consequenter

Deo

Deo obedire non vult (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*), *Deum* quoque *non timet.*

Habemus itaque signum deficientis timoris Dei. Ex obedientia colligi nequit timor Dei filialis, quia voluntas ad obediendum determinari potest etiam per alias rationes, quemadmodum ex superioribus constat. Ast inobedientia cum timore filiali consistere nequit. Nemo autem dici potest obedire, vel obedire nolle alteri, nisi noverit, quid is a se fieri velit, vel nolit. Et requiritur omnino, ut obedienti, vel obedire nolenti certa sit voluntas Dei atque noluntas. Habere animum obediendi nondum obedientia ipsa est, quæ consistit in promptitudine faciendi, quæ Deus vult, & non faciendi, quæ non vult (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*), cumque actio recta supponat judicium verum de convenientia actionis cum voluntate divina (§. 80. *part. 1. Phil. pract. univ.*), Deo nondum obedit, nisi qui actu facit, quod Deus revera vult, & non facit, quod revera non vult, minime vero qui sibi falso persuadet, Deum hoc velle, aut nolle. Equidem hæc conveniunt primis philosophiæ principiis ab omni ævo agnitis, nostro tamen seculo non satis inculcari possunt, in quo præpostorum pietatis studium opiniones absurdas & confusaneas in praxin moralem invexit, quæ sicuti cum istis principiis pugnant, ita obedientiæ veræ plurimum detrahunt. Quamobrem omni studio annitendum, ut actionibus humanis concilietur sua rectitudo, ne virtus speciem saltem præ se ferat.

§. 328.

Quando timor Dei pariat pertinaciam facien-

Si timens Deum falsas fovet de convenientia actionis cum voluntate Dei opiniones; pertinaciter facit quod voluntati divinæ adversum. Cum enim timens Deum sollicitus sit, ne quid faciat, quod voluntati divinæ adversum (§. 1177. *part. 1. Jur.*

endi voluntati divinæ adversa.

Jur. nat.); si putat Deum velle ut hoc faciat, quo magis Deum timet, eo minus a proposito hoc faciendi se avocari patitur, & similiter si putat nolle Deum, ut hoc faciat, quo magis Deum timet, eo minus se adduci patitur, ut faciat. Quodsi ergo contingat, opinionem ipsius de convenientia actionis cum voluntate divina falsam esse; quo magis Deum timet, eo minus se avocari patitur a proposito faciendi, quod tamen Deus ut faciat non vult, aut permoveri, ut faciat, quod vult. Quamobrem si timens Deum falsas foveat de convenientia actionis cum voluntate Dei opiniones, pertinaciter facit quod voluntati divinæ adversum.

Error, qui nocet timori Dei, vel consistit in jure, vel in facto, ad quod jus applicatur. Quamobrem ne timore Dei abutamur, uterque error omnio studio vitandus. Quantum noceant timentes Deum ob istiusmodi errores, exemplo eorum abunde constat, qui præposterum pietatis studium colunt, intellectus culturam negligentes & rerum moralium scientiam contemnentes. Tanta nimirum deprehenditur eorum pertinacia, ut in crudelitatem degeneret, dum putant se facere quod Deo placet. Æquipollet hac in parte timor Dei bonæ voluntati, quam ipsam quoque pertinacem efficit. Timor Dei sejungi non debet a perfecta voluntate, quæ exigit scientiam exactam juris naturæ (§. 133. *part. 2. Eth.*), consequenter voluntatis divinæ (§. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodsi sejungatur, eo ipso a voluntate divina receditur, qua ad legis naturæ observantiam obligamur (§. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque caret ea rectitudine, quam habere debet. Sine perfecta voluntate timor Dei nondum perfectus est, sed multiplici labe adhuc inficitur, quatenus non usu, vel abusu facultatum cognoscendi in transversum agitur. Qui differentiam inter voluntatem bonam & perfectam cognitam atque perspectam habet vi

eorum,

eorum, quæ de utraque in parte secunda Ethicæ demonstravimus, nihil difficultatis in hisce offendit. Hinc autem discimus, cur omnium facultatum usus convertendus sit in virtutis studium & exercitium, & cur virtutes omnes sint conjungendæ, ne vitiorum labe inquinentur a se invicem sejunctæ. Virtus nulla per se ad actus vitiosos ducit, sed quatenus adhuc defectu laborat, quando non conjungitur cum virtutibus ceteris, sive intellectualibus, sive moralibus, quarum conjunctionem urget lex naturæ. Quamprimum vero adhuc quidpiam deficit, quod lex naturæ ad perfectionem virtutis requirit; periculum est, ne actibus vitiosis inquinetur, & a puritate animi procul adhuc abest, qui virtutem colit in nonnullis adhuc deficientem. Dantur quoque ideo peccata ignorantiæ, quæ committuntur, dum committens sibi persuadet, se facere, quod legi naturæ, seu voluntati divinæ conforme est. Ne noceant, qui Deum timere volunt, dum gloriam ejus promovere intendunt; quæ hic dicuntur, probe perpendere debent: nihil enim magis nocet, quam præposterum pietatis studium, quod plurima dat damna in ipsa Rep. non facile reparabilia.

§. 329.

De studio pertinaciam istam evitandi.

Quoniam timor Dei, qui hominem impellere debet ad obedientiam Deo debitam præstandam (§. 326.), consequenter ad faciendum, quod voluntati divinæ convenit (§. 1141. *part. 1. Jur. nat.*), pertinatiam faciendi voluntati divinæ adversum creat, si falsæ foveantur opiniones de convenientia actionum cum voluntate divina (§. 328.); *quo quis magis Deum timet, eo magis anniti debet, ut de voluntate Dei certus sit*, consequenter cum voluntas Dei ex lege naturæ agnoscatur (§. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*), *ut scientiam juris naturæ acquirat* (§. 595. *Log.*), ad quam ipse timor Dei naturaliter hominem impellit (§. 323).

Naturaliter certitudo de convenientia actionum cum lege naturæ obtineri nequit nisi scientia juris naturæ, hebetioribus vero, qui demonstrationes capere nequeunt, eadem persuadenda est ad veritatem, quæ his utique perspecta esse debet, qui argumenta suasoria genuina invenire volunt. Christiani, qui ad eam agnoscendam commendant Scripturam sacram, fidem substituunt scientiæ: non tamen propterea hæc negligenda, sed cum fide copulanda. Connubium vero scientiæ ac fidei pertinet ad Theologiam moralem.

§. 330.

De pœnitentia ob factum voluntati divinæ adversum signo timoris Dei.

Si Deum timens agnoscit, se vel per ignorantiam, vel per errorem, vel alia quacunque de causa fecisse, quod voluntati divinæ adversum; eum facti pœnitet. Etenim qui sollicitus est ne quid committat quod voluntati divinæ adversum, is utique id committere non vult. Quamobrem cum, qui Deum timet, ejus animum teneat sollicitudo nil quicquam faciendi, quod voluntati divinæ adversatur (§. 1177. *part. 1. Jur. nat.*), actionem voluntati divinæ adversam committere non vult, consequenter eandem sibi repræsentat tanquam malam (§. 907. *Psych. empir.*). Quodsi ergo agnoscit, se sive per ignorantiam, sive per errorem, sive alia quacunque de causa fecisse, quod voluntati divinæ adversum; se male fecisse judicat. Quoniam itaque poenitentia concitatur, si quis judicet, se male fecisse (§. 359. *part. 2. Eth.*); si Deum timens agnoscit, se vel per ignorantiam, vel per errorem, vel alia quacunque de causa fecisse voluntati divinæ adversum, eum facti poenitet.

Multæ sunt rationes, ob quas etiam qui Deum timet facere potest quod voluntati divinæ adversum, sive facta fuerint positiva, sive privativa. Sed eas in præsenti recenseri opus non est, cum ab iis non dependeat demonstratio propositionis

tionis præsentis. Ignorantiæ enim & erroris saltem mentionem fecimus, ut pateat, in hypothesi non sumi nisi quæ possibilia sunt, quemadmodum ex præcedentibus apparet (§. 328. 329.). Nunquam timor Dei adeo perfectus est, ut non subinde faciat homo Deum timens, quod voluntati ipsius adversum, si vel maxime cum voluntate perfecta eundem copulari studeat (*not.* §. 328.). Quamprimum vero actionem a se perpetratam considerat qui Deum timet, atque agnoscit, se fecisse quod voluntati divinæ adversatur, cum videat se fecisse, quod non facere sibi proposuerat, seu factum proposito suo tam firmo contrarium esse, quin eum ejusdem pœniteat fieri nequit. Quamobrem si ideo pœnitet, quia contrariatur timori Dei; erit in hoc casu pœnitentia omnino signum timoris Dei Ut igitur ex pœnitentia colligatur timor Dei, constare debet, quod ideo agentem pœniteat facti, quia Deo displicet. Pœnitentia hæc profluit ex amore in Deum, a quo ortum trahit timor filialis (§. 318.), & amor pœnitentiam influxu suo singulari quodam modo modificat, ut a pœnitentia alia de causa orta differat: quæ tamen differentia rectius sentitur, quam describitur. Accedit, quod ob diversitatem rationum, cur contra propositum suum timens Deum fecerit, quod a Deo improbatur, diversæ concitentur commotiones animi cum pœnitentia in unum confusæ. Atque ob hanc differentiam consequuntur alia ex pœnitentia Deum timentis, quam ex pœnitentia, quæ ex alia causa ortum habet. Ad talia animum attendere debet; qui latebras & recessus in animis hominum cognoscere voluerit, sicque ad intimiorem animæ cognitionem pervenire, in praxi morali utilitatem certissimam spondentem. Quemadmodum vero fieri potest, ut judicium de actione perpetrata non minus fallat, quam quod de eodem ferebatur, cum adhuc esset patranda; pœnitentia quoque orietur, si quis opinetur se fecisse, quod voluntati divinae adversatur, seu Deo displicet, etiamsi saltem ipsi videatur,

deatur, revera autem actio voluntati divinæ non repugnet. Satis enim constat, affectus opinione nostra concitari, sive vera fuerit, sive falsa.

§. 331.

De dubitatione, utrum factum sit voluntati divinæ adversum, nec ne.

Si Deum timens dubitat, utrum quod fecit voluntati divinæ adversetur, nec ne; quo magis assensus in partem affirmativam propendet, eo magis angitur animus. Qui Deum timet, sollicitus est, ne quid faciat, quod voluntati Numinis adversum (§. 1177. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem si dubitat, utrum quod fecit voluntati divinæ adversum sit, nec ne, cum sollicitudo sit non sine ægritudine cogitatio, & quamdiu dubitat vereatur, ne quod voluntati divinæ adversatur fecerit (§. 117. *part. 2. Theol. nat.*), animus inquietatur. Quodsi assensus propendet in partem affirmativam, rationes quædam adesse debent, cur factum videatur voluntati divinæ adversum (§. 421. *part. 2. Theol. nat.*), consequenter scrupuli conscientiæ animum invadunt (§. 421. *part. 1. Phil. pract. univ.*), qui cum molestiam animi pariant (§. 506. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & metum incutiunt (§. 507. *part. 1. Phil. pract. univ.*); quo magis assensus in partem affirmativam propendet, eo magis angitur animus.

Timor Dei suscitat cupiditatem certitudinis, quam cum habere nequeat, qui cum dubitationum fluctibus colluctatur; animum inquietari necesse est. Et quia timor Dei continet firmissimum propositum non faciendi quod voluntati divinæ adversatur; si vel maxime nullæ sint in utramque contradictionis partem rationes, assensus tamen in affirmativam potius propendet, quam in negativam, quamdiu inter utramque dubius hæret animus. Immo ipsa ignorantia, quæ animum in dubitationem adducit, in præsenti casu jam mole-

molesta est. Experiri hæc in se potest, si quis hominem quendam impense amat, aut si veretur, ne forsan quod fecit offendat eum, cujus ut favorem conservet plurimum interest.

§. 332.

Qui Deum timet, aliorum facta gloriæ divinæ adversa odio habet: timori autem Dei repugnat, ut odio habeantur ipsæ personæ. Qui enim Deum timet, is sollicitus est, ne quid faciat, quod voluntati divinæ adversum (§. 1177. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum Deus velit, ut gloriam suam promoveamus, nolit autem ut eandem obscuremus (§. 1155. *part. 1. Jur. nat.*); quicquid gloriæ divinæ adversatur, vehementer aversatur, consequenter ex eo molestiam percipit (§. 156. *part. 2. Etht.*). Quoniam itaque odium ejus concitatur, unde molestiam multam percipimus (§. 679. *Psych. empir*); qui Deum timet, aliorum facta gloriæ divinæ adversa odio habet. *Quod erat unum.*

De odio factorum gloriæ divinæ adversorum.

Enimvero Deus vult, ut neminem odio habeamus, absque ulla restrictione (§. 624. *part. 1. Jur. nat.*). Quodsi ergo qui facta aliorum odio habet, quæ gloriæ divinæ adversantur, odium extendit in ipsas personas; id voluntati divinæ adversatur. Quamobrem cum id, quod voluntati divinæ adversum est, etiam repugnet timori Dei (§. 1177. *part. 1. Jur. nat.*); si qui Deum timet odium, quo facta aliorum gloriæ divinæ adversa prosequitur, in ipsas personas extendit, id ipsum timori Dei repugnat. *Quod erat alterum.*

Cum qui Deum timet, eundem quoque amet (§. 320.), amor quoque Dei influit in odium ejus, quod gloriæ ipsius adver-

adversatur, & quo intensior fuerit amor, eo majus quoque odium est. Odium vitii separare ab odio personæ, cui inhæret, non adeo facile est. Quamobrem non infrequens est, ut timentes Deum odio habeant eos, quorum facta gloriæ divinæ adversantur. Ast cum odium personæ a Deo prohibitum (§. 624. *part 1. Jur. nat.*), vitiosum sit (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*), timor Dei labe quadam inficitur (§. 598. *part. 2. Eth.*); id quod puritati animi officit (§. 599. *part. 2. Eth.*), quam urget lex naturæ (§. 604. *part. 2. Eth.*).

§. 333.

De odio atheismi & deismi. Quoniam qui Deum timet, aliorum facta gloriæ divinæ adversa odio habet (§. 332.), atheus vero, qui Deum pro figmento habet (§. 411. *part. 2. Theol. nat.*), gloriam Dei rejicit, & deista, qui sibi persuadet, Deum res humanas parum curare (§. 529. *part. 2. Theol. nat.*), gloriam divinam parum curat; *qui Deum timet, atheismum & deismum odio habet, temeritatem quoque atheismum, vel deismum profitentium, multoque magis studium atheismum, vel deismum propagandi.*

Quodsi videas æquo animo feri confessionem atheismi & deismi, aut disseminationem alterutrius, vel eandem prorsus placere; id omnino indicio est carentiæ timoris Dei. Quidni etiam huc referas, si qui dogmata impia magis divulgare student, quæ potius perpetua oblivione obruenda erant? Sane si non arguat hoc studium timoris Dei plenariam carentiam; eundem tamen labe quadam inficit, nec qui parum sollcitus est ut inquirat, utrum studium istud timori Dei adversetur, nec ne, in timore Dei multum profecit (§. 322.). Ostendimus, odium, quo timens Deum prosequitur facta aliorum gloriæ divinæ quomodocunque adversa, non esse extendendum in personas (§. 332.). Quæritur itaque, an non

non odio habendi sint athei & deistæ? Atat facilis est responsio: nec atheos, nec deistas odio habere debemus, etsi atheismum & deismum, atque confessionem, disseminationem & divulgationem utriusque oderimus. Convenit potius ut eos amemus, ut amor nos impellat ad errores ex ipsorum animis evellendos, & ad disseminationem et divulgationem pro virili impediendam. Quando vero qui Deum timet nihil horum in potestate sua esse deprehendit, in votis subsistit, ut Deus errantes in viam rectam reducat & ceterorum mentes adversus pestiferos hosce errores muniat. Videbimus paulo post, quomodo providentiæ divinæ committenda sint, quæ in potestate nostra non esse deprehendimus.

§. 334.

Qui Deum timet, timentes Deum amat. Qui enim Deum timet, timore Dei utique delectatur (§. 156. *part. 2. Eth.*). Enimvero si quis quadam in re, qua delectatur, alterum sibi similem agnoscit, eundem amat (§. 297. *part. 2. Eth.*). Quamobrem qui Deum timet, timentes Deum amat. *De amore Deum timentium.*

Distinguendus est hic amor ab amore universali, quo homines promiscue omnes prosequi debemus tanquam æque homines, & qui subsistit, etiamsi quis Deum non timeat (§. 332. *& not.* §. 333.). Qui enim amat timentem Deum, eum amat propter timorem Dei, in quem amorem gaudium influit, quo exultat animus, quod videat, alios quoque timere Deum. Sane filius, qui patrem amat, ideoque timet, omnino vehementer cupit, ut etiam fratres, si quos habet, eundem æque timeant, & ubi timorem eorum filialem observat eos magis amat, quam si minus timerent.

§. 335.

De conscientia timentis Deum.

Qui Deum timet, operam dare tenetur, ut conscientia sit certa, & timor Dei ad custodiam conscientiæ nos impellit. Qui enim Deum timere vult, data quacunque occasione agendi sollicite inquirere tenetur, utrum actio sit voluntati divinæ conformis, nec ne (§. 322.), & anniti, ut de voluntate Dei certus sit (§. 329.). Enimvero qui annititur, ut de veritate judicii sive theoretici, sive practici, quod de actione fert, sit convictus, consequenter certus (§. 982. *Log.*); is operam dat, ut conscientia certa sit (§. 420. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem qui Deum timet, operam dare tenetur, ut conscientia sit certa. *Quod erat unum.*

Enimvero cum animum ejus, qui Deum timet, teneat sollicitudo nil quicquam faciendi, nisi quod voluntati divinæ convenit (§. 1177. *part. 1. Jur. nat.*), timor Dei eum impellit, ut in conformitatem actionum cum voluntate Dei inquirat, & certus esse cupiat, actionem, cujus patrandæ occasio offertur, voluntati divinæ non repugnare, consequenter ut conscientia sit certa, ideoque etjam recta (§. 419. 420. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & sollicitudo ista, in qua timor Dei consistit, etiam in causa est, ne, dum de actione patranda judicium ferendum, appetitu sensitivo, vel aversatione sensitiva in contrariam partem se trahi patiatur, vel affectuum impetu in eandem abripi, consequenter curæ habet, ut conscientia quoque sit libera (§. 426. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum cura de rectitudine, certitudine ac libertate conscientiæ custodia conscientiæ sit (§. 519. *part. 1. Phil. pract. univ.*), timor Dei ad custodiam conscientiæ nos impellit. *Quod erat alterum.*

Nemo est qui nesciat, eos, qui Deum timere volunt, quicquid agant, ad conscientiam provocare, manifesto satis indicio, timorem Dei nos impellere ad conscientiæ custodiam. Dolendum vero paucos satis intelligere, quid ad custodiam conscientiæ requiratur. Apprime igitur necessarium est, ut, qui Deum timere voluerit, addiscat, quæ de conscientia docuimus (§. 417. *& seqq. part.* 1. *Phil. pract. univ.*), & de custodia ejus demonstravimus & inculcavimus (§. 597. *& seqq. part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Qui Deum timet, conscientiam suam custodire vult, & firmum habet propositum contra conscientiam non agendi; sed hæc voluntas nondum sufficit, ut conscientiam custodias. Necesse omnino est, ut distinctam quoque conscientiæ habeas notionem & quomodo custodienda sit intelligas. Dolendum vero, quod qui conscientiam constanter crepant, in timore Dei incipiente subsistentes, non vero in eodem proficere studentes, quemadmodum fieri debebat, certitudini ac libertati conscientiæ parum studeant, sine quo tamen studio conscientia custodiri nequit (§. 597. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*).

§. 336.

Quoniam timor Dei nos impellit ad custodiam conscientiæ (§. 335.), ideoque qui Deum animo sincero timet, conscientiam suam custodire vult, qui vero conscientiam suam custodire vult, culpam omnem evitare tenetur (§. 637. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*); *qui Deum animo sincero timet, operam* quoque *dare tenetur, ut culpam omnem evitet.* Quamobrem cum satis ostenderimus, quomodo culpa quævis vitanda sit (§. 641. *& seqq. part.* 2. *Phil. pract. univ.*), *quæ de modo vitandi culpam demonstrata sunt, non modo sibi familiaria reddere, verum etiam omni animi contentione anniti debet, ut ea ad praxin transferat.* *De culpæ vitatione.*

Qui Deum timet, anniti debet, ut habeat animum ab omni sensu culpæ vacuum, cum qualibet culpa tam commissionis, quam omissionis timori Dei adversetur. Timori Dei proficienti jungendum est studium vitandi culpam, nec sufficit eam excusari humana infirmitate. Etenim infirmitati humanæ tribui nequit, quod ex ignorantia, vel errore vincibili proficiscitur (§. 373. *part. 1. Phil. pract. univ.*), cumque habitus vitandi culpam non acquiratur, nisi exercitio (§. 430. *Psych. empir.*), nec infirmitatem humanam obtendere licet, si negligantur exercitia, quibus habitus acquiri poterat & debebat. Quæ de culpa tenenda sunt, sufficienter explicavimus in parte prima Philosophiæ practicæ universali, ut singularum specierum notiones distinctæ inde hauriri possint, & quomodo evitanda sit, non modo in genere, verum etiam in specie ostendimus in parte secunda Philosophiæ practicæ universalis, ex qua addiscere possumus exercitia, quibus habitus comparandus. De infirmitate humana itaque conqueri non potest, nisi qui tentavit quid valeant humeri, quid ferre recusent, nec in tentaminibus desiderari passus est diligentiam suam. Injustæ sunt, immo in Deum ipsum injuriæ querelæ de infirmitate humana, si non facimus usum facultatum a Deo nobis concessarum, nec ut eundem facere possimus eas perficere studemus, quemadmodum in parte prima & secunda Ethicæ docuimus. Quemadmodum scientiæ plurimum nocent intempestivæ de imbecillitate intellectus humani querelæ; ita non minus virtuti obstant atque officiunt continuæ de infirmitate humana querimoniæ.

§. 337.

De influxu timoris Dei in pietatem.

Timor Dei pietatem fovet & alit, hoc est, facit, ut in pietate perseveremus & proficiamus. Qui enim Deum timet sollicitus est, ne quid committat, quod voluntati divinæ adversum (§. 1177. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum Deus velit,

lit ut gloriam ipſius promoveamus (§. 1148. *part. 1. Jur. nat.*), omnibus actionibus noſtris (§. 610. *part. 1. Theol. nat.*); quicquid agit, inquirit, quomodo actione ſua gloriam Dei promovere poſſit, conſequenter timor Dei facit, ne gloriam Dei promovere negligat. Quoniam itaque pius eſt, qui gloriam Dei promovet (§. 111.); timor Dei facit, ut in pietate perſeveremus, ſeu pietatem fovet. *Quod erat unum.*

Quoniam timens Deum pietatem continuo exercet, *per demonſtrata*, continuo autem exercitio habitus acquiſitus non modo conſervatur, verum etiam perficitur (§. 431. *Pſych. empir.*); timor Dei quoque facit, ut in pietate proficiamus, ſeu pietatem alit. *Quod erat alterum.*

Qui Deum diligit gloriam Dei promovere ſtudet, quia novit, id placere Deo (§. 241.); qui Deum timet, ſibi cavet ne quid faciat, quod gloriæ divinæ adverſum, neque ideo omittat, quod ad promovendam gloriam Numinis facit, quia novit, hoc ipſi diſplicere (§. 322.). Atque hoc modo charitas & timor Dei in promotionem gloriæ divinæ, conſequenter in pietatem (§. 111.) ſimul influunt. Cum pietas virtus ſit (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*), in habitu determinandi actiones ſuas per attributa divina tanquam per motiva conſiſtit (§. 321. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum timor Dei non permittat, ut actiones noſtras per motiva ab attributis divinis deſumta determinare negligamus; huic determinationi continuo magis magiſque adſueſcimus, &, dum in agnitione Dei, unde omnis officiorum erga Deum praxis dependet (§. 1.), proficimus, indies quoque magis nobis innoteſcit, quænam attributa divina in determinationem actionis influere poſſint. Quamobrem haud difficulter intelligimus, quomodo timor Dei pietatem foveat & alat. Et, ſi quis praxi officiorum erga Deum ſedulam operam navare voluerit,

voluerit, ex ſeipſo omnium optimè addiſcet, quid amori erga Deum ſit tribuendum, ut in pietate perſeveret atque proficiat, & veritatem eorum, quæ nos demonſtramus, agnoſcet. Neceſſe autem eſt, ut omnia erga Deum officia conjungamus, cum mutuus quidam detur omnium in ſe invicem influxus, quo virtus una perficit alteram: id quod obſervandum eſt de omni quoque virtute reliqua. Quodſi hoc obſervetur, quemadmodum obſervari debebat, multum demeretur querelis de infirmitate humana, nec eidem adſcriberetur imperfectio virtutis, quæ negligentiæ tribuenda. Ceterum ex propoſitione præſente patet, timorem Dei eſſe medium in pietate perſeverandi & proficiendi.

§. 338.

Quomodo timor Dei ſit initium ſapientiæ.

Timor Dei ſapientiæ initium eſt. Etenim qui Deum timet ſollicitus eſt, ne quid faciat, quod voluntati divinæ, conſequenter legi naturæ (§. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*), adverſum (§. 1177. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque ſibi cavet, ne intendat finem legi naturæ adverſum, nec utatur mediis ad finem, quem intendit, conſequendum, quæ lege naturæ prohibentur. Quamobrem cum ſapientis ſit non agere propter finem legi naturæ adverſum (§. 441. *part. 1. Eth.*), nec uti mediis lege naturæ prohibitis (§. 443. *part. 1. Eth.*); timor Dei animum ad ſapientiam diſponit & ad eandem incitat. Sapientiæ igitur intium eſt.

Sapientis eſt agere propter finem & uti mediis ad finem ducentibus (§. 678. *Pſych. rat.*); ſed non agere propter finem quemcunque, nec uti mediis quibus cunque. Cum obligatio, quæ a lege naturæ venit, ſit prorſus indiſpenſabilis (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nec agere licet propter finem legi naturæ adverſum, nec uti mediis eadem lege prohibitis, ideoque tam finis, propter quem agitur, quam media, quibus ad eum conſequendum utimur, voluntati divinæ

divinæ convenire debent (§. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque timor Dei nobis insinuat sollicitudinem, ne intendamus finem, qui Deo displicet, nec utamur mediis, quæ Deus improbat (§. 1177. *part. 1. Jur. nat.*); sapientiæ cupiditatem excitat & dum nos determinat ad inquirendum, utrum finis, quem intendere volumus, sit voluntati divinæ conformis, nec ne, & utrum media, quæ nobis succurunt, sint eidem voluntati divinæ convenientia, nec ne, sapientiam inchoat. Neque enim timor Dei nos docet, quinam fines, quænam media voluntati divinæ conveniant; sed id ex lege naturæ, aut divina cognoscendum. Immo cum sapientia habitus sit, quemadmodum habitus ceteri omnes nonnisi exercitio comparandus (§. 430. *Psych. empir.*), timor Dei quoque habitum conferre nequit, sed eum nobis commendat & ut exercitiis, quibus comparatur, lubenter vacemus facit. Suas itaque partes exerit circa ea, quæ ad initium sapientiæ pertinent.

§. 339.

Timor Dei in omnem virtutem influit. Qui enim Deum timet sollicitus est, ne quid committat quod voluntati Dei, consequenter legi naturæ (§. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*), repugnat (§. 1177. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum virtutis sit determinatio actionum juxta legem naturæ (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), determinatio autem eidem contraria vitii (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*); timor Dei virtutis studium commendat & ad idem hominem incitat, a vitio autem animum avertit, atque idem præterea voluntatem efficit magis constantem & perpetuam (§. 141. *part. 2. Eth.*), qualem virtus quælibet requirit (§. 328. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque in virtutem influit, quod ejus studium commendat, ad idem nos incitat &

De influxu timoris Dei in virtutem.

voluntatem constantem ac perpetuam efficit; timor Dei in omnem virtutem influit.

Quatenus timor Dei studium virtutis commendat & ad idem nos incitat, per modum motivi in culturam virtutis influit, quatenus vero voluntatem constantem & perpetuam efficit, per modum motivi. Plurimum vero quoque facit ad incrementum virtutis, quod a vitio nos retrahat ac idem nobis exosum reddat. Taceo alia, quæ poterant addi, siquidem intimius in hunc influxum inquirere vellemus. Quoniam a virtute dependet felicitas, qua in hac vita nobis frui datur (§. 400. *part. 1. Phil. pract. univ.*); quanti faciendus sit timor Dei ex his, quæ de influxu ejus in virtutem diximus, intelligitur.

§. 340.

An timor Dei servilis virtus sit. *Timor Dei servilis virtus non est.* Etenim timor servilis lege naturali non præcipitur (§. 1180. *part. 1. Jur. nat.*), sed saltem filialis (§. 1179. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum virtus non sit nisi habitus actiones suas legi naturæ convenienter determinandi (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*); timor Dei servilis virtus non est.

Si timor Dei fuerit servilis, homo metu pœnæ saltem adigitur ut faciat, quod vult Deus, vel non facit, quod non vult (§. 1178. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem voluntas saltem determinatur ad evitandum pœnam, quæ cum evitari non possit, nisi actio voluntati divinæ, seu legi naturæ conformetur; actio saltem externa eidem conformatur, voluntas vero & noluntas nondum perficitur, nec bona efficitur timore servili (§. 143. *part. 2. Eth.*). Virtute præditus non est, qui saltem actionem externam metu pœnæ legi naturæ conformat (§. 347. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Timor igitur servilis ad virtutes referri nequit. Virtutes morales habitus voluntatis sunt (§. 547. *part. 1. Jur. nat.*). Quam-

Quamdiu igitur vitium hæret in voluntate, virtuti locus non eſt. Timor filialis virtus eſt (§. 319.), qui exigit, ne quid faciamus, quod Deus improbat. Aliud vero cum ſit aliquid non facere, ne Deus improbet; aliud idem non facere, ut pœnam evitemus parum curaturi, quod Deus improbet, modo pœnam evitare poſſemus, illud autem virtutis ſit, hoc virtutis minime eſſe poteſt, conſequenter nec timor ſervilis in virtutum numerum referri poteſt. Vide, quæ alias de actionibus legi naturæ conformibus metu pœnæ extortis annotavimus (*not.* §. 347. 351. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Timor ſervilis etſi voluntatem determinare videatur ad faciendum, quod Deus vult; quandam tamen ad huc repugnantiam in eadem relinquit, nec tollit propenſionem in contrarium, ut actio ſit invita (§. 585. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Conferri poſſunt, quæ alias de effectu pœnarum annotavimus (*not.* §. 138. 139. *part. 2. Eth.*).

§. 341.

Timor ſervilis concitatur, ſi pro certo habeatur, mala phyſica, quæ peccatoribus obtingunt, eſſe pœnas peccatorum & Deum eſſe peccatorum vindicem, ſeu ipſi competere juſtitiam vindicativam. *Quomodo timor ſervilis concitetur.*

Qui enim pro certo habet, mala phyſica, quæ peccatoribus obtingunt, eſſe pœnas peccatorum, (§. 308. 309. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter iisdem a Deo immitti, propterea, quod actiones legi divinæ contrarias commiſerunt (§. 285. 440. *part. 1. Phil. pract. univ.*); is quoque ſibi perſuadet, Deum mala iſtiusmodi a ſe averſurum, ſi actiones ſuas legi naturæ, conſequenter voluntati ipſius conformiter dirigat (§. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Et ſi præterea non minus pro certo habet, Deo competere juſtitiam vindicativam (§. 1081. *part. 1. Theol. nat.*), ideoque pœnas decernere & irrogare male facientibus (§. 1080. *part. 1. Theol. nat.*); is quoque

 ſibi

sibi persuadet, Deum se puniturum, consequenter mala physica immissurum (§. 285. *part. 1. Phil. pract. univ.*), si hoc faciat, vel non faciat. Quamobrem cum repræsentatione istiusmodi malorum concitetur timor (§. 393. *part. 2. Eth.*), timor autem servilis sit, si quis metu pœnæ adactus facit, quod vult Deus, vel non facit, quod non vult (§. 1178. *part. 1. Jur. nat.*); timor servilis concitatur, si pro certo habeatur, mala physica, quæ peccatoribus obtingunt, esse pœnas peccatorum, & Deum esse peccatorum vindicem, seu ipsi competere justitiam vindicativam.

Ostendimus, mala physica, quæ ex actionibus hominum necessario consequuntur, recte haberi pro pœnis divinis (§. 305. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ast pœnarum harum consideratio nihil facit ad timorem Dei servilem, quia unus quisque intelligit se ipsum esse causam mali sui. Hic igitur saltem considerantur mala, quæ ex actione nostra per se non consequuntur; sed quæ propter eam ab alio nobis inferuntur, qui non vult ut actionem istam committamus. Punit autem Deus homines non modo per naturam, sed etiam per facta hominum etiam malitiosorum. Exempli loco est bellum, quod ingentem malorum cumulum post se trahere nemo est qui nesciat. Quamvis enim istiusmodi facta sint mala moralia respectu agentis, damna tamen, quæ per ea dantur peccatoribus, sunt mala physica: quando enim pœna spectatur, non attenditur actio agentis, sed damnum, quod eodem datur patienti. Qua de causa quoque mala hæc dicuntur mala passionis. Moses Hebræis legum ipsis latarum transgressoribus tantummodo comminatus est mala physica, quæ in his terris homini obtingere possunt, & ex adverso leges observantibus promittit bona physica, quorum homines in hac vita compotes fieri possunt. Cum enim conderet Rempublicam, cujus Rector ipse Deus esse debebat, hoc modo introduxit obligationem positivam, non aliter quam pœnarum

narum metu & præmiorum spe inducendam a legislatore in civitate (§. 301. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero Deo tanquam gubernatori hujus universi (§. 900. *part. 1. Theol. nat.*) competit jus disponendi de actionibus hominis (§. 959. *part 1. Theol. nat.*). Quamobrem mala, quæ *Moses* comminatus est Hebræis, & præmia, quæ promisit, recte quoque referuntur ad introductionem obligationis positivæ (§. 314. 317. *part. 1. Phil. pract. univ.*), qua Deus adstringere vult homines ad observandam legem naturæ (§. 318. *part. 1. phil. pract. univ.*), toti humano generi a se latam (§. 274. *part. 1. Phil. pract. unv.*). Et quoniam Deus hoc universum gubernat vi nexus rerum (§. 901. *part. 1. Theol. nat.*), sapientia & bonitate sua constituti (§. 741. *part. 1. Theol. nat.*); in eodem quoque continentur pœnæ atque præmia, quibus positiva introducitur obligatio actiones suas juxta legem divinam, quæ cum naturali eadem (§. 277. *part. 1. Phil. pract. univ.*), determinandi (§. 987. *part. 1. Theol. nat.* & §. 318. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quæ igitur *Moses* comminatus est trasgressoribus legum per ipsum a Deo Hebræis latarum mala & quæ promisit eas observantibus bona, ea quoque totum genus humanum respiciunt, & magna illa civitas, quam ipsa natura instituit inter gentes (§. 7. & *seqq. Jur. Gent.*), Theocratiæ assimilatur, quæ tamen non agnoscitur, quamvis plurimum interesset, ut agnosceretur si non a gentibus barbaris, quod non sperandum, saltem a cultioribus, & inprimis a christianis.

§. 342.

Voluntas & noluntas corrupta mala est. Voluntas enim corrupta proclivis est ad malum, segnis & iners ad bonum (§. 10. *part. 2. Ethic.*), noluntas mala bonum fastidit (§. 11. *part. 2. Eth.*), consequenter generaliter illa determinata est ad actiones malas certi saltem generis committendas, hæc vero *Voluntas & noluntas corrupta qualis sit.*

ad actiones bonas certi saltem generis non committendas, neque enim fieri potest, ut voluntas generaliter determinetur ad actiones nonnisi malas committendas, aut noluntas ad nullam actionem bonam committendam (§. 128. *part.* 2. *Eth.*). Quamobrem cum mala sit voluntas, quæ generaliter determinata est ad actiones malas certi generis committendas, & noluntas mala sit, quæ generaliter determinata est ad actiones bonas certi generis non committendas (§. 129. *part.* 2. *Eth.*); voluntas & noluntas corrupta mala est.

Equidem hoc sumi poterat absque demonstratione, cum quilibet ultro concedat, voluntatem & noluntatem corruptam non esse bonam, sed malam: quoniam tamen nos distinctas & determinatas notiones vocabulis singulis assignavimus, quibus vulgo non nisi confusæ respondent, ad conservandam majorem evidentiam in demonstrationibus nostris opus erat, ut ostenderemus retento significatu, quem vocabulis tribuimus, voluntatem & noluntatem corruptam esse malam.

§. 343.

Usus timoris servilis. *Homines, quorum mala est voluntas, timore servili refrenantur ab actu externo positivo, vel negativo, in quem propendet voluntas mala, vel quem nauseat noluntas mala.* Etenim metu pœnarum voluntas corrupta, consequenter mala (§. 341.), refrenatur ab actu externo, in quem propendet (§. 192. *part.* 2. *Eth.*), & noluntas mala ab actu externo negativo, seu positivi omissione, quem nauseat (§. 196 *part.* 2. *Eth.*). Quamobrem cum timor servilis occupet animum hominis, si quis metu poenæ adactus facit, quod Deus vult, aut non facit, quod non vult (§. 1178. *part.* 1. *Jur. nat.*); homines, quorum mala est voluntas & noluntas, timore servili refrenantur

nantur ab actu externo positivo, vel negativo, in quem voluntas mala propendet, vel quem nauseat noluntas mala.

Patet itaque, quemnam usum habeat timor servilis in moralibus, propterea non proscribendus ex Ethica, quia non est in virtutum numero (§. 340.). Concipitur autem hic timor habitualis, qui in consuetudinem abiit, ut, quoties actio committenda voluntati divinæ adversa, vel omittenda noluntati divinæ contrariatur, pœnæ cogitatione suscitetur pœnæ metus. Si enim timore Dei refrenanda voluntas & noluntas, frenum perpetuum esse debet. Homines, quorum voluntas & noluntas mala est, cum rationis usum seponant, instar, equorum regendi sunt. Quemadmodum itaque equi retinentur & domantur frenis ita pœnis mali deterrentur a pravis cupiditatibus & ad obsequium inviti ducuntur.

§. 544.

Contra quos pœnæ divinæ urgendæ.

Quoniam homines, quorum mala est voluntas & noluntas, timore servili refrenantur ab actu externo positivo, vel negativo, in quem propendet voluntas; vel quem nauseat noluntas mala (§. 343.), timor autem servilis concitetur, si pro certo habeatur, mala physica, quæ peccatoribus obtingunt, esse pœnas peccati (§. 341.); *pœnæ divinæ urgendæ sunt adversus malos, & si qua dubitatio superſit, annitendum est, ut tollatur.*

Pœnas frustra urges adversus homines malos, nisi eas ipsis persuaseris ad veritatem: convictio enim veri nominis vix sperari potest, cum nimis ardua sit, quemadmodum non modo patet ex iis quæ de modo convincendi in Logica docentur (§. 982. *& seqq. Log.*), verum etiam ex demonstrationibus

tionibus, quibus evincitur mala physica, quæ vi nexus rerum in natura contingunt, recte haberi pro pœnis (§. 308. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & Deum peccatores ipsorum illatione punire (§. 1078. *part. 1. Theol. nat.*), modo perpendere noris, quænam requirantur ad assensum, qui ad plenariam convictionem requiritur (§. 992. *Log.*). Plerique homines sibi persuadent, Deum actiones hominum malas observantem demum decernere, quando & quomodo eas punire velit. Hæc opinio utique falsa est, cum Deus provideat rebus vi nexus rerum (§. 927. *part. 1. Theol. nat.*). Et si vel maxime agnoscant, Deum prævidisse ab æterno peccata hominum, & decrevisse, quomodo ea punire velit; non tamen capiunt, nec admittunt, per nexum rerum pœnas jam esse determinatas. Immo constat, quantæ fuerint Teologorum nonnullorum contra hunc nexum declamationes & vociferationes, quasi eodem everteretur justitia Dei vindicativa, & precum pro avertendis pœnis tolleretur utilitas, & quantas mihi propterea creaverint vexas me plane fortunis omnibus evertere conati, quod illum defendissem. Enimvero cum Deus ita provideat rebus in hoc universo, ac si ad ea, quæ fiunt, attentus hodie demum decernat, quid facere ac permittere velit (§. 938. *part. 1. Theol. nat.*); falsa ista opinio toleranda est, nec ejus ratio habenda, quando timor Dei servilis concitandus (§. 99.).

§. 345.

Cur opera in voluntate & noluntate mala refrenenda timore servili frustra colloce-tur.

Similiter quia homines, quorum mala est voluntas & noluntas, timore servili refrenandi sunt ab actu externo positivo, in quem propendet voluntas, vel quem nauseat noluntas (§. 343.), si vero metu pœnæ refrenari debet voluntas ab actu externo positivo, necesse est, ut opinione ejus, cujus voluntas in eundem propendet, pœna malum majus sit jactura boni, quod ex actione committenda

mittendâ ſperat (§. 193. *part. 2. Eth.*), & ſi noluntas refrenanda ab actu externo negativo, ſeu poſitivi omiſſione, neceſſe eſt, ut moleſtia, quam ex actione percipit, cujus noluntas eandem nauſeat, opinione ipſius minus malum ſit quam pœna (§. 196. *part. 2. Eth.*), mala autem phyſica, quæ vi nexus rerum in hac vita homini obtingunt, cum ex actionibus pravis non neceſſario ſequantur, non pro certo venturis habeantur & quia non minus bonis, quam malis eveniunt, dubitatur, utrum non etiam ventura ſint, ſi vel maxime hoc facias, vel illud non facias; *pœnarum temporalium conſideratione timor ſervilis ſæpiſſime concitari nequit, ideoque fruſtra opera collocatur in voluntate, aut noluntate malorum refrenanda metu pœnæ.*

Experientia hoc ipſum ſatis ſuperque confirmat. Servorum voluntas & noluntas refrenatur pœnis, ut faciant quod dominus vult, non faciant, quod non vult, quia norunt experti, ſe verberibus cæſum iri, niſi fecerint, quod vult dominus, & quantum ſit hoc malum æſtimare didicerunt. Secus vero ſe res habet, ſi pœnæ divinæ temporales adverſus improbos urgentur. Quamobrem Chriſtus docuit, qualis ſit futurus tam proborum, quam improborum ſtatus poſt hanc mortem, in quo illi ineffabili gaudio perfundentur, hi horrendis cruciatibus torquebuntur in æternum. Enimvero quamvis ex lumine rationis conſtet, animas eſſe immortales (§. 747. *Pyſch. rat.*), conſequenter aliquem fore poſt hanc vitam ſtatum, qualis tamen futurus ſit, ex principiis rationis nemo adhuc demonſtravit, multo minus, quod etiam Chriſtus nos docuit, fore tempus, quo corpora mortuorum cum animabus iterum unientur, ut homines dignam operibus ſuis accipiant mercedem. Quamvis enim ratio ſuppeditat principia, quæ ad defendendam doctrinam Chriſti ſufficiunt adverſus objectiones Antiſcripturariorum; non tamen eadem ſufficiunt ad veritatem demonſtrandum.

Defensioni nimirum abunde satisfactum, si ostendatur, argumentis contra eam allatis non evinci impossibilitatem, ut appareat, eam esse falsam. Equidem non ignotum est, Gentiles, sicuti campos eluysios, in quibus delectabuntur probi, ita etiam infernum statuisse, in quo improbi ob male facta cruciatibus sint torquendi. Ast cum non constet, unde hauserint hanc opinionem, aut eam pro lubitu plebis refractariæ domandæ causa finxerunt, aut ratione quadam probabili eandem sibi persuaserunt, quod ejus utilitatem in timore servili concitando agnoscerent. Hæc non alio fine in medium adducimus, quam ut appareat, cur ad timorem servilem concitandum non urgeamus in philosophia morali pœnas infernales, quam methodo demonstrativa pertractare instituimus, ut adeo nobis permissum non sit sumere, quæ non certa & explorata sunt, & ut appareat, quænam Theologia moralis superaddat ad supplendum defectum philosophiæ moralis. Ostendimus quidem (§. 748. *Psych. rat.*) statum animæ post mortem cum statu vitæ præsentis esse connexum, ita ut ratio illius ex hoc reddi possit; sed in quonam consistat hic nexus, non satis patet per lumen naturæ, quemadmodum jam alias monuimus (*not.* §. *cit.*). Et quæ Gentiles tradiderunt de statu animarum post mortem fabulosa sunt, si vel maxime in nonnullis ad veritatem accedere videantur.

§. 346.

De pœnarum & præmiorum consideratione in timorem filialem & amorem.

Pœnarum & præmiorum consideratio influit in timorem filialem, quatenus inde agnoscitur, actiones malas Deo maxime improbari, bonas vero probari, immo in amorem Dei & charitatem, quatenus inde agnoscitur, actiones malas Deo maxime displicere, bonas placere. Qui enim Deum timet timore filiali, ejus animum tenet sollicitudo, ne quid faciat, quod volunta-

ti divinæ adversum, consequenter quod Deo improbatur, & ne facere negligat, quod voluntati ejusdem conforme, consequenter quod ipsi probatur (§. 1177. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum ex pœnis, quas Deus infligit transgressoribus legis naturæ, cognoscat, actiones malas eidem maxime improbari, ex præmiis vero, quibus ornat legis naturæ observantiam, intelligat, actiones bonas eidem maxime probari; sollicitudo ista augetur. Atque ita pœnarum & præmiorum consideratio in timorem filialem influit, quatenus inde agnoscitur, actiones malas Deo maxime improbari, bonas vero maxime probari. *Quod erat unum.* *rem atque charitatem influente.*

Similiter quoniam amor Dei tendit ad studium faciendi, quæ Deo placent, (§. 234.), & per consequens ad studium vitandi, quæ displicent, atque in habitu faciendi, quæ Deo placent & ex adverso vitandi, quæ displicent, charitas consistit (§. 241. 248.); ex pœnis, quas Deus infert legis naturæ transgressoribus, qui eum amat & charitati studet, actiones malas eidem maxime displicere, ex præmiis autem, quibus legum observantiam ornat intelligit actiones bonas eidem maxime placere, amor & charitatis studium pœnarum & præmiorum consideratione magis incenditur, præsertim si cogitemus, Deum a nobis non exigere voluntatem nostram nisi felicitatis nostræ causa (§. 247.), & tam serio velle ut actiones bonas committamus, malas vero omittamus, ut simus felices, nec nos reddamus infelices. Hoc igitur modo pœnarum & præmiorum consideratio in amorem Dei & charitatem Dei influit. *Quod erat alterum.*

Ardor non faciendi, quæ Deo improbantur & displicent, ac faciendi, quæ probantur & placent, robur utique acquirit exinde, quod magis improbetur & displiceat, ac probetur & placeat, quemadmodum quilibet in se ipso experitur, si amicum impense amet. Gradui vero cupiditatis & fugæ, quæ inest ardoris (§. 218. *part. 2. Phil. pract. univ.*), quoad appetitum sensitivum & aversationem sensitivam, in parte superiori animæ respondet constantia voluntatis & noluntatis (§. 1062. *part. 2. Theol. nat*). Dum Deus punit actiones legi naturæ adversas, præmiis vero ornat actiones eidem conformes hoc ipso declarat, quam serio velit, ut actiones nostras juxta legem naturæ determinemus, & per consequens quantum ipsi probentur & placeant actiones legi naturæ conformes, quantum improbentur & displiceant eidem difformes. Pœnarum igitur & præmiorum consideratio cum faciat, ut intimius perspiciamus, quomodo se habeant actiones nostræ ad judicium Dei relatæ, hoc autem judicio nitatur amor Dei, charitas & timor filialis; quomodo ea influat in amorem, charitatem atque timorem filialem, manifestum est. Patet vero simul, quod diverso prorsus modo in timorem filialem influat pœnarum consideratio, quam in timorem servilem. Timore nimirum servili intenditur pœnarum evitatio; in timore autem filiali aversio eorum, quæ Deo improbantur, consideratione pœnarum efficitur major, ac intenditur, ne offendatur Deus. Diversum ideo prorsus statum animæ consideratio pœnarum producit in timore servili & in timore filiali. Ceterum quamvis pœnæ divinæ urgendæ sint adversus malos, ut a malo desistant; eædem tamen quoque repræsentandæ sunt bonis, ut malum magis oderint, nec ad actiones malas se adduci ullo modo patiantur. Et propterea alio prorsus affectu urgendæ sunt pœnæ divinæ adversus malos, alio vero repræsentandæ bonis. Contra malos pœnæ divinæ urgendæ sunt non sine animi indignatione; ast bonis eædem repræsentandæ non sine amore, ut ipsæ faciant,

ant ad bonitatis divinæ uberiorem agnitionem & actionum juxta legem naturæ determinationem commendent. Quibus artis oratoriæ præcepta cognita & perspecta sunt, hi facile videbunt, quænam verba in utroque casu de pœnis divinis dicenti conveniant.

§. 347.

Qui metu pœnæ commotus actiones externas voluntati divinæ conformat; pœnæ obnoxius manet. Qui enim metu pœnæ commotus actiones externas voluntati divinæ conformat, ejus voluntas corrupta, consequenter mala (§. 342.), saltem refrenatur ab actu externo, in quem propendet (§. 192. *part. 2. Eth.*), & noluntas mala ab actu externo negativo, seu positivi omissione, quem nauseat (§. 196. *part. 2. Eth.*). Enimvero lex naturæ urget obedientiam Deo præstandam (§. 1165. *part. 1, Jur. nat.*), consequenter ut voluntatem nostram Deo demus (§. 179.), ideoque actio legi naturæ nondum convenit, si actio saltem externa eidem conformetur, consequenter cum eidem adhuc contrarietur, in actionem vero eidem contrariam poena statuta sit, qui metu pœnæ commotus actiones externas voluntati divinæ conformat, pœnæ obnoxius manet.

An actio metu pœnæ voluntati divinæ conformata a pœna liberet.

Ostendi etiam potest hoc modo. Qui metu pœnæ facit, quod Deus vult, & non facit, quod non vult, Deo se nondum obedientem præbet (§. 207.). Enimvero vult Deus, ut ipsi obediamus (§. 1166. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum pœnas statuerit in eos, qui ipsi non obediunt (§. 1078. *part. 1. Theol. nat.*); qui metu pœnæ commotus actiones externas voluntati divinæ conformat, pœnæ obnoxius manet.

Poterat idem multis adhuc modis aliis demonstrari, quemadmodum facile intelligit, qui intime perspexit actionum rectitudinem, ad quam nos obligat lex naturæ (§. 189. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & quæ non fert, ut actiones internæ ab externa ullo modo dissentiant (§. 79. *part. 1. phil. pract. univ.*). Lex naturæ nos obligat ad consentientem usum omnium facultatum (§. 204. *part. 1. Jur. nat.*) & ad vitandum quemlibet dissensum usus earundem (§. 205. *part. 1. Jur. nat.*). Ipsa igitur obligatio naturalis nobis insinuat, non saltem refrenandam esse voluntatem & noluntatem malam, ne in actus externos prorumpat, sed eandem bonam atque perfectam esse debere, ut lubenter & cum gaudio faciamus, quod bonum est, quod vero malum est facere nolimus. Actiones bonæ procedere debent ex charitate, ut committantur, quia Deo placent, ideoque nondum legi *naturæ*, ad quam observandam nos obligat Deus (§. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conveniunt, quamdiu voluntas in contrarium propendet. Quamdiu vero actio legi naturæ non convenit, reatus quoque non tollitur. Propter universalem nexum legum naturalium non uno modo patet, cur metu pœnæ extorta actio non liberet a pœna in transgressionem legis naturæ decreta.

§. 348.

An timor servilis sufficiat ad pœnam evitandam.

Quoniam pœnæ obnoxius manet, qui actiones saltem externas voluntati divinæ conformat (§. 347.), timor autem servilis est, si quis saltem metu pœnæ adigitur ad faciendum, quod Deus vult, aut ad non faciendum, quod non vult (§. 1178. *part. 1. Jur. nat.*); *timor servilis non sufficit, ut pœna divina evitetur.*

Qui sibi persuadent, se pœnam divinam evitare posse, modo actionem externam voluntati divinæ conforment, quo ducit timor servilis, plurimum falluntur, obligationem positi-

positivam humanam cum divina confundentes. Deus, qui interiora animi scrutatur, animi quoque puritatem requirit (§. 604. *part. 2. Eth.*), cumque casta mens sit casta quoque mente coli vult. Ast in civitate tantummodo respiciuntur actus externi, & ad hos committendos, vel omittendos superior obligat subditos, cum id ad finem civitatis obtinendum sufficiat. Quamobrem si pœnam statuit in transgressores legum, pœnam evitat, qui actionem externam committit, quæ præcipitur, & eam omittit, quæ prohibetur; ast non licet a legislatore homine argumentari ad legislatorem Deum, qui non modo actus externos præcipit ac prohibet, verum etiam internos potissimum præceptis ac prohibitionibus suis respicit, quos externi veluti sua sponte comitantur. Equidem cum homines consueverint de obligatione divina statuere ex humana, nihil fere frequentius est, quam ut sibi persuadeant, se pœnæ divinæ non esse reos, si Deum timeant timore servili, hic tamen error tolerandus non est, sed omni potius animi contentione annitendum, ut ex illorum animis funditus evellatur.

§. 349.

De obligatione divina positiva.

Consideratione pœnarum & præmiorum divinorum homines obligantur ad servandam legem naturæ, quatenus influit in timorem Dei filialem, amorem & charitatem; metu autem pœnarum deterrentur, ne noceant, sibi & aliis. Etenim cum lex naturæ urgeat actionum rectitudinem (§. 189. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & puritatem animi (§. 604. *part. 2. Eth.*), actio autem recta non sit, quæ metu pœnarum extorquetur, vel spe præmii tantummodo elicitur (§. 349. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nec puritatem animi possideat, qui metu pœnæ actionem lege naturæ præceptam committit, prohibitam vero omittit (§. 611. *part. 2. Eth.*), vel etiam spe lucri (§. 612. *part. 2. Eth.*); metu pœnarum & spe præmiorum ad obser-

observantiam legis naturæ homo obligari nequit. Enimvero quoniam pœnarum & præmiorum consideratio influit in timorem Dei filialem, amorem atque charitatem (§. 346.), timor autem Dei filialis (§. 1179. *part. 1. Jur. nat.*) & amor (§. 1172. *part. 1. Jur. nat.*), ac per consequens charitas lege naturali præcipitur (§. 243.), & timor filialis hominem impellit ad obedientiam Deo debitam (§. 326.), consequenter ad actiones suas voluntati divinæ conformandas (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque ad legem naturæ servandam (§. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & amor Dei, cum quo indivulso nexu cohæret charitas, quæ & ipsa obedientiam continet (§. 243.), ad obedientiam Deo præstandam nos incitat (§. 238.); consideratione pœnarum & præmiorum divinorum homines obligantur ad servandam legem naturæ, quatenus ea influit in timorem Dei filialem, amorem & charitatem. *Quod erat unum.*

Metu pœnarum voluntas corrupta, ideoque mala (§. 342.) refrenatur ab actu externo in quem propendet (§. 192. *part. 2. Eth.*). Quamobrem cum actu externo homo saltem nocere possit aliis, noceat vero etiam sibi; metu pœnarum divinarum homines deterrentur, ne noceant sibi & aliis. *Quod erat alterum.*

Obligatio positiva aliter introduci nequit, quam sanctione pœnali & præmiorum promissione (§. 301. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum actionem saltem externam voluntati divinæ conformet, qui metu pœnarum (§. 208.), vel spe præmii facit quod Deus vult (§. 210.); sanctio pœnalis & promissio præmiorum non videtur apta ad introducendam obligationem positivam servandi legem naturæ. Quoniam itaque ostendimus dari obligationem positivam divinam servandi

servandi legem naturæ (§. 318. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quatenus scilicet pœnæ divinæ positivæ sunt (§. 309. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ideo necesse erat, ut demonstraretur, quomodo pœnarum sanctio & præmiorum promissio hominem obligare possit ad legem naturæ servandam, ne quis obligationem positivam tanquam sapientiæ divinæ adversam (§. 625. *part. 1. Theol. nat.*) rejiciat. Distinximus in superioribus obtemperantia ab obedientia (*not.* §. 207. & §. 211.). Illa metu pœnæ & spe præmiorum concitatur; hæc ex amore Dei (§. 238.) & timore filiali fluit (§. 326.). Obedientia vero legi naturæ demum convenit (§. 1167. *part. 1. Jur. nat.*), quæ exigit, ut omnes nostras actiones spectemus tanquam officium Deo debitum (§. 173.) Enimvero quamvis metu pœnæ, vel spe præmii qui facit, quod Deus vult, & non facit, quod non vult, eidem se nondum obedientem præbeat (§. 207.), licet obtemperet; tenendum tamen est, obtemperantem facilius ad obedientiam adduci, quam si metu pœnæ vel spe præmii ad obtemperantiam nondum fuerit adductus (§. 209. 211.). Atque hoc modo obligatio divina positiva maxime convenit sapientiæ divinæ, quia naturæ humanæ accommodata, ut per gradus procedatur ad obedientiam, per saltum non obtinendam. Eodem sane modo procedendum in formandis moribus puerorum, quemadmodum jam insinuavimus (§. 19. & *seqq.* & §. 137. *part. 2. Eth.*), suo autem loco expressius docebimus. Ceterum ex obligatione positiva divina elucescit bonitas divina, non solum quatenus ducit ad custodiam legis naturæ, unicum felicitatis medium (§. 398. *part. 1. Phil. pract. univ.*), verum etiam quatenus sola obtemperantia aliorum consulit aliis, ne scilicet noceant. Notandum quoque hic est, quod supra de influxu præmii licito in obedientiam ostendimus (§. 212. & *seqq.*). Quæ hic de obligatione divina positiva demonstrantur, probe perpendenda sunt, ut recte de eadem sentiamus, cum nihil-

frequentius fit, quam ut de obligatione divina judicium fiat ex humana (*not.* §. 384.), ficque incidamus in anthropomorphifmum fubtilem (§. 580. *part. 1. Theol. nat.*), ex quo nafcuntur contradictiones, quamvis non obfervandæ nifi ab iis, qui in fyftemate veri nominis verfati funt. Produnt enim demonftrationes contradictiones alias latentes & ablepfiam tollunt.

§. 350.

De impedimento obligationis divinæ positivæ tollendo.

Si quis obligationem divinam pofitivam in dubium vocat, quia mala & bona phyfica vi nexus rerum non minus eveniunt malis hominibus, quam bonis; ei oftendendum eft, etfi mala, quæ eveniunt bonis, pœnæ effe nequeant, effe tamen adhuc motiva actionum committendarum & omittendarum, & remedia adverfus mala moralia, & quamvis bona, quæ hominibus malis eveniunt, præmia effe nequeant, effe tamen adhuc motiva actionum committendarum & omittendarum & viam fternere ad malum majus, feu pœnam majorem. Quodfi enim quis obligationem divinam pofitivam in dubium vocat, quia mala & bona phyfica vi nexus rerum non minus eveniunt hominibus malis, quam bonis; is fibi perfuadet, fi Deus in pœnam inferre velit mala phyfica, ab iis immunes effe debere, qui actiones fuas voluntati divinæ pro virili conformare ftudent, *cum* ultra id, quod ab ipfis fieri poteft, obligari nequeant (§. 209. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & ex adverfo fi Deus præmiis invitare velit homines ad legem naturæ fervandam, bona phyfica non effe conferenda nifi illis, qui legem naturæ transgrediuntur, nec actiones fuas ad voluntatem divinam componere volunt: neque enim pœna peccati affici poteft, qui non peccavit, nec eadem pœna, qui minus peccavit, neque ex adverfo præmium obedientiæ deferri poteft inobedientibus, multo minus majori præmio decorari

corari qui inobediens est, quam qui pro virili Deo se obedientem præbet. Quodsi ergo obligationem positivam, quæ tota nititur malis physicis vi nexus rerum hominibus pravis a Deo immittendis, & bonis physicis vi ejusdem hominibus probis a Deo conferendis, agnoscere debet, necesse est ut persuasissimus sit, dari rationes singulares, cur Deus etiam bonis immittat mala, quamvis non eo fine, ut puniantur, & ex adverso malis benefaciat, quamvis bona in ipsos collata non sint præmia virtutis. Mala, quæ eveniunt bonis, & vicissim bona, quæ eveniunt malis posse præbere motiva actionum legi naturæ convenientium, demonstravimus (§. 314. 315. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ut pateat, quomodo quis veritatis sit convincendus. Mala physica esse remedia, quatenus cupiditatem male agendi supprimunt, occasionem male agendi auferunt, propositum bene agendi firmant, occasionem bene agendi suppeditant, alias jam annotavimus (*not.* §. 314. *part. 1. Phil. pract. univ.*): bona vero viam sternere ad malum majus, ut pœna tardior sit tanto gravior, sicuti ex adverso mala quoque sternunt viam ad bona majora obtinenda, experimur indies, nec posterius sequi posse nisi præcedat prius, ex universali rerum nexu intelligitur (§. 83. *Cosmol.*). Quoniam vero veritatum harum omnium optime convincimur, si ea in nobis ipsis experimur (§. 271. *part. 2. Phil. pract. univ.*); quilibet ad actiones suas & facta sua animum attendere tenetur. Cum igitur hac ratione plenissime convincatur, dari rationes sapientiæ & bonitati divinæ convenientes, ob quas vi nexus rerum eveniant bonis mala, malis vero bona; propterea obligationem divinam positivam experientia non minus comprobatam non amplius in dubium vocabit.

Consultum quoque erit, ut ea perpendantur, quæ de malo physico e nexu rerum resultant, passim demonstravimus

vimus in parte prima Theologiæ naturalis. Inprimis autem considerandum est, bona & mala physica plurima talia esse, ut fieri non passit, quin eorum participes fiant tam boni, quam mali: id tamen minime sapientiæ divinæ ac bonitati repugnat, cum omnia dirigantur ad finem sapientiæ divinæ convenientem tam respectu bonorum, quam malorum, quemadmodum ex demonstratione propositionis præsentis intelligitur, & respectu tam bonorum, quam malorum non intendatur, nisi eorum felicitas, ad quam tendit custodia legis naturalis (§. 396. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Nec minus expendendus est modus, quo contingentia in hoc mundo ad actum perducuntur, ita ut omnia præcedentia influant in determinationem actus sequentium (§. 89. *Cosmol.*). Inde nimirum clarissime perspicitur, te bonorum non potuisse fieri compotem, nisi certa mala expertus fuisses, nec improbos in mala incidere potuisse, nisi ante certis bonis cumulati fuissent. Singula autem si satis accurate rimemur, ubivis deprehendemus vestigia sapientiæ ac bonitatis, qua Deus gubernat hoc universum (§. 902. 903. *part. 1. Theol. nat.*). Atque hoc modo intelligemus, pœnis ac præmiis positivis in hoc mundo non esse locum, nisi quoque subinde bonis eveniant mala & vicissim malis bona.

§. 351.

Socordia quid sit. *Socordiam* appellare lubet privationem timoris Dei tam filialis, quam servilis.

Socors dici solet, qui negligens est in consulendo & prospiciendo, quid opus sit facto. Unde *Donatus*: segnities, inquit, est ad agendum, socordia ad considerandum. Nullum igitur vocabulum aptius reperire potuimus ad exprimendum timori Dei privative oppositum.

§. 352.

§. 352.

Quoniam socordia est privatio timoris Dei (§. 351.), privatio autem est defectus alicujus realitatis, quæ esse poterat (§. 273. *Ontol.*), & timor Dei nequit esse, nisi noris dari Deum (§. 1177. 1178. *part. 1. Jur. nat.*); *socordia supponit existentiam Dei notam esse.* Quamobrem *qui ignorat dari Deum, nec ullam ejus notionem habet,* quamvis careat timore Dei, *socors non est.* Patet itaque, *non omnem carentiam timoris Dei esse socordiam.* *An ignorans Deum sit socors.*

Sinenses veteres ignorarunt dari Deum, nec ullam ejus notionem habuerunt. Ast in eorum libris classicis nullum quoque vestigium timoris Dei occurrit, quamvis rigorem legis naturæ perspexerint & rectitudinem actionum atque puritatem cordis maxime urserint. Socordia igitur ipsis tribui nequit.

§. 353.

Cum socordia supponat, existentiam Dei esse notam (§. 352.), atheus vero neget esse Deum (§. 511. *part. 2. Theol. nat.*), ideoque Deum esse nullum putat; quamvis careat timore Dei tam filiali, quam servili, carentia tamen timoris socordia dici nequit, ideoque *atheus socors non est.* *An atheus sit socors.*

Atheus vi hypotheseos impiæ abjicit timorem Dei, nec fieri potest, ut Deum timeat, quem nullum esse putat.

§. 354.

Quia socordia supponit existentiam Dei esse notam (§. 352.), deista vero concedit dari Deum, mundi hujus autorem, sed sibi tantummodo persuadet ipsum res humanas non curare (§. 529. *part. 2. Theol. nat.*), ideoque *An Deista sit socors.*

timorem Dei negligit; carentia timoris socordia est, consequenter *Deista socors est.*

Cum Deista agnoscat, dari Deum mundi autorem, hæc ipsa notitia eum excitare debebat consideratione eorum, quæ in mundo fiunt, Deum & inprimis providentiam ipsius agnoscendum (§. 67.). Ex neglectu hujus studii cum nascatur carentia timoris Dei, ea utique socordia est. Neque enim ex hypothesi ipsius, quemadmodum ex hypothesi athei necessario sequitur, timorem Dei filialem esse absurdum, cum etiam amare possimus eos, qui nos parum curant, ob perfectionem, qua gaudent, ideoque studere ut ipsis placeamus.

§. 355.

Quod socors de convenientia actionum suarum cum voluntate Dei non cogitet.

Qui socors est, is parum sollicitus est, utrum actiones suæ sint voluntati divinæ conformes, nec ne, & num Deus propter eas punire se velit. Etenim qui socors est, caret timore Dei tam filiali, quam servili (§. 351.). Enimvero qui Deum timet timore filiali, oblata quacunque occasione agendi sollicite inquirit, utrum actio sit voluntati divinæ conformis, nec ne (§. 322.), & timor servilis concitatur consideratione pœnarum divinarum (§. 341.). Quamobrem qui socors est, is parum sollicitus est, utrum actiones suæ sint voluntati divinæ conformes, nec ne, & num Deus propter eas hominem puniat (§. 275. *Ontol.*).

Hinc intelligitur, socordiam esse admodum communem, præsertim quoad timorem filialem. Ac ideo disertam ejus mentionem facere voluimus.

§. 356.

An socordia sit vitium.

Socordia vitium est. Est enim privatio timoris filialis (§. 351.). Quamobrem cum timor filialis lege naturæ præci-

præcipiatur (§. 1180. *part.* 1. *Jur. nat.*); socordia eadem lege prohibita (§. 722. *part.* 1. *Jur. nat.* Quoniam itaque socors actiones suas contraria ratione dirigit, quam lege naturali præscribitur; socordia vitium est (§. 322. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*),

Vitium omne habitus est (§. 322. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Dantur vero etiam habitus privativi, qui contrahuntur, quando adsuescimus negligere, quæ facere debebamus, quemadmodum in præsenti casu inquisitionem in convenientiam actionis cum voluntate divina. Atque istiusmodi habitus est socordia. Quod igitur vitium sit habitus, hoc non obstat, quo minus socordia vitium dici possit. Quod hic de socordia dicitur, id tenendum est de ceteris quoque vitiis virtuti privative oppositis.

§. 357.

Qui socors est, Deum non amat. Qui enim socors est, Deum non timet (§. 351.). Enimvero qui Deum non timet, eum quoque non amat (§. 317. 320.). Quamobrem qui socors est, Deum non amat. *An socors Deum amet.*

Qui novit, quantum valeat amor Dei, & quænam ab eodem dependeant in praxi morali, quam noxium vitium sit socordia intelliget. Quo magis vero vitium nocet, eo magis quoque idem caveri debet. Socordiam cum amore Dei consistere non posse manifestum est. Qui enim Deum amat, eundem timet (§. 317.). Nascitur ex amore Dei timor filialis (§. 318.). Quamobrem timore Dei non caret, qui Deum amat, ideoque socors non est.

§. 358.

Si socordiæ mederi velimus, necesse est ut timori Dei studeamus. Etenim qui Deum timere studet, virtutem hanc acquirit (§. 430. *Psych. empir.*), consequenter timore Dei non *Quomodo socordiæ sit medendum.*

caret

caret. Quamobrem cum focors non fit, qui timore Dei non caret (§. 351.); fi focordiæ mederi velimus, neceffe eft ut timori Dei ftudeamus.

Ex neglectu mediorum, quibus timor Dei acquiritur, focordia oritur, quæ in defectu hujus timoris confiftit (§. 351.). Quamobrem fi mediis iftis utaris, timere Deum adfuefcis, ficque focordiæ locus non relinquitur.

CAPVT VI.

De Reverentia adverfus Deum.

§. 359.

An reverentia adverfus Deum virtus fit.

Reverentia adverfus Deum virtus eft. Etenim ad reverentiam adverfus Deum obligamur lege naturali (§. 1183. *part. 1 Jur. nat.*). Quamobrem qui Deum reveretur, actiones fuas legi naturæ convenienter determinat. Quoniam itaque habitus actiones fuas legi naturæ convenienter determinandi virtus eft (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*); reverentia adverfus Deum virtus eft.

Non opus eft, ut demum oftendatur, reverentiam adverfus Deum effe peculiarem virtutem. Actus enim ad eandem pertinentes prorfus diverfi funt ab iis, qui ad virtutes reliquas requiruntur, quemadmodum ex collatione definitionum ftatim apparet, ut non verendum fit, ne inter fe confundantur. Immo ne quidem opus foret, ut oftenderetur, habitus, quibus praxis officiorum erga Deum continetur, effe virtutes, nifi vulgo ufu receptum effet, ut officiorum erga Deum nomine fakem infignirentur, quamvis D. *Tomas* habitus hofce virtutes effe oftenderit.

§. 360.

§. 360.

Qui Deum revereri vult, magnitudinem perfectionum divinarum agnoscere debet. Etenim qui Deum revereri vult, actionibus externis declarare debet, se Deum maximi facere (§. 1182. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter etiam magni facere debet (§. 1181. *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero qui Deum maximi facit ob perfectionem summam, qua gaudet, eum omnibus aliis præferre debet, consequenter necesse est, ut magnitudinem perfectionum divinarum agnoscat (§. 839. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem qui Deum revereri vult, magnitudinem perfectionum divinarum agnoscere debet. *Quomodo Deum revereri discamus*

Reverentia consistit in honore, quem tam verbis, quam factis illis exhibemus, qui aliqua re nos antecedunt, veluti ætate, sapientia, dignitate. Quemadmodum itaque cognoscere tenemur, quanam re nos alter antecedat, ut eum revereamur; ita quoque necesse est, ut agnoscamus magnitudinem perfectionum divinarum, quibus homines omnes antecedit & infinito intervallo post se relinquit. Atque eo fine in Theologia naturali demonstravimus magnitudinem perfectionum divinarum & in superioribus, cum de Deo consideratione hujus universi agnoscendo ageremus, ostendimus, quomodo magnitudo perfectionum divinarum sit agnoscenda. Magnificatio autem Dei a reverentia ipsi exhibenda separari nequit, nisi in hypocrisin incidere velimus, ut actibus externis simulemus aliud, quam quod mente volvimus. Deum enim revereri debemus in veritate: id quod consensum actuum externorum cum internis requirit, quos potissimum respicit Deus.

§. 361.

Deum reveremur verbis, vultu, gestu, voce & factis ad significandum præcellentiam ejus receptis. Qui enim Deum reveretur, *Quomodo Deum revereamur.*

veretur, actibus externis declarare debet se Deum magni facere (§. 1182. *part.1. Jur. nat.*). Quamobrem cum actus externi sint verba, vultus, gestus, vox & facta & hæc signa esse debeant, quanti faciamus Deum (§. *cit.*); Deum verbis, vultu, gestu, voce & factis ad significandum præcellentiam ejus receptis reveremur.

Nimirum quæ in animo latent, per signa externa prodenda sunt, quando Deum reveremur. Produntur vero hæc verbis, vultu, gestu, voce & factis. Verba cum significent notiones perfectionum divinarum, quatenus significatus ex usu loquendi obtinet, respectu ejus, qui Deum reveretur, necessarius videtur, sunt tamen etiam vocabula inventa, quibus præcellentia significari solet, & quæ aliquid arbitrarii habent quoad usum, præsertim si per *metaphoram* ad Deum transferuntur. Vultus, gestus atque vox sua veluti sponte sequuntur internos animi affectus, qui cum reverentia Dei concurrunt; regnat tamen etiam in his arbitrium quoad usum. Ast facta, quæ ad eandem requiruntur, moribus magis introducta sunt, quam ut intrinseca quædam ratio eadem exigat: unde contingit, ut subinde contraria prorsus adhibeantur. Ita e. gr. christiani denudare solent caput ad Deum preces fundentes, ut reverentiam exhibeant Numini; Judæi contra nonnisi tecto capite precantur Deum, immo denudato capite de Deo loqui nefas ducunt. *Similiter* nunc ad reverentiam requiritur, ut Deum oremus stantes, nunc ut in genua procumbamus, nunc ut manus elevemus, vel certo quodam modo complicemus, & quæ sunt alia hujus generis. Istiusmodi facta recte referuntur ad ceremonias (§. 442. *part. 2. Phil. pract. univ.*). De hisce igitur judicium faciendum ex iis, quæ de ceremoniis demonstrata sunt (§. 444. *& seqq. part. 2. Phil. pract. univ.*).

§. 362.

§. 362.

Sine magnificatione vanam esse Dei reverentiam.

Qui Deum revereri vult, ante studere tenetur, ut eum magni faciat. Qui enim Deum revereri vult, actibus externis declarare debet, quanti Deum faciat (§. 1182. *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero actus externi non declarant, quod Deum magnifacias, nisi quoque revera eundem magnifacias, sed mentiuntur quod non est. Quamobrem cum Deus omniscius (§. 302. *part. 1. Theol. nat.*) cognoscat omnia singularia (§. 301. *part. 1. Theol. nat.*), ideoque etiam omnes hominum cogitationes, ab æterno ipsi præscibiles (§. 235. *part. 1. Theol. nat.*) &, quando jam præteritæ, in sempiternum recordabiles (§. 243. *part. 1. Theol. nat.*), velit autem, ut ipsum maximi faciamus (§. 1181. *part. 1. Jur. nat.*); qui Deum revereri vult, ante studere tenetur, ut eum magnifaciat.

Sine magnificatione Dei, quæ actibus internis absolvitur, vana est reverentia, quæ actibus externis declaratur. Cum enim actus externi signa esse debeant internorum, eaque demonstrativa (§. 954. *Ontol.*); si actus interni absint, signa nihil significant. Deus autem sibi non patitur imponi, quemadmodum homines, qui confidunt verbis & actibus externis aliis aliorum, & sibi placent, si vana reverentia ipsis exhibeatur ab aliis, sive revera magnifiant ab exhibitoribus, sive minus. Monuimus jam alias, magnificationem Dei respondere existimationi hominum; reverentiam vero honori, quem iisdem exhibemus ad illam significandum (*not.* §. 1182. *part. 1. Jur. nat.*). Quemadmodum itaque nemo alterum honorare potest, nisi qui verum de perfectione alterius judicium ferre valet (§. 540. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter verus honor supponit existimationem minus fallacem (§. 538. *part. 1. Jur. nat.*); ita quoque nemo Deum revereri potest, quemadmodum debet, nisi eum revera maximi

imi faciat, consequenter magnitudinem perfectionum divinarum agnoscat. Cum homines revereamur ob dignitatem, qua eminent in Republica; reverentia, quam iis exhibemus, declaratur nos dignitatem ipsorum agnoscere, consequenter eum ipsis exhibemus honorem, quem superior ipsis exhiberi vult. Sed quoniam mundus regitur opinionibus, non veritate, & dignitatem alii habent, alii merentur, *reverentia civilis*, quam dicere lubet, non supponit veritatem, sed nititur voluntate superioris, ac ideo recta est, quatenus continet obsequium superiori debitum. Reverentia vero adversus Deum aliter sese habet, quæ tota nititur veritate, & assimilatur reverentiæ, quam exhibemus sponte iis, qui perfectione quadam nos, vel alios antecedunt (*not.* §. 360.). Homines, qui variis ita imbuuntur erroribus, ut vanitati veritas cedat, reverentia vana delectantur; ast Deus, qui ab omni errore prorsus immunis est (§. 294. *part.* 1. *Theol. nat.*), ipsemet fons omnis veritatis (§. 290. *part.* 1. *Theol. nat.*), non delectatur nisi reverentia vera, quæ ipsi exhibetur ob præcellentiam ipsi propriam. Et quemadmodum homines, quorum tantum est acumen, ut veritas intime perspecta non cedat præjudicatis opinionibus, quibus mundus regitur, vanam reverentiam nauseant, quamvis meritam, si exhibeatur ab iis, qui de perfectione, qua alios antecedunt, judicium per se ferre nesciunt, tantum vero abest, ut eadem delectentur; ita quoque Deo reverentia vana merito exosa censetur. Hoc igitur probe notandum est, cum nihil sit frequentius, quam ut in omni cultu Numinis homines acquiescant in actibus externis, ideoque sibi persuadeant se Deum revereri posse absque magnificatione, tanto quidem facilius, quod honor civilis non attenta veritate per modum officii boni civis exhibeatur, quemadmodum modo observavimus.

§. 363.

§. 363.

Quoniam qui Deum revereri vult, ante studere tenetur, ut eum magnificiat (§. 362.), Deum autem magnificere non possumus, nisi agnoscamus, quantum creaturas omnes, seu entia quælibet, quæ præter ipsum possibilia sunt, perfectione sua antecedat (§. 839. *part. 1. Jur. nat.*); *ut in reverentia Dei proficiamus, danda est opera, ut quæ de immensitate, inscrutabilitate & incomprehensibilitate perfectionum divinarum* passim in parte prima Theologiæ naturalis *demonstrata sunt, intimius perspiciantur & consideratione hujus universi*, quemadmodum superius passim docuimus, cum de agnitione Dei consideratione hujus universi acquirenda ageremus, *indies confirmentur.* *Quænam eo fine facienda.*

Non citamus more nostro loca, in quibus immensitas, inscrutabilitas & incomprehensibilitas perfectionum divinarum demonstratur, & in quibus ostenditur, quomodo consideratione hujus universi nobis innotescant, propterea quod citationes forent nimis prolixæ, loca vero facile reperiantur ope indicis ab iis, qui in systemate versati non sunt, ut videant, nihil hic sumi, quod a veritate sit alienum, nec præcipi cognitionem, quæ quomodo acquiri possit non docuerimus. Patet vero hinc etiam ratio, cur nobis curæ fuerit, ut immensitatis, inscrutabilitatis & incomprehensibilitatis notiones distinctas dederimus, easque demonstraverimus, cum nos omnia, quæ de Deo demonstrantur, referamus ad praxin officiorum erga Deum, quorum nullum sine agnitione Dei, prouti debetur & Deo placet, præstari potest (§. 1.). Dolendum itaque est, distinctas notiones immensitatis, inscrutabilitatis & incomprehensibilitatis vulgo adeo parum curari, immo prorsus contemni. Quamvis enim fieri non possit, ut notiones adeo adæquatas consequamur, quæ ad plenariam comprehensionem sufficiunt, ut

pote limites intellectus nostri excedentem; necesse tamen est, ut immensitas, inscrutabilitas & incomprehensibilitas perfectionum divinarum aliquo modo intelligibilis efficiatur, nec omnia relinquantur ignorantiæ ex non usu facultatum profectæ. Non ignota loquor iis, qui in systemate nostro Theologiæ naturalis, quantum satis est, versati sunt, & eo modo istas qualitates & magnitudinem perfectionum divinarum consideratione rerum in hoc universo agnoscere studuerunt, quem supra docuimus: ne tamen ceteris demus sine mente sonos, unico saltem exemplo ea, quæ diximus, illustrare lubet. Multi sumunt admiranda sapientia constructum esse corpus nostrum, quia capere nequeunt, quomodo tam artificiosa fabrica inveniri potuerit, ac ideo sapientiam Dei immensam & incomprehensibilem pronunciant. Ast hi revera sapientiam extollunt propter *ignorantiam* suam, admirationis matrem. Enimvero si quis non modo cognoscit structuram corporis humani, quam docet anatomicus, verum etiam inquirit in usum singularum partium, quem in peculiari Tractatu idiomate patrio conscripto, exposuimus & in perfectionem corporis humani inde resultantem, vi notionis in jure naturæ expositæ (§. 317. 323. 330. 335. *part. 1. Jur. nat.*); is intelliget, quanta sapientia constructum sit corpus humanum, & hanc ipsam sapientiam esse immensam, inscrutabilem & nobis prorsus incomprehensibilem. Quo magis itaque proficimus in hac *cognitione*, eo majoris quoque Deum faciemus & magnificatio Numinis nobis reddetur familiaris, atque hinc orietur reverentia adversus Deum vera & infucata. Hinc vero simul intelligitur, quam necessarium sit, ut ad agnitionem Dei a priori ex systemate acquisitam accedat agnitio a posteriori consideratione rerum in hoc universo obtinenda, nec rerum naturalium cognitionem servire soli curiositati, quemadmodum multi sibi persuadent, sed naturam rerum esse librum, in quo Deus sese homini revelavit, quinam sit, ut

ipsum

ipsum tanquam Deum vera reverentia colamus. Qua de causa ipse quoque liber scripturæ nos remittit ad librum naturæ, ut uterque conjungendus, neuter vero ab altero separandus sit.

§. 364.

Laus divina dicitur oratio, qua nostrum de perfectione divina judicium significamus. Quamobrem *qui Deum laudare vult, perfectionem ejus agnoscere debet*, consequenter cum Deus produxerit hunc mundum, ut nobis patefaceret perfectionem suam absolute summam (§. 608. *part. 1. Theol. nat.*) & hoc universum sapientia sua (§. 902. *part. 1. Theol. nat.*) & bonitate gubernet (§. 903. *part. 1. Theol. nat.*), *ad laudem divinam quoque pertinet enarratio operum divinorum & eorum, quæ Deus creaturis omnibus providens* (§. 925. *part. 1. Theol. nat.*) *facit in hoc universo.* *Laus divina in quo consistat.*

Laus, quam hominibus tribuimus, oratio est, qua nostrum de perfectione alterius judicium significamus (§. 541. *part. 1. Jur. nat.*): immo qui rem quamcunque laudat, suum de ejus perfectione judicium verbis prodit. Quamobrem si Deum landare velimus, perfectiones, quas eidem tribuimus, recensere & quales sint verbis exponere debemus. Perfectionis propriæ nobis sumus conscii: aliorum vero perfectiones, si eas excipias, quæ corporis sunt & in oculos incurrunt, nobis non innotescunt nisi per facta, quæ inde dependent. Ac ideo laus, quam alteri tribuimus, non modo consistit in recensione perfectionum, quas ipsi inesse putamus, verum etiam in enarratione illorum, quæ facit. Et factorum enarratio præcipua laus est, cum simul contineat veritatem, quoniam ex factis colliguntur perfectiones alterius. Perfectiones divinas cognoscimus quidem a priori sola via demonstrationis, si ex notione entis pefectissimi dedu-

deducantur ea, quæ Deo attributa, quemadmodum patet ex parte secunda Theologiæ naturalis; sed facilior est & ad plurium palatum composita agnitio perfectionum divinarum, quando a posteriori procedit demonstratio, ut ostendatur dari autorem hujus universi & ex notione Dei tanquam autoris hujus universi deducantur ea, quæ de Deo cognoscuntur, quemadmodum fecimus in parte prima Theologiæ naturalis. Immo cum etiam hæ demonstrationes non sint ad captum omnium, ideo plerique consideratione eorum, quæ in mundo sunt atque fiunt, ad agnitionem perfectionum divinarum deducendi, sicuti docuimus supra capite primo. Et qui Deum agnoverunt via demonstrationis, hac ipsa consideratione scientiam suam confirmare ac illustriorem facere debent (§. 1131. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem patet, si Deum laudare velimus, non modo recensendas esse perfectiones ipsius, verum etiam enarranda esse, quæ fecit ac facit in hoc universo. Exempla laudum divinarum occurrunt in Psalmis, quæ admittere tenetur etjam qui scripturæ divinam autoritatem in dubium vocat, ut hic ad ea provocare liceat, quamvis non progrediamur ultra ea, quæ lumine rationis nobis innotescunt.

§. 365.

Materia laudis divinæ a nobis ipsis petenda. Quoniam ad laudem divinam pertinet enarratio operum divinorum & eorum, quæ Deus creaturis omnibus providens facit in hoc universo (§. 364.), Deum vero agnoscere quoque debemus ex nobis ipsis (§. 135. *part. 1. Jur. nat.*); *materiam laudis divinæ inprimis præbent ea, quæ Deus nobis providens fecit*, consequenter *non modo expendenda sunt bona, quæ nobis Deus*, quem etiam creatorem nostrum agnoscere debemus (§. 782. *part. 1. Theol. nat.*), atque conservatorem (§. 843. 857. *part. 1. Theol. nat.*), *quoad corpus & animam dedit per utriusque naturam, verum etiam considerandum*

dum est, quænam nobis vi providentiæ suæ bona contulerit, mala averterit & in bonum finem direxerit (§. 932. & *seqq. part.* 1. *Theol. nat.*) *attributis suis convenienter.*

Amplissimam laudum divinarum materiam homini præbet consideratio sui ipsius, modo se statumque suum & fatorum suorum nexum agnoscere studeat. Quo magis proficit in hac cognitione, eo amplior quoque emergit laudum divinarum materia. Diximus modo (*not.* §. 364.), exempla laudum divinarum occurrere in Psalmis: hæc ipsa vero exempla nos docent, quomodo materiam laudis præbeat consideratio sui ipsius. Idem quoque elucet ex hymno Beatæ Virginis, qui more veteri ecclesiastico *Magnificat* dici solet a verbo, quo incipit. Quodsi enim attente eum consideres, genuinam laudis divinæ formam exsculpere inde non erit difficile. Agnoscere hoc tenetur etiam qui scripturæ, quam sacram dicimus, divinam autoritatem tribuere non vult, modo rationis usum non ejuret, nec præjudicatis opinionibus occœcatus videre nolit, quæ manifesta sunt. Sed uberior horum explicatio ad Theologiam moralem pertinet. Quoniam vero agnitio Dei ex se ipso etiam facit ad alia officia Deo debita rite præstanda, de ea plura dicenda erunt in sequentibus. Immo utilissimam operam sumeret, qui ex instituto doceret, quomodo Deus ex nobis ipsis sit agnoscendus. Et ad hunc laborem pro dignitate exantlandum facient, quæ suo loco indicaturi sumus, & quæ in Theologia naturali & alibi passim occasione sic ferente demonstravimus, vel saltem observavimus. Ne igitur Deo laudem, quam debemus, denegemus, in cognitione ipsius ex nobismet ipsis segnes esse minime debemus.

§. 366.

Similiter quia Deum laudaturus enarrare debet opera divina & ea, quæ Deus creaturis omnibus providens facit *De referendis omnibus*

ad Deum tanquam causam primam. facit in hoc universo (§. 364.), Deus vero causa prima est omnium eorum, quæ in mundo sunt atque contingunt (§. 1120. *part. 1. Theol. nat.*); *qui Deum laudare vult omnia, quæ in mundo sunt atque contingunt, ad Deum tanquam causam primam referre tenetur.*

Patet id denuo ex laudibus divinis, quæ in Psalmis continentur, idemque docet hymnus B. Virginis, de quo modo diximus (*not.* §. 365.). Et in tota scriptura omnia, quæ in rerum natura sunt atque contingunt, ad Deum tanquam causam primam referuntur, & corpora totaque rerum natura voluntatem Dei exequi dicuntur, quemadmodum quoque ex principiis rationis a nobis demonstratum est (§. 969. *part. 1. Theol. nat.*). In causas secundas inquirit Physicus, ut scientiam rerum naturalium acquirat in usus suos convertendam. Ast in earum actionibus non repetitur ratio sufficiens, cur existant & nunc sic non aliter agant (§. 90. *Cosmol.*), sed ea demum deprehenditur in Deo (§. 67. *part. 1. Theol. nat.*), causa rerum omnium prima (§. 1120. *part. 1. Theol. nat.*). Physicus, qui causas secundas scrutatur, saltem agnoscit, cur causa secunda per essentiam atque naturam suam apta fuerit ad sic, non aliter operandum, & quomodo per concursum aliarum determinata fuerit, ut actu ageret. Quando vero rerum naturalium consideratione incitari debemus ad pietatem & laudem divinam, non subsistendum est in causis secundis, sed ascendendum ad Deum, causam primam, fini per creationem a Deo intento ultimo convenienter (§. 629. *part. 1. Theol. nat.*). Absonum itaque est, si Antiscripturarii rident scripturam effectus naturæ Deo tanquam causæ tribuentem, quoniam in Physica foret absurdum, ut, si quis rationem reddere debet eorum, quæ in mundo fiunt, veluti cur pluat, Deum pluere dicat, vel cur gramina crescant, Deum producere gramina affirmet, & hunc morem omnia, quæ natura agit, tribu-

tribuendi Deo Hebræis proprium fuisse cum *Spinosa* putant propter ignorantiam rerum naturalium. Ne vero illusioni causam dent, qui scripturæ autoritatem divinam defendunt, sibi caveant, ne contendant in scriptura sacra tradi scientiam physicam, quasi eo fine exarata fuerit, ut rerum naturalium cognitionem inde hauriamus, & ne hypotheses suas physicas, quarum commenta dies prodit, in eandem inferant & verbis scripturæ aptent. Ceterum ne referendo omnia, quæ in mundo contingunt, ad Deum tanquam causam primam, Deo imputemus, quæ attributis ipsius adversatur; probe observanda sunt, quæ de concursu Dei non modo ad actiones creaturarum in genere (§. 881. *part.* 1. *Theol. nat.*), verum etiam ad actiones malas hominis in specie (§. 883. *& seqq. part.* 1. *Theol. nat.*) demonstrata sunt. Observandum hoc quoque est in interpretatione locorum nonnullorum scripturæ, in quibus ad Deum referuntur actiones malæ hominum propter concursum suum ad eadem & directionem earundem ad certos fines, ne fingamus dogmata gloriæ divinæ adversa. Quamobrem cautione opus est, ne ad inscrutabilitatem decretorum divinorum referamus falsas de Deo opiniones.

§. 367.

De animo laudandi Deum.

Quoniam qui Deum laudat, verbis significare intendit, quidnam de perfectionibus divinis statuat, & eo fine opera divina & quæ Deus creaturis omnibus providens in hoc universo facit enarrat (§. 364.); *commemoratio perfectionum divinarum laus est, si fiat eo animo, ut commemorans patefaciat suum de perfectione divina judicium*, consequenter *qui Deum laudat, habere debet animum laudandi Deum.*

Aliud est docere alios perfectiones divinas, aliud eas commemorare, ut sint incitamentum laudandi Deum, aliud vero laudare Deum. Qui alios docet perfectiones divinas, pri-

mario intendit, ut alios ad agnitionem Dei adducat, etsi porro per hanc agnitionem intendat laudem Dei, quam tunc promovere studet ut scilicet etiam alii Deum laudent. Qui commemorat perfectiones divinas, ut sint incitamentum laudandi Deum, primario intendit, ut alii ad laudem Dei permoveantur. At qui Deum laudat, intendit, ut ipse Deo debitum officium præstet. Exempla occurrunt in scriptura sacra, quæ diversitatem intentionis perfectiones Dei & ea, ex quibus ista colliguntur, commemorantium aperte loquuntur, ut intelligatur quandonam in commemoratione consistat laus Dei, & quod hæc requirat animum laudandi. Non est, quod excipias, si quis quesitus, quid credat de Deo, perfectiones divinas commemorat & ea, quæ Deus creaturis omnibus providens facit in hoc mundo; commemorationem istam esse confessionem fidei, non vero laudem *Dei*, consequenter laudem Dei non recte definiri per orationem, qua nostrum de perfectione Dei judicium significamus, sed definitionem esse angustiorem suo definito. Etenim tum commemoratio perfectionum divinarum est responsio ad quæstionem alterius, qui confessionem urget. Atque tunc manifestum est, abesse animum laudandi Deum, utut proferantur verba, quæ ad laudem Dei faciunt, quamvis nec absurdum sit, ut ipsa quoque confessio contineat laudem Dei, quemadmodum laudare dicimur eum, cujus virtutes vel intellectuales, vel morales commemoramus, dum *respondemus* ad quæstionem alterius, quid de ipso sentiamus.

§. 368.

Quod laus divina ad reverentiam adversus Deum pertineat.

Laus divina pertinet ad reverentiam adversus Deum. Etenim qui Deum laudat, verbis significat suum de perfectione Dei summa judicium, & eo fine commemorat opera divina & ea, quæ Deus creaturis omnibus providens facit in hoc universo (§. 364.), ut nimirum hinc intelligatur, se non temere de Deo ita sentire. Quoniam itaque

que hinc intelligitur, quanti faciat Deum (§. 839. *part. 1. Jur. nat.*), quando vero verbis declaramus magnificationem Dei, eundem reveremur (§. 1182. *part. 1. Jur. nat.*); laus divina pertinet ad reverentiam adverſus Deum.

Laudamus Deum tam verbis ad ipſum directis, quam ad homines. In caſu priori manifeſtum eſt, nos aliud non intendere, quam ut ipſi Deo, cui loquimur, declaremus, quanti ipſum faciamus & cur magnifaciamus. Deus enim, cum ſe ipſum intime cognoſcat (§. 14. *part. 1. Theol. nat.*), non opus habet, ut ipſum doceámus, quænam ipſi perfectiones competant & quomodo eas factis ſuis prodiderit. Allud igitur nobis propoſitum eſſe nequit, quam ut reverentiam ipſi exhibeamus (§. 364.). Enimvero ſi Deum laudantes verba dirigimus ad homines, his declaramus, quanti Deum faciamus, & per conſequens quod eidem reverentiam, quam debemus, exhibeamus, ut ideo perinde ſit, ſive aliis præſentibus & audientibus verba dirigantur ad Deum, ſive ad ipſos, quoniam certi ſumus, Deum non minus audire verba noſtra, & inſpicere animum, quo proferuntur, ſi ea dirigantur ad alios, quam ſi ad ipſum. Quatenus vero verba ad alios dirigimus, exemplo noſtro eos ſimul incitare volumus ad reverentiam Deo exhibendam. Quamvis enim cum laude hominis non ſemper conjuncta ſit reverentia, quia non quælibet laus nititur præcellentia ſupra nos; in Deo tamen hic caſus nunquam obtinet, qui, a quocunque tandem laudetur, ob perfectiones laudatur, quibus ipſum non antecedit, ſed infinito intervallo poſt ſe relinquit. Quoniam vocabulum reverentiæ de officio erga Deum animo præſentem ſiſtit ideam reverentiæ adverſus hominem; facile contingit, ut ex hac de illa ſtatuamus non ſolum quoad ea, in quibus ſibi invicem aſſimilantur, verum etiam quoad alia, in quibus differunt. Atque idcirco contingit, ut quæ alias ſatis manifeſta forent, in dubitationem adducantur.

tur. Quod vero hic de reverentia adversus Deum monemus, idem quoque observatur in aliis.

§. 369.

Quod Deum reverens rebus & personis omnibus anteferre debet.

Qui Deum revereri vult, eum rebus omnibus atque hominibus anteferre debet, seu majoris facere, quam res & personas omnes. Etenim homo Deum maximi facere debet, consequenter majoris, quam res omnes aut personas quascunque idque actibus externis quibuscunque significare (§. 1181. *par t. 1. Jur. nat.*). Enimvero actibus externis declarat magnificationem Dei, qui eum reveretur (§. 1182. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem qui Deum revereri vult, eum majoris facere debet, quam res omnes & personas quascunque, consequenter eum rebus omnibus atque hominibus quibuscunque anteferre.

Reverentia adversus Deum supponit magnificationem (§. 362.); magnificatio autem oritur ex agnitione magnitudinis perfectionis divinæ. Magnitudo perfectionum divinarum agnoscitur, si eas ad perfectiones non modo hominum nobis cognitas, sed etiam eas referimus, quas concipere possumus. Atque ita convincimur, nullum ens concipi posse, quod Deo æquiparetur, nedum perfectione ipsum antecedat, quin potius quantamcunque entis finiti perfectionem esse infinite parvam respectu divinæ, ideoque huic prorsus incomparabilem. Quodsi ergo reverentia adversus Deum vera esse debet (vera autem non est, nisi quæ ex agnitione vera nascitur); fieri non potest, ut qui Deum reveretur Deum non præferat rebus omnibus & personis quibuscunque. Et hac de causa reverentia quoque adversus Deum maxima est, nec ulli homini major, quam Deo exhibenda, immo nequidem æqualis, seu eadem, quæ Deo. Qui eandem reverentiam homini exhibet, quam Deo exhibet; hominem Deo æquiparat, & honorem soli Deo debitum homini tribuit: quæ idololatriæ quædam species est (§. 1258. *part. 1. Jur.*

Jur. nat.). Qui majorem reverentiam homini exhibet, quam Deo, honorem suum Deo aufert & eundem homini tribuit: id quod quavis idololatria turpius. Sed de hisce disertius dicendum inferius, quando de idololatria ex instituto dicemus. Hoc tamen non obstante, facillime contingit, ut hominibus major reverentia exhibeatur, quam Deo. Quamvis enim hac idololatria nihil absurdius cogitari possit, ea tamen non agnoscitur deficiente agnitione magnitudinis perfectionum divinarum, quæ nobis continuo ante oculos obversari debet, si Deum revereri velimus, nobisque cavere, ne plus revereamur homines, quam Deum.

§. 370.

Quoniam qui Deum reveretur, eum majoris facere debet, quam res omnes & personas quascunque (§. 369.); *si quæ vocabula fuerint inventa, vel quædam verborum complexiones, quibus denotatur præcellentia divina, iisdem recte utimur ad reverentiam Deo exhibendam, nec de homine ullo usurpari debent.* *De reverentia Deo exhibenda.*

Deus est sanctissimus, ita ut sanctitatem divina majorem concipere non detur (§. 1065. *part. 1. Theol. nat.*). In hoc igitur sensu, quo vocabulnm accipitur in Theologia (§. 1063. *part. 1. Theol. nat.*), nemo hominum sanctissimus appellari potest. Quamobrem cum inter Christianos receptum sit, ut eodem denotetur præcellentia Dei; ad exhibendum reverentiam Deo debitam recte adhibetur, nec admittitur ejus usus ad exhibendam reverentiam summis in Rep. potestatibus. Quamvis enim earum persona dicatur sancta alio prorsus sensu, nimirum quatenus denotat inviolabilitatem personæ, quam ipsa salus publica exigit (§. 546. *Jur. Gent.*), & quam ipse Deus lege naturæ tuetur (§. 1066. *part. 8. Jur. nat.*), atque in hoc significatu non repugnaret, personam quoque Regis dici sanctissimam; cum tamen significatus theologicus communior sit, quam politicus, ad quem

vix

vix ullus animum inter nos attendit, quando sanctissimum dici audit, ideo non inconsultum fuit, ut vocabulum reservaretur soli Deo, quamvis *Cicero* virum sanctissimum quoque appellet hominem, ob mores perfectissimos & vitæ integritatem. Et vitandæ confusionis causa in idiomate Germanico personam Regis non sanctam Heilig, sed sanctificatam eine geheiligte Person dicimus: posterius enim aliter explicari nequit nisi per inviolabilitatem personæ Regis ab ipso Deo legis naturæ autore Regibus tributam. Similiter quando ad Deum verba dirigentes dicimus: Nemo tibi æqualis est, aut similis in cœlis atque in terra; hac complexione verborum denotatur præcellentia soli Deo propria, nec ea ad exhibendam reverentiam Regibus usurpari potest, absque violatione Majestatis dicinæ. Apud Hebræos *Jehovah* est nomen Dei proprium, quod ad reverentiam ulli hominum exhibendam ne quidem per translationem usurpare licet. Quoniam tamen vocabula ex communi sermone ad denotandum ea, quæ de Deo agnoscuntur, transferuntur, præter verborum complexiones non facile reperiuntur vocabula, quibus præcellentia Deo propria significatur, ut potius de Deo humano more loquentes antropomorphismum subtilem cavere debeamus, quam ut verendum sit, ne vocabulum aliquod Deo soli vindicatum usurpetur de ente alio non Deo. Et reverentiam verbis Deo exhibituri ut utamur vocabulis, quibus perfectiones ipsius earundemque magnitudo significantur, consultius est, quam aliis, quæ honorum titulis respondent, cum sic minus verendum, ne vana sit Numinis reverentia, qualis civilis plerumque esse solet, immo per rerum humanarum conditionem aliter esse nequit, quæ ad titulos & præcedentiam restricta. Ad reverentiam itaque adversus Deum præferenda sunt verba, quæ ad laudem divinam faciunt, cum Deum in veritate revereri debeamus. Qui Deum agnovit, facile videt, quænam laus soli Deo conveniat, nec ulli hominum, multo minus rei alii tribui possit.

§. 371.

§. 371.

Si Deum vultu, gestu ac voce revereri velimus, necesse est ut consideratione perfectionum divinarum, vel eorum, de quibus in Deum cultu, præsenti cogitandum, concitentur affectus. Quando enim Deum vultu, gestu ac voce revereri volumus vultu, gestu ac voce, hisce significare volumus, quanti faciamus Deum ob perfectiones suas (§. 361). Enimvero quando affectus naturaliter erumpunt, vultus quoque, gestus atque vox sua sponte eidem obediunt, nec nostra demum voluntate determinantur (§. 611. *Psych. empir.*). Quamobrem si Deum vultu, gestu ac voce revereri velimus, necesse est ut consideratione perfectionum divinarum, vel eorum, de quibus in præsenti cogitandum, affectus concitentur.

Quomodo Deum gestu & voce revereri possimus.

Cum Deum nonnisi in veritate revereri possimus, omnis autem vana reverentia nulla sit (*not.* §. 362.), reverentia autem supponat magnificationem Dei (§. 362.), ac ideo in veritate nequeat Deo exhiberi, nisi magnitudinem perfectionum divinarum agnoscamus (§. 360.); quandocunque Deum revereri volumus, necesse est, ut perfectionum divinarum quarundam, vel nonnullorum, quæ Deus fecit, cogitatio animum subeat. Ad illa igitur attenti cum affectu commoveamur, ipsa natura vultum, gestum ac vocem determinat, ut de his solliciti esse minime teneamur. Quamobrem si Deum vultu, gestu ac voce rite revereri velimus; opera saltem danda est, ut eundem in veritate revereri discamus. Ast quoniam Deum in veritate revereri negligunt homines, inanem operam in fingendo vultu, gestu, ac voce sumunt, cum hinc non prodeat nisi reverentia vana, ut in ipso vultu, gestu atque voce appareat affectatio, qualis est pomposæ pietatis cultoribus. Accedit quod, cum reverentia Deo semper sit exhibenda, quotiescunque actiones nostræ ipsum respiciunt, non semper iisdem affectibus,

qui in actiones influere debent, sit locus, consequenter nec idem semper vultus, idem gestus, eadem vox conveniat reverentiæ adversus Deum. Atque ideo contingit, ut vultus & gestus affectatus, vox etiam affectata contradicat affectui, cui in præsenti locus esse poterat, & conveniat alii, qui locum habere nequit. Quamobrem reverentia, quæ aliis exemplo esse debebat, exosa est, cum affectatio inconsulta eidem odium afflet.

§. 372.

Qualia esse debeant facta, quibus Deum reveremur.

Facta, quibus Deum reveremur, significare debent præcellentiam ipsius. Etenim reverentia consistit in honore, quem verbis & factis illis exhibemus, qui aliqua in re nos antecedunt (*not.* §. 360.), & cum reverentia *divina* sit declaratio actibus externis facta, quanti Deum faciamus (§. 1182. *part.* 1. *Jur. nat.*), nos vero Deum maximi facere debeamus (§. 1181. *part.* 1. *Jur. nat.*), reverentia Dei declarare debemus, quod pro certo habemus Deum perfectione sua res omnes & personas quascunque antecedere. Enimvero cum hoc modo declaretur præcellentia Dei; facta, quibus Deum reveremur, significare debent præcellentiam ipsius.

Patet itaque, unde desumenda sit ratio determinatrix factorum, quæ reverentiæ adversus Deum conveniunt. Præcellentia Dei requirit in homine submissum animum (§. 302.). Quare reverentiæ maxime conveniunt actus submisso animo respondentes. Diximus ante (*not.* §. 361.), actus hosce respondere ceremoniis, quorum significatus, sicuti verborum arbitrarius est (§. 451. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Enimvero dantur etiam ceremoniæ aptæ (§. 483. *ppart.* 2. *Phil. pract. univ.*), ac convenientes (§. 485. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), & his potissimum comparantur facta, quibus Deum reve-

revereamur. Cumque geſtus & vultus ſua ſponte reverentiam comitantur, quam in veritate Deo exhibemus (*not.* §. 371.); determinatio factorum nullo modo contrariari debet iis, quæ naturaliter erumpunt. Quemadmodum vero in ceremoniarum receptarum uſu, tum etiam in ceremoniis in uſum ſuum excogitandis, multum regnat uniuscujuscunque arbitrium; ita quoque idem tenendum de factis, quibus Deum revereri volumus. Vide quæ ſupra jam annotavimus (*not.* §. 361.).

§. 373.

Quando mente venerabunda Deo obediamus.

Mente venerabunda Deo obedire dicitur, qui obedientia ſua ſignificare intendit, quod Deum dominum ſuum, ſe ſervum ipſius agnoſcat. Quoniam Deus eſt dominus noſter (§. 966. *part.* 1. *Theol. nat.*), nos ſumus ſervi ipſius (§. 968. *part.* 1. *Theol. nat.*), & vi dominii Deo competit jus diſponendi de actionibus noſtris pro arbitrio (§. 959. *part.* 1. *Theol. nat.*), nos vero actiones liberas non noſtro arbitratu, ſed quemadmodum vult Deus determinare debemus (§. 970. *part.* 1. *Theol. nat.*), & homo tam verbis, quam factis teſtari debet, ſe attributa divina agnoſcere (§. 1147. *part.* 1. *Jur. nat.*); *voluntatem* quoque *ſuam voluntati divinæ conformare debet*, conſequenter *eidem obedire* (§. 1164. *part.* 1. *Jur. nat.*), *ut obedientia ſua ſignificet, ſe agnoſcere Deum dominum ſuum, ſe ſervum ipſius.* Patet igitur, *nos Deo venerabunda mente obedire debere.*

Oſtendimus jam ſuperius, ſine agnitione dominii Deo competentis obedientiam debitam non concipi (§. 185.). Quilibet autem in ſe ipſo experiri poteſt, quam diverſus ſit animus, ſi Deo venerabunda mente obedimus, quam ſi ſepoſita conſideratione dominii divini & ſubjectionis noſtræ faciamus quod vult. Relegenda vero hic ſunt, quæ

jam supra, cum de obedientia Deo debita ageremus, demonstravimus & annotavimus (§. 182. & *seqq.*).

§. 374.

De reverentia Deo exhibita obediendo.

Si Deo mente venerabunda obedimus, reverentiam ei debitam exhibemus. Etenim si Deo mente venerabunda obedimus, obedientia nostra significamus, nos Deum agnoscere dominum nostrum, nos servos ipsius (§. 373.). Quamobrem cum Deus sit dominus noster (§. 966. *part.* 1. *Theol. nat.*), nos simus servi ipsius (§. 968. *part.* 1. *Theol. nat.*); obedientia nostra significamus, nos majestatem divinam, seu dignitatem, qua nos antecedit, agnoscere, ideoque eum magnifacere (§. 839. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quoniam itaque magnificationis declaratio actibus externis facta reverentia est (§. 1182. *part.* 1. *Jur. nat.*); si Deo mente venerabunda obedimus, reverentiam ipsi debitam exhibemus.

Venerabunda mente obedire Deo veverentia summa est. Et actus ceteri, qui non saltem opinione hominum excogitantur ad significandum reverentiam, quatenus naturales magis sunt, sua veluti sponte hinc consequuntur. Quamobrem Deo maxime placet, si venerabunda mente ipsi obediendo ipsum revereamur: actus ceteri, quibus magnificationis significatum imposuit arbitrium humanum, magis incitamento sunt aliis, quos exemplo nostro ad reverentiam Numinis permovere debemus. Et si fiant hac intentione, ad obedientiam Deo præstandam referuntur (§. 639. *part* 1. *Jur. nat.*), & Deo placent.

§. 375.

De influxu reverentiæ

Quoniam reverentiam Deo exhibemus, si mente venerabunda eidem obedimus (§. 374.), virtutes autem ceteræ

ceteræ omnes absque obedientia Deo debita defectu quodam laborant, nec perfectæ sunt (§. 192.), & obedientia mente venerabunda præstanda (§. 374.); *reverentia adversus Deum in virtutes omnes, & singulas hominis actiones liberas influere debet.* *adversus Deum in virtutem omnem & singulas actiones liberas.*

Qui Deum reverentur mente venerabunda sese obedientem præbendo, cum sensu Majestatis divinæ agit, quicquid agit. Atque hoc ipso sensu non modo impellimur ad obedientiam Deo præstandam; verum etiam voluntas obediendi efficitur magis constans, & inobedientiæ turpitudo intimius agnoscitur, quatenus eidem inesse intelligimus violationem Majestatis divinæ reverenter habendæ. Ad turpitudinem vitiorum agnoscendam plurimum facit officiorum erga Deum in virtutem ipsis oppositorum influxus, ut etiam hoc nomine in eodem agnoscendo industriam nostram defatigare debeamus. De reverentia adversus Deum nimis abjecte sentiunt, qui eam in istiusmodi actibus consistere sibi persuadent, quibus reverentiam exhibemus hominibus, dignitate nos antecedentibus, aut aliis quibusdam hisce geminis, quibus humanum ingenium magnificationis significatum imposuit. Cumque reverentia adversus Deum in virtutem omnem influere debeat; hinc quoque intelligimus, ad genuinam virtutem plura requiri, quam vulgo existimatur.

§. 376.

Quoniam reverentia adversus Deum in singulas hominis actiones liberas influere debet (§. 375.), influit autem si mente venerabunda Deo obediamus (§. 374.), consequenter obedientia nostra significare intendamus, quod Deum dominum nostrum, nos servos ipsius esse agnoscamus (§. 373.); *Qui Deum omnibus actionibus suis revereri vult, majestatis ejus semper memor esse debet.* *Cur Deum reverens majestatis ipsius semper memor esse debeat.*

Memores sumus majestatis divinæ, si supremum jus in creaturas omnes & nos ipsos ante oculos versatur, ac ideo pro certo habemus, majestati divinæ adversari & hominem dedecere, si committat actiones voluntati divinæ contrarias. Decet nimirum hominem actiones suas referre ad Deum tanquam dominum suum, quem obedientia colere debet. Hæc satis manifesta sunt ex iis, quæ modo uberius exposita sunt, ut plura addere superfluum foret.

§. 377.

Omnipræsentiæ divinæ consideratio ad reverentiam Deo exhibendam requisita.

Qui Deo reverentiam debitam exhibere vult, in cogitatione omnipræsentiæ divinæ defixus esse debet. Etenim reverentia Dei in omnes nostras actiones influere debet (§. 375.), ideoque Dei semper memores esse debemus (§. 376.). Quamobrem cum Dei memores simus, si eum consideremus tanquam præsentem, ubicunque fuerimus, & quoniam omnipræsens est (§. 1055. *part. 1. Theol. nat.*), eo ipso quoque honorem debitum exhibeamus, si facere pudeat quod voluntati ipsius adversum in præsentia ipsius (§. 538. *part. 1. Jur. nat.*); Qui Deo reverentiam debitam exhibere vult, in cogitatione omnipræsentiæ divinæ defixus esse debet.

Nulla est reverentia liberorum adversus parentes, qui præsentibus parentibus facere non erubescunt, quæ ab *ipsis fieri* nolunt. Ecquis est, qui non existimet, repugnare reverentia adversus superiores, si præsentibus ipsis facere non vereamur, quæ prohibent, immo quæ parum decent? Deus semper nobis præsens est, nec quicquam facere possumus, nisi ipso præsente. Quamobrem cum reverentiam ipsi exhibeamus, si mente venerabunda eidem obediamus (§. 374.); a nulla actione nostra cogitatio omnipræsentiæ divinæ abesse debet. Ea igitur animo nostro tam firmiter infigenda, ut Deus invisibilis ante oculos nostros ubivis adstare videatur: id quod

quod obtinetur, si de omnipræsentia divina persuasissimi eam continuo mente volvamus & revolvamus, ut memoria nunquam elabatur. In quovis igitur angulo revereri debemus Deum præsentem. Deus cum sit invisibilis, nonnisi diuturna meditatione menti visibilis ubique efficitur. Plurimum ad hoc conducit, si modum, quo Deus præsens est rebus omnibus in hoc universo (§. 1046. *& seqq. part.* 1. *Theol. nat.*); perpendamus, ut præsentiam Dei in re omni perspiciamus (§. 1051. *part.* 1. *Theol. nat*). Non sine difficultate concipimus omnipræsentiam Dei, qui totus simul præsens est rebus (§. 1057. *part.* 1. *Theol. nat.*) & quamvis localiter præsens esse nequeat (§. 1042 *part.* 1. *Theol. nat.*), est tamen ut in loco omni (§. 1052. *part.* 1. *Theol. nat.*). Tolerandum vero est in infirmioribus, si rationi omnipræsentiæ divinæ admisceant aliquid imaginarii ex notione confusa præsentiæ rerum materialium (§. 99.) & ubi contradictionibus implicari sibi videntur, incomprehensibilitatem omnipræsentiæ divinæ agnoscant.

§. 378.

De usu imaginum ad promovendam reverentiam Dei.

Quoniam qui Deo reverentiam debitam exhibere vult, in cogitatione omnipræsentiæ divinæ defixus esse debet (§. 377.), quamvis vero Deus invisibilis sit (§. 89. *part.* 1. *Theol. nat.*), nec aliqua imago ejus pingi, nec sculpi possit (§. 90. *part.* 1. *Theol. nat.*), ejus tamen per figuras hieroglyphicas repræsentatio legi naturæ non repugnat, immo eadem lege nobis jus datur ad Dei per figuras hieroglyphicas repræsentationem, ubi imagine istiusmodi in memoriam nobis revocamus attributa quædam divina, quorum meminisse debemus officiorum erga ipsum præstandorum gratia (§. 1263. *part.* 1. *Jur. nat.*); *imaginum usus, quibus conservatur memoria omnipræsentiæ Dei, & Deus ante oculos nobis sistitur, licitus est.*

Turpi-

Turpiter errant iconomachi, qui omnem imaginum usum ad dolotolatriam promiscue referunt. Dandum non modo est aliquid infirmitati humanæ; verum etiam in mediis, quibus praxin officiorum erga Deum promovemus, habenda est ratio naturæ humanæ, cui conveniens est, ut omnes mutationes a sensatione originem ducant (§. 64. *Psych. rat.*). Optandum itaque foret, ut quilibet in conclavi suo haberet imaginem Numinis, quæ ipsi Dei præsentiam in memoriam revocaret, quemadmodum qui Christo nomen dedimus utimur imagine Christi crucifixi, ut constantem conservemus memoriam ipsius.

§. 379.

De influxu timoris filialis in reverentiam versus Deum.

Timor Dei filialis influit in reverentiam adversus Deum. Etenim timor Dei filialis hominem impellit ad obedientiam Deo debitam, eandemque facilitat (§. 326.). Quamobrem cum Deo reverentiam debitam exhibeamus, si mente venerabunda ipsi obediamus (§. 374.), mente autem venerabunda obedire debeamus (§. 373.); timor Dei filialis influit in reverentiam adversus Deum.

Cum Deus velit, ut ipsum maximi faciamus (§. 1181. *part.* 1. *Jur. nat.*) & ad reverentiam adversus se nos obliget (§. 1183. *part. 1. Jur. nat.*), timor vero filialis consistat in sollicitudine animi nil faciendi, quod voluntati Numinis adversum (§. 1177. *part. 1 Jur. nat.*); ipse timor filialis nobis inspirat studium magnificationis Dei atque reverentiæ adversus ipsum, & studio huic detrahit molestiam, immo ipsum delectabile facit. Atque sic in reverentiam adversus Deum non tantum influit per modum motivi, sed & per modum medii.

§. 380.

De influxu amoris in reverentiam.

Quoniam timor Dei filialis influit in reverentiam adversus Deum (§. 379.), timor autem filialis ex amore Dei

Dei proficiſcitur (§. 317.) & ex eo incrementum capit (§. 318.); *amor* quoque *Dei in reverentiam adverſus ipſum influit.* Idem etiam inde patet, quod amor Dei ſuper omnia naſcatur ex agnitione ſummitatis perfectionum (§. 221.), cujus conſideratione etiam gignitur reverentia (§. 362.). Amor nimirum Dei cum ſic accedat ad reverentiam, affectus autem jucundi, quibus pro datis circumſtantiis locus eſt, ardorem agendi intendant (§. 243. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *amor* quoque *Dei ardorem reverentiam Deo exhibendi inflammat.*

Fieri haud quaquam poteſt, quin Deum ſuper omnia amans eundem maximi faciat, cum agnoſcat, Deum perfectione ſua ſumma creaturas omnes antecellere. Quoniam itaque cum amore Dei indiviſſo nexu cohæret dilectio & in hanc ut omnem facultatum uſum impendamus efficit (§. 243.); non contenti ſumus, ut Deum magnifaciamus, ſed id ipſum quoque verbis atque factis ſignificare ſtudemus, ſicque ab amore dependet reverentia (§. 1182. *part. 1. Jur. nat.*). Immo experimur etiam, ſi amore complacentiæ, qualis eſt amor Dei (§. 1171. *part. 1. Jur. nat.*), complectamur hominem ob præcellentiam, hoc ipſo amore nos duci ad reverentiam eidem exhibendam, atque hunc ipſum amorem parere ſollicitudinem inquirendi, quomodo ſignificare valeamus, quanti eum faciamus.

§. 381.

An magnificatio Dei ſit virtus a reverentia diſtincta. *Magnificatio Dei non eſt virtus a reverentia diſtincta, ſed ad hanc pertinet.* Etenim cum reverentia actibus externis declaremus magnificationem Dei (§. 1182. *part. 1. Jur. nat.*); Deum revereri nequit, niſi qui eundem magnificat. Quamobrem cum, quicquid tandem agimus, omnem impendere debeamus facultatum uſum, quem habere poſſunt (§. 302. *part.*

part. 1. *Jur. nat.*); actus interni ab externis separari nequeunt, cumque virtutes sint habitus morales (§. 277.), ideoque ad facultatem appetendi & aversandi, voluntatem inprimis & noluntatem referantur (§. 276. *part.* 1. *Jur. nat.*), actus externi moralitatem suam habent a volitionibus & nolitionibus per actus intellectus determinatis *part.* 1 *Phil. pract. univ.*). Reverentia igitur adversus Deum virtus non est, nisi quatenus magnificationem continet, consequenter magnificatio non est virtus distincta a reverentia, sed ad hanc pertinet.

Diximus jam superius, reverentiam adversus Deum sine magnificatione esse vanam (*not.* §. 362.). Quemadmodum enim sine anima non concipitur homo, cum solum corpus humanum non faciat hominem, sed cum anima unitum; ita quoque reverentia adversus Deum concipi nequit sine magnificatione, nec sine ea virtus est, quoniam externi actus, qui signa esse debent internorum, significativi non sunt, nisi adsint interni, quos significare debent. Obtinet hoc in omni virtutum genere, ut actus externi conjungendi sint cum internis, ne virtutis saltem speciem mentiantur, nec in hisce quicquam difficultatis apparet. Ast quia in reverentia erga Deum actus interni peculiari quodam nomine insigniuntur, & in lege naturæ sigillatim demonstretur, nos Deum maximi facere debere (§. 481. *part.* 1. *Jur. nat.*) & eidem reverentiam exhibendam esse (§. 1183. *part.* 1. *Jur. nat.*); duo diversa nomina, magnificatio & reverentia, non satis attentis imponunt, quasi sint duæ diversæ virtutes, quarum una absque altera esse possit, cum tamen conjunctim non constituant nisi unam eandemque virtutem. Quamobrem ostendimus quod, qui Deum revereri vult, ante operam dare debeat, ut eum magnificiat (§. 362.), & medium reverentiæ esse ostendimus agnitionem magnitudinis perfectionum divinarum (§. 360.), qua nititur magnificatio (§. 1181. *part.* 1. *Jur. nat.*).

§. 382.

§. 382.

Animum submissum dicimus, qui propterea in venerationem alterius propendet, quod quis eum superiorem, se inferiorem agnoscit. Atque ideo *significamus animum submissum oculorum, vocis & genuum flexorum submissione, aliisque actibus externis, quibus partes quædam corporis versus humum inclinantur*, veluti cum caput demittimus, aut truncum corporis incurvamus. *De animo submisso.*

Oritur submissus animus, si agnoscamus alterum esse superiorem, nos inferiores, modo non adsint causæ aliæ, quæ id impediunt. Justam enim habet venerationem, quod excellit, & ad eam ducit ratio, cui quamdiu obsequimur, animus in venerationem propendet. Naturæ humanæ maxime conveniens est, ut, quod excellere agnoscimus, veneremur. Quamdiu itaque veritati litamus, fieri haud quaquam potest, ut, si quem superiorem, nos inferiores agnoscimus, eum non veneremur. Ast nimis multa sunt, quæ animum in transversum agunt, quando homines venerari debemus, & de quibus dicendum erit disertius suo loco. Eadem vero locum minime habent in veneratione Numinis, cujus tanta est excellentia, ut nemo sese ulla in re æqualem, nedum superiorem existimare possit, quamque Deo invidere nemo potest, quia creaturæ nulli communicabilis.

§. 383.

Reverentia erga Deum requirit animum submissum. Etenim qui Deum revereri vult, eum majoris facere debet, quam res & personas omnes (§. 369.), consequenter etiam quam seipsum. Necesse igitur est, ut agnoscat, quantum Deus omni perfectione se antecedat (§. 839. *part. 1. Jur. nat.*), quantum etiam dignitate, cum ipse sit totius universi (§. 965. *part. 1. Theol. nat.*), ac in specie hominum dominus *Quod ad reverentiam adversus Deum requiratur.*

 (§. 966.

(§. 966. *part. 1. Theol. nat.*), homines autem sint servi ipsius (§. 968. *part. 1. Theol. nat.)*, ideoque Deum dominum suum, se servum Dei esse agnoscere teneatur. Quoniam itaque animum submissum habemus, si in venerationem Dei propendet, propterea quod Deum superiorem, nos longe inferiores agnoscimus (§. 382.); reverentia erga Deum requirit animum submissum.

Propositionis hujus veritas adeo perstringit oculos, ut nemo eandem in dubium vocare possit. Patet hoc ex actibus externis, qui ad reverentiam adversus Deum nemine invito referuntur, & iidem prorsus sunt, quibus submissio animi significatur, cum singulis quædam submissio insit, quæ in oculos incurrit (§. 382.). Reverentiam *enim adversus* Deum testamur oculorum, vocis & genuum flexorum submissione, qua significatur animi submissio. Dantur equidem etiam actus alii, quibus magnificationis significatum tribuerunt homines; sed hoc minime obstat, quo minus animi submissio ad reverentiam requiratur, cum aliæ adhuc sint rationes, cur istiusmodi actus ad magnificationem significandam adhibeantur, quatenus excellentia absolute spectatur, non præcise cum relatione ad nos. Accedit, quod in imponendo significatu actibus externis regnet arbitrium hominum, quod diversis regitur opinionibus, ut, quemadmodum non omnia nomina rebus suis conveniunt, ita quoque actus omnes externi non æque apti sint ad significandum internos, quos ex instituto significant.

§. 384.

De ignorantia magnitudinis perfectionum divinarum, &

Si quis perfectionum divinarum magnitudinem non perspicit, aut ejusdem non convictus, vel persuasissimus fuerit; reverentiam adversus Deum negligit, aut saltem in vana subsistit. Etenim qui Deum revereri vult, magnitudinem perfectionum divina-

vinarum agnoscere (§. 360.), consequenter eandem perspicere, & quod revera Deo competant tantæ perfectiones convictus, aut saltem persuasissimus esse debet. Quamobrem si quis perfectionum divinarum magnitudinem non perspicit, aut ejusdem non convictus, vel persuasissimus fuerit, nec fieri potest, ut Deum in veritate revereatur. Reverentiam igitur adversus Deum aut negligit, aut si actibus externis adsuetus fuerit, quibus magnificatio Dei significari solet, cum vana sit sine magnificatione Dei reverentia (*not.* §. 362.), in vana saltem subsistit. *defectu certitudinis reverentiæ impedimento.*

Reverentia adversus Deum ut plurimum, si non prorsus vana est, magno tamen defectu laborat & tantopere negligitur, quod præcellentia divina non satis agnoscatur. Requiritur autem ad agnitionem præcellentiæ divinæ, ut habeamus notiones perfectionum divinarum & magnitudinis earundem, & certi simus, Deo competere istas perfectiones easque tantas esse, quantæ dicuntur. Alias enim dici nequit, nos hoc agnoscere, cum saltem noverimus quid dicant alii, aut prorsus non intelligamus, quid dicatur. Tenenda hæc sunt de cognitione omni, quæ ad praxin moralem requiritur.

§. 385.

Quoniam reverentia adversus Deum negligitur, aut saltem in vana subsistitur, nisi perfectionum divinarum magnitudinem perspiciamus, & ejusdem si non convicti, saltem persuasissimi simus (§. 384.); *ad revereutiam Deo in veritate exhibendam requiritur, ut animo insinuentur notiones distinctæ perfectionum divinarum, & earundem magnitudo intelligibilis & comparatione cum nostris quodammodo palpabilis efficiatur, & vel veritatis convincantur ad convincendum apti, vel ejusdem* *Quomodo impedimentum istud tollatur.*

saltem satis persuadeantur, qui hebetiores sunt, quam ut convinci possint, vel impatientes, ut convinci nolint.

Quoties ignorantia, vel defectus certitudinis impedimento est, quo minus faciamus, quod est officii nostri; impedimentum tollitur, si notiones distinctas eorum, quæ ignoramus, acquiramus (§. 27. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & veritatis convincamur (§. 982. *Log.*), aut minimum persuadeamur (§. 1001. *Log.*). Veræ adversus Deum reverentiæ plurimum præjudicatur, quod distinctæ attributorum divinorum notiones animis hominum non insinuentur, ut vocabula ab hominibus ad Deum translata propemodum sint sine mente sonus; quod perfectiones divinæ non comparentur cum humanis, a quibus ad illas significandas mutuantur nomina, ut intelligatur, quantum excellat *Deus* & quam immenso intervallo hominem quemcunque post se relinquat, consequenter quantum Deus sit superior, quantum nos simus inferiores; quod denique nulla detur opera, ut memoriæ perfectionum divinarum & magnitudinis earundem adhæreat sensus certitudinis, nonnisi convictione, aut firma persuasione obtinendus. Turpe autem omnino est, si qui convictionis capax fuerit, demonstrationes nauseat, quibus eam consequimur, præsertim si patientiam suam in rebus aliis cognoscendis defatigare nullus dubitat. Faciunt ne huic impedimento locus sit, quæ supra *ad removenda* impedimenta agnitionis Dei præcepimus. Quamvis vero consultum sit, ut actibus externis ad reverentiam Deo exhibendam requisitis adsuescant homines a prima ætate, cum Deum magnifacere nondum possint, quemadmodum debent, ob imbecillitatem judicii; judicio tamen crescente, tempestive observanda sunt ea, quæ modo præcepimus, quantum per ætatem permittitur. Usui hic in praxi sunt, quæ de modo notiones distinctas perfectionum divinarum ex distinctis notionibus eorum, quæ animæ nostræ insunt

insunt derivandi demonstravimus in systemate (§. 1095. *part. 1. Theol. nat.*): ita enim non modo intelligibilia efficiuntur attributa divina, sed & differentia inter ea, quorum homo capax est, atque attributa divina innotescit, ut Dei praecellentia agnoscatur, quam agnoscere tenetur qui Deum in veritate revereri debet. Quodsi jam porro perpendantur, quae in superioribus de Deo consideratione hujus universi agnoscendo docuimus, non amplius latebunt argumenta ad persuadendum idonea.

§. 386.

Quosnam pudeat reverentiæ adversus Deum.

Qui sibi persuadet atheos acumine præstare & gloriam affectat; eum reverentiæ adversus Deum pudet. Qui enim sibi persuadet atheos acumine præstare, si vero gloriam affectat, similiter acumine præstans aliis videri vult (§. 366. *part. 2. Eth.*) laudis hujus cupidus (§. 541. *part. 1. Jur. nat.* & §. 387. *part. 2. Eth.*); is aliis videri vult perspicere, quod falsa sit hominum de Deo opinio. Quamobrem cum ideo sibi porro persuadeat, si reverentiam Deo exhibere velit, fore ut perspicaciores ipsum nimis simplicem ac credulum esse judicent, hac vero opinione pudor concitetur (§. 374. *part. 1. Eth.*); reverentiæ adversus Deum eum pudet.

Dudum invaluit mos, ut athei acumine præstare videantur. Cumque profano hoc seculo ex atheismi professione gloria quæratur & athei Deum colentes publice traducere non erubescant; plurimi proh dolor! atheismum affectant, ne derideantur, quamvis nulla subsit ratio cur ea, quæ de Deo didicerunt, in dubitationem adducant, multo minus cur negent. Quamobrem contingit, ut pudeat reverentiæ adversus Deum, quasi ea non conveniat nisi plebi imperitæ, quæ facile quidvis sibi persuadere patitur. Profanitate itaque indies invalescente reverentia adversus Deum

um non solum vilescit, sed prorsus in contemtum adducitur, immo ludibrio exponitur. Turpe igitur est inter Christianos reperiri homines tam perversæ indolis, cum apud Turcas reverentia Dei sancta habeatur, quemadmodum haud ita pridem me percepisse memini a nonnemine, qui cultui ipsorum divino interfuit curiositatis non improbandæ causa.

§. 387.

Quomodo impedimentum istud tollatur.

Quoniam reverentia adversus Deum pudet eum, qui gloriam affectans sibi persuadet atheos acumine præstare (§. 386.), falsum vero est, atheum acumine singulari excellere, qui potius defectum acuminis in stabilienda & defendenda hypothesi impia, & in impugnanda contraria prodit (§. 84. & *seqq.*) & pudor extinguitur, si cui persuaseris, *ipsum* per errorem factum suum pro malo, aut minus recto habere, vel alios ad quorum judicium factum referendum, secus sentire (§. 474. *part. 2. Eth.*); *si qui gloriam affectans sibi persuadet atheos acumine præstare, ac propterea reverentiæ adversus Deum ipsum pudet, ostendendi sunt defectus acuminis, quos athei produnt in hypothesi impia stabilienda & defendenda & contraria impugnanda, simulque inculcandum, gloriam non esse nisi laudem bonorum & peritorum, seu bene judicantium, quibus athei perperam accenseantur.*

Nihil hic præcipitur, quod non præstari possit ab eo, qui in philosophia nostra versatus est. Quemadmodum enim veritates omnes, quas in singulis disciplinis demonstravimus, non modo ita inter se cohærent, ut aliæ ex aliis demonstrari possint, verum in praxin tandem influunt omnes & ad praxin quoque moralem inprimis nos aptos faciunt; ita quoque in præsenti nihil præcipi animadvertet, quod in potestate sua non sit, qui ea, quæ a nobis tradita sunt, in succum & sanguinem, quod dicitur, convertit. Quæ ad retun-

retundendam inscitiam atheorum faciunt, patent tum per ea, quæ supra docuimus (§. 84. & *seqq.*), tum per illa, quæ de atheismo ex instituto agentes satis prolixe demonstravimus (§. 511. & *seqq. part. 2. Theol. nat.*). Et ut iis rite uti in rem præsentem possimus Logica docet modum, quo id fieri possit, & ut præcepta ejus observare valeamus, intellectus cum ceteris facultatibus ipsi inservientibus perficiendus est eo modo, quem explicavimus (§. 12. & *seqq. part. 1. Eth.*), virtutibusque intellectualibus studendum, quæ quomodo acquirantur, satis ostendimus (§. 142. & *seqq. part. 1. Eth.*). Utile inprimis est, ut acumen & vis omnis intellectus ad demonstrandum doctrinam de Deo & agnitionem ejus consideratione hujus universi acquirendam requisita conferatur cum prætenso acumine atheorum, ut quantum hoc ab illo deficiat manifestum fiat. Quodsi dicas, nimis ardua esse, quæ hic requiruntur, ut non immerito ad ea referantur, quæ impossibilia sunt; perpendas velim, ea tam ardua videri, si eo ipso momento, quo legis, quæ in præsente propositione præcipiuntur, huic labori par fieri velis: id quod perinde est, ac si infanti, ut uno die adolescat, omnem cibum ac potum una ingerere velis, quo per omne tempus indiget, antequam ad justam staturam excreverit. Si veritatem eorum in te volueris experiri, necesse est ut ob ovo incipiens singulas disciplinas eo ordine, quo in systemate nostro sibi invicem succedunt, & ea industria pertractes, quam ad utilem librorum inprimis dogmaticorum lectionem requirimus (§. 902. & *seqq. Log.*). Non tantum operæ consumendum foret in hoc studio, quantum impendere solent qui litteris operam navant, si ad talia præstanda adspirares, quæ tam ardua tibi videntur, ut difficultas eorum usum impossibilem faciat. Nolumus jam provocare ad exempla nobis nota, neque enim desunt passim etiam in oris exteris, qui se veritatem illorum expertos esse mihi ultro significarunt, ne videar laudi meæ litare, dum alio-

rum utilitati studeo. Præjudicata vero, ne dicam, quod res est, absurda plane opinio est, quasi gloria dependeat a judicio hominum, qui fastu importuno sibi arrogant, quod minime habent (§. 583. *part. 1. Jur. nat.*) & vana superbia se supra alios efferunt (§. 888. *part. 1. Jur. nat.*). Horum judicium contemnendum, non reverendum, & ab istiusmodi hominibus contemni vera laus est. Immo si fieri posset ut propter reverentiam adversus Deum ab omnibus contemneremur; nobis abunde sufficere poterat judicium Dei, quo reverentiam sui ab ipso præceptam (§. 1183. *part. 1. Jur. nat.*) probari certum est. Præstat igitur gloria apud Deum, quam apud homines, præsertim male sentientes, aut prorsus improbos.

§. 388.

De opinione, quod Deus parum curet res humanas.

Qui sibi persuadent Deum parum curare res humanas; reverentiam adversus Deum negligunt. Qui enim sibi persuadet, Deum parum curare res humanas; sibi quoque persuadet, Deum parum curare reverentiam ab hominibus ipsi exhibitam. Quoniam itaque reverentiam adversus Deum superfluam ac inutilem judicat, inanem vero operam nemo sciens sumit; reverentiam adversus Deum negligit, qui sibi persuadet, Deum parum curare res humanas (§. 750. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Deistarum hæc opinio est, quod Deus parum curet res humanas (§. 529. *part. 2. Theol. nat.*). Quodsi quis sibi persuadeat, Deistas acumine præstare, ac ideo errori ipsorum subscribit, aut eundem affectat; neglectus reverentiæ adversus Deum eidem causæ adscribendus cum, quam modo notavimus in iis, quos reverentiæ pudet ob prætensum acumen atheorum (§. 386.). De hoc igitur in præsenti nobis sermo non est: loquimur jam nonnisi de eo, qui ex falsa

falsa deistarum opinione per se sequitur, quemadmodum ex demonstratione propositionis præsentis satis apparet. Negat deista omnem providentiam divinam (§. 529. *part.* 2. *Theol. nat.*), ac ideo perinde esse existimat Deo, quicquid homo agat. Ast possunt quoque aliæ esse rationes, cur quis existimet, Deum non curare hominis erga se officia, aut in specie reverentiam sibi exhibendam non urgere. Quamobrem ut intelligamus, quomodo neglectus reverentiæ in casu præsenti sit tollendus, ad opinionem, a qua ortum suum deducit, animus attendendus.

§. 389.

Quoniam reverentia adversus Deum negligitur, si quis sibi persuadet, Deum parum curare res humanas (§. 388. providentia vero Dei sese extendit ad omnia, quæ sunt ac fiunt in hoc universo, nec quicquam judicari debet adeo abjectum, ad quod sese non extendat providentia divina (§. 925. *part.* 1. *Theol. nat.*); *si quis reverentiam adversus Deum negligit, quod sibi persuadet, Deum parum curare res humanas, ostendendum ipsi est, quænam sit Dei de directione actionum humanarum voluntas* (§. 905. & *seqq. part.* 1. *Theol. nat.*), *quod hac Deus intendat directionem ad perfectionem totius universi* (§. 920. *part.* 1. *Theol. nat.*), *quæ consistit in aptitudine manifestandi gloriam ipsius* (§. 673. *part.* 1. *Theol. nat.*), *fini ultimo, propter quem hunc mundum condidit, convenienter* (§. 629. *part.* 1. *Theol. nat.*); *quod ea, quæ sunt exigui usus nostro judicio, consequenter pro rebus vilibus atque abjectis habentur, talia non sint judicio Dei* (§. 947. *part* 1. *Theol. nat.*).

Quomodo impedimentum istud sit tollendum.

Nec Deum, nec mundum, neque mundi a Deo dependentiam norunt, qui sibi persuadent, curam rerum vilium & abjectarum nostro judicio Deum dedecere, & iis annumerant actio-

actiones hominum. Unde opinio ista providentiæ tam adversa ortum suum trahat, alias jam monuimus, nimirum quod de Deo ex nobis statuamus (*not.* §. 925. *part.* 1. *Theol. nat.*). Nos pretium rebus decernimus ex utilitate, quam nobis præstant: ast Deus de re quacunque statuit ex relatione ad totum universum, consequenter ex eo, quod vi nexus rerum confert ad perfectionem totius universi. Nostrum ideo judicium ex alio prorsus fonte fluit, quam judicium Dei, & propterea non est quod miremur, Dei judicium a nostro toto coelo differre. Haud vero difficile intelligitur, fieri haudquaquam posse, ut judicium Dei assequamur. Plurimum autem refert, ut actionum humanarum bonitatem & malitiam intrinsecam penitus cognoscamus & perspiciamus, ut appareat quomodo tendant ad perfectionem nostram, quæ a Deo præcipiuntur, & perfectio hæc *insit perfectioni* totius universi, & utraque praxin officiorum erga Deum ac per consequens ipsam quoque reverentiam Majestatis divinæ urgeat. Nihil in his deprehendet, quod captu difficile sit, si quis in Philosophia nostra fuerit versatus, & dictis fidem facile habebit, qui novit quomodo assensus successive generetur (§. 993. *Log.*) & systema nostrum philosophiæ hac methodo esse adornatum, ut assensus successive nasci possit, ne dubia videantur, quæ certa sunt.

§. 390.

Opinio de inutilitate reverentiæ adversus Deum.

Qui sibi persuadent actus externos, quibus reverentiam Deo exhibemus, inutiles esse; eam Deo exhibere negligunt. Qui sibi persuadent actus externos, quibus reverentiam Deo exhibemus, inutiles esse; ex omniscientia Dei hoc inferunt & definitione reverentiæ adversus Deum. Nimirum cum Deus ab æterno præsciverit omnes hominis cujuslibet cogitationes (§. 234. 528. *part. 1. Theol. nat.*), consequenter etiam, quanti ipsum quilibet homo faciat; non opus esse sibi

ſibi perſuadet, ut id demum actibus externis ipſi declaretur. Quamobrem cum reverentia declaremus actibus externis, quanti Deum faciamus (§. 1182. *part. 1. Jur. nat.*); id præter omnem neceſſitatem fieri, ideoque actus iſtos prorſus inutiles eſſe putant, quoniam longe aliter ſeſe res habeat, ſi hominibus reverentiam exhibemus, quia nemo hominum noſſe poteſt, quanti faciamus ipſum, niſi actibus externis hoc ſignificemus. Reverentiam igitur Deo exhibere negligunt.

Qui ita ſentiunt, reverentiam Dei a magnificatione ſeparant, hanc ſolam ſufficere reſpectu Dei arbitrantes, qui actus internos animæ perinde videt, ac nos videmus aliorum actus externos; aſt reſpectu hominum eandem neceſſario ad magnificationem accedere, quod nemini in animum alterius proſpectus pateat. Habet hæc opinio veritatis quandam ſpeciem, qua deluſus facile non malo animo in neglectum reverentiæ adverſus Deum incidit.

§. 391.

Quomodo impedimentum iſtud tollatur.

Quoniam qui ſibi perſuadet actus externos, quibus reverentia Deo exhibetur, inutiles eſſe eam exhibere negligit (§. 390.), cum vero in omnes actiones noſtras omnium facultatum uſum impendere debeamus, quem facere poſſumus (§. 302. *part. 1. Jur. nat.*), ratio iſta ſufficiens non eſt, cur reverentia erga Deum omittenda, quod Deus norit actus internos, in quibus magnificatio conſiſtit, nec demum opus ſit, ut iidem externis declarentur; ideo *qui opinione inutilitatis actuum externorum ad ſignificandum magnificationem Dei reverentiam adverſus ipſum negligit, convincendus eſt obligationis ad faciendum omnium facultatum uſum in agendo* (§. 302. *part. 1. Jur. nat.*), *& nexus ejusdem cum obligatione ad recte agendum*

 (*not.*

(not. §. cit. & §. 189. part. 1. Phil. pract univ.), & praeterea convincendus quoque est erroris sui de inutilitate actuum externorum, cum faciant ad exemplum aliis praebendum (§. 930. part. 1. Jur. nat.), & influxum magnificationis Dei in actionem praesentem, ad quam accedere debet, conservent atque promoveant, quemadmodum quilibet in seipso experiri potest.

Actûs externi, quibus reverentia Deo exhibetur, considerandi sunt tum respectu Dei, tum respectu nostri & hominum aliorum. Respectu Dei urgenda est obligatio veniens a lege naturae, quam nobis Deus actionum liberarum normam constituit (§. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*); respectu autem nostri & aliorum hominum actuum externorum utilitas. Homo constat anima & corpore ac ideo actio humana componitur ex actibus internis atque *externis*, & ad eandem concurrere debet omnium facultatum usus consentiens, ita ut, si actio recta esse debeat, nihil in ea desideretur ex parte intellectus & voluntatis atque noluntatis, consequenter etiam facultatum animae inferiorum (§. 90. *& seqq. part. 1. Phil. pract. univ. &* §. 14. *part. 2. Eth.*), & facultatis locomotivae (§. 79. 81. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Cum homo totus Dei sit, qua animam & qua corpus (§. 966. *part. 1. Theol. nat.*), totus quoque eidem servire, & tam anima, quam corpore ipsum tanquam dominum suum magnifacere ac revereri debet. Perfectionem *humanam*, ad quam dirigendae sunt omnes actiones nostrae voluntate Dei (§. 905. *part. 1. Theol. nat.*), legi naturae convenienter (§. 152. *part. 1. Phil. pract. univ.*), non satis perspicit, qui actus externos ab internis separari unquam in actione humana posse putat: immo ne satis intelligit harmoniam inter animam & corpus. Perfectio hominis consistit in aptitudine repraesentandi perfectionem Dei summam (§. 917. *part. 1. Theol. nat.*), & sic ad perfectionem mundi accedit (§. 673. *part. 1. Theol. nat.*), quae est medium,

quo finis, quem Deus per existentiam mundi intendit, obtinetur (§. 607. *part. 1. Theol. nat.*). Et ideo Deus quoque vult, ut homo actiones suas, quarum determinatio libertati ejus relicta est, ad perfectionem totius universi dirigat (§. 920. *part. 1. Theol. nat.*). Non video, cur absurdum dici possit, si hoc respectu actibus externis, quibus magnificatio Dei declaratur, etiam utilitas quædam tribuatur respectu Dei. Sublimior hæc philosophia est, quam non capiunt omnes, capere tamen poterant, si rationis lumine in Deo agnoscendo uti velint. Nihil enim hic asseritur, quod non a nobis in Theologia naturali fuerit demonstratum. Relegenda quoque sunt, quæ superius de directione actionum humanarum ad finem totius universi & harmonia earundem atque actionum naturæ demonstravimus (§. 118. & *sqq.*). Perpendant hoc velim, qui de inutilitate actuum externorum ad significandum magnificationem Dei respectu Dei judicium deproperant, præsertim si sibi acutiores ceteris videantur & acumine suo delectari partum immaturum amore impotente depereant. Facilior autem captu est utilitas respectu sui ipsius & facillima respectu aliorum. Utilitas respectu aliorum statim in oculos incurrit, si consideremus, exemplo alios doceri magnificationem Dei & ad eandem incitari (§. 639. *part. 1. Jur. Jur. nat.*), ac idem præsidium esse adversus irreverentiam, si reverentiæ pretium pro merito statuatur, quemadmodum docet exemplum Turcarum, quod ex ipsorum conventibus in æde sacra omnem arcet irreverentiam (*not.* §. 386.). Dum vero exemplo nostro incitamus alios ad reverentiam & irreverentiam arcemus, utilitas inde in nosmetipsos redundat, quatenus in nobis reverentia conservatur, dum eam in aliis intuemur, nec eidem contraria in oculos incurrentia cogitationem a magnificatione Dei avertunt. Quamvis vero hoc modo jam elucescat etjam utilitas respectu nostri; datur tamen quoque utilitas seposito omni respectu ad alios attendenda. Nimirum cum reveren-

reverentia a magnificatione separari minime debeat (§. 362.); si Deum in veritate revereri adsuevimus, cum actus, quibus reverentia Deo exhibetur, in sensus incurrant, a quibus omnes dependent mutationes in anima contingentes (§. 64. *Psych. rat.*), hisce actibus conservantur interni, quibus magnificatio Dei absolvitur, & attentio ad eos convertitur. Sed plura huc spectantia dicenda erunt, quando de precibus acturi sumus. Vide quæ jam alias de iisdem, quatenus invocationi Numinis & gratiarum actioni mentali contradistingvuntur, annotavimus (*not.* §. 1223. *part.* I. *Jur. nat.*).

§. 392.

De irreverentia. Reverentiæ opponitur *Irreverentia*, quæ privative sumta denotat absentiam reverentiæ; positive autem sumta actus externos reverentiæ & magnificationi contrarios, consequenter si quis verbis, vultu, gestu, voce aut factis prodit, se Deum non magnificare, aut ejus præcellentiam parum curare. Quoniam irreverentia tam privative, quam positive accipitur, & reverentiæ opponitur; *ex iis, quæ de reverentia dicta sunt, intelligitur, quales sint actus tam privativi, quam positivi, ad irreverentiam referendi*, cum inde pateat, quinam omitti non debeant, & quinam ipsis contrarientur.

Non igitur opus est, ut de irreverentia multa dicamus, ne præter necessitatem simus prolixiores, ea proferentes, quæ unusquisque per se assequitur, quando de iis quæstio incidit, qui novit, quæ de reverentia adversus Deum demonstrata & uberius explicata fuerunt, præsertim cum in Ethica non doceamus vitia, sed animum saltem adversus ea præmuniamus & iisdem deditos ab iis avocemus. Optimum vero adversus vitia officiis præsertim erga Deum contraria præsidium ipsa virtus est. Cavendum saltem, ne, si irreveren-

verentiam privative spectemus, omnem defectum reverentiæ ad gradum præsertim sublimiorem magnificationis Dei referendum, statim irreverentiæ imputemus.

§. 393.

Quoniam irreverentia denotat absentiam reverentiæ, aut actus externos reverentiæ adversus Deum & magnificationi ejus prorsus contrarios (§. 392.), reverentia vero adversus Deum *lege naturali* præcipitur (§. 1183. *part. 1. Jur. nat.*); *irreverentia* eadem lege *prohibita* (§. 722. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter cum habitus actiones suas contraria ratione dirigendi, quam lege naturæ præscribitur, vitium sit (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*), *irreverentia vitium est.* *An irreverentia vitium sit.*

Qui irreverentiam, præsertim privative sumtam, vitium esse non agnoscunt, propterea quod existimant, Dei parum interesse, utrum reverentiam ipsi exhibeamus, nec ne; erroris sui redarguuntur per ea, quæ modo prolixe inculcavimus adversus eos, qui actus externos, quibus reverentia Deo exhibetur, inutiles esse arbitrantur (*not.* §. 391.). Immo iisdem in ruborem dantur, qui existimant, irreverentiam adversus Deum non adeo ingens vitium esse, modo non committamus, quod vergit in comtemtum, aut contumeliam Dei, consequenter quod blasphemiam sapit (§. 1157. *part. 1. Jur. nat.*). Considerandum quoque est, quod adversus omne peccatum urgendum, cum irreverentia a Deo sit prohibita, eam ad inobedientiam referendam esse: haud leve vero vitium est, si Deo domino nostro obedientes nos præbere nolimus.

§. 394.

Reverentiæ adversus Deum contrariatur hypocrisis. Etenim hypocrita actibus saltem externis, præsertim verbis, voce, vul- *De hypocritarum reve-*

rentia adversus Deum, vultu ac gestu simulat, se Deum maximi facere, actus tamen interni, qui per istos significari debent, procul absunt (§. 1161. *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero reverentia adversus Deum conjuncta esse debet cum magnificatione Dei, ac sine hac vana est, quæ speciem saltem ejus mentitur (§. 362.). Reverentiæ igitur adversus Deum contrariatur hypocrisis.

Hypocritarum reverentia vana est: est non ex adverso omnis reverentia vana hypocrisis est. Ad hypocrisin enim requiritur simulatio, quæ supponit animum simulandi, consequenter actionem externam internæ contrariam edendi, ut saltem videri velis te Deum magnifacere, quamvis agnitio præcellentiæ divinæ te non moveat ad magnificationem declarandam. Fieri autem potest, ut quis magnificationem Dei non doctus actibus externis, quibus reverentia Deo exhibetur, adsuefactus fuerit, nec aliter putet, quam in hisce solis veram adversus Deum reverentiam consistere: id quod in vulgo imperito, cujus ignorantia invincibilis, si non tolerandum, saltem excusationem meretur (§. 550. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ubi adfuerit animus reverendi Deum & præcellentiæ quandam notionem, quamvis maxime obscuram, ipsis ingenuerit reverentia, quam hominibus dignitate eminentibus exhiberi norunt. Quorum tamen est erudire alios, hi operam dare debent, ut eos erudiant, quanti *Deus sit* faciendus & quænam præcellentia Dei. Culpa enim, quæ in hos non cadit (§. 717. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ubi negligentes fuerint, in ipsos redundat & propriam adauget (§. 758. 650. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamvis autem hypocrita in genere simulat pietatem (§. 1161. *part. 1. Jur. nat.*); quoniam tamen omnis simulatio ad dissensum actionum externarum ab internis redit (§. 716. *part. 1. Phil. pract. univ.*), hypocritæ potissimum eos actus affectant, quibus reverentia Deo exhibetur, cum his omnium facillime aliis

aliis imponant, præsertim cum paucissimi sint, qui notionem reverentiæ veræ satis distinctam habent, ut vanam cum vera facillime confundant, & longe plurimi pietatem ex sola reverentia adversus Deum æstiment. Quamvis enim Philosophiæ moralis præcipua pars sit, quæ de officiis erga Deum agit; ullibi tamen magis, quam in hac desiderantur notiones distinctæ.

§. 395.

Pietatis pompose cultores reverentiam adversus Deum singularem affectant. Etenim pietatis pomposæ cultores in actibus externis singularitatem quandam affectant, nimirum in vultu, gestu, positu corporis, incessu, voce atque sermone (§. 152.). Quamobrem cum reverentia adversus Deum requirat actus externos, quibus magnificatio Dei declaratur (§. 1182. *part. 1. Jur. nat.*), & Deo exhibetur verbis, vultu, gestu, voce & factis ad significandum præcellentiam receptis (§. 361.), atque ex ea potissimum pietatem colligere soleant homines; pietatis pompose cultores reverentiam adversus Deum singularem affectant.

De affectatione reverentiæ singularis adversus Deum.

Nolumus hic repetere, quæ in superioribus de pietatis pompose cultoribus annotavimus (*not.* §. 152. 153. 154.), cum quæ ad affectatam reverentiam adversus Deum referenda sint facile appareat. Id saltem notamus, quod pietatis pomposæ cultores vultui, voci, gestibus, subinde quoque certis loquendi formulis, quibus reverentiam Deo exhibendam esse statuunt, ita adsuescant, ut veluti in naturam degenerent, ideoque ea semper affectentur, consequenter etiam intempestive, ut affectatio merito accidat molesta, ac propterea contingat, ut a plurimis derideantur, non sine damno reverentiæ adversus Deum, quæ istiusmodi affectatione multis ridi-

ridicula redditur, ut, dum sibi ab ea cavent, hæc prorsus negligatur.

§. 396.

De reverentia adversus Deum superstitiosa.

Superstitiosus fingit actus absurdos, quibus reverentiam Deo exhibere vult. Actiones enim superstitiosi determinantur per erroneas de Deo & providentia divina opiniones quoad ea, quæ homini mala, vel bona evenire possunt (§. 1225. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam igitur in illarum numero etiam sunt actus, quibus reverentia Deo exhibetur; hi non summitati perfectionum ipsi competentium, sed opinionibus erroneis, quas fovet superstitiosus, conveniunt: quæ cum sint absurdæ, superstitiosus quoque actus absurdos fingit, quibus reverentiam Deo exhibere vult.

Cultus idololatricus omni ævo viguit & hodienum viget apud plerasque gentes. Idololatriam vero peperit superstitio. Qui ergo exempla actuum absurdorum desiderat, quos fingunt superstitiosi ad reverentiam Deo exhibendam; animum tantummodo advertere tenetur ad cultum idololatricum sive antiquum, sive modernum inter Gentes obvium. Actus isti sæpe adeo ab omni ratione alieni sunt, ut vix concipi possit, quomodo homines adeo delirare potuerint, ut sibi persuaserint, se hoc modo significare posse, *quanti* faciant idola sua, quæ tanquam Numina venerantur. Ast insaniam istam facile agnoscet, qui veriora de Deo edoctus est.

§. 397.

De reverentia ex metu servili orta.

Reverentia adversus Deum vana est, quæ a metu servili proficiscitur. Etenim si reverentia adversus Deum a metu servili proficiscitur, metu pœnarum extorquetur (§. 1178. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter eo animo exhibetur, ut pœna

pœna evitetur, seu malum, quod metuitur, avertatur (§. 285. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Enimvero reverentia adversus Deum vera non est, nisi qua declaratur magnificatio Dei ob præcellentiam ipsius agnitam (§. 1182. *part.* 1. *Jur. nat.*). Reverentia igitur adversus Deum vana est, quæ a metu servili proficiscitur.

A reverentia magnificationem Dei separat, qui nonnisi metu servili adductus ipsum reveretur. Vana autem est reverentia adversus Deum a magnificatione sejuncta (*not.* §. 362.). Nemo, qui novit quid sit honor, verum honorem dicet, si servus pœnas metuens domino submissione oculorum, vultus, vocis alioque quocunque modo subjectionem suam declarat, quam odit: manifestum enim est, quod faciat hoc invitus, non quod agnoscat, ipsi tanquam superiori deberi honorem.

§. 398.

Quomodo creaturæ irrationales Deum laudare dicantur.

Creaturæ irrationales Deum laudare dicuntur, quatenus perfectiones divinas repræsentant. Etenim creaturæ omnes sunt specula perfectionum divinarum (§. 785. *part.* 1. *Theol. nat.*), ut ex iis, quæ ipsis insunt, colligi possint perfectiones Deo competentes (§. 784. *part.* 1. *Theol. nat.*). Quomodo hoc fieri possit, abunde patet ex iis, quæ de Deo consideratione eorum, quæ sunt in hoc universo, agnoscendo supra prolixe exposuimus. Quoniam itaque creaturæ irrationales nobis patefaciunt perfectiones Dei invisibilis; perinde omnino est ac si eas nobis recenserent. Quamobrem cum in recensione perfectionum divinarum laus divina consistat (§. 364.); creaturæ irrationales Deum laudare dicuntur, quatenus perfectiones divinas repræsentant.

In ſcriptura ſacra creaturæ promiſcue omnes Deum laudare dicuntur, nec inſolens eſt, ut etiam inter nos aves cantu matutino Deum laudare dicantur. Quamobrem ne abſurtum videatur, quod dicit ſcriptura, nec in errorem vulgi deferamur, conſultum duxi, ut oſtendatur, quo ſenſu creaturæ irrationales non inepte dicantur laudare Deum creatorem ſuum. Quodſi nos Deum laudamus, ea recenſemus, quæ nos docent res in hoc univerſo exiſtentes & totus earum complexus, ſeu ſyſtema ex ipſis compoſitum, quod Mundum dicimus. Eædem igitur nos docent, quomodo laudandus ſit Deus docentque indeſinenter, ſive quis adſit, qui docentibus aurem præbet, ſive nullus adfuerit. Immo ſi conſideres, quomodo immenſitatem & inſcrutabilitatem perfectionum divinarum nobis inſinuent, quod laudes doceant nulla humana lingua effabiles fatendum eſt. Anne *igitur* abſurdum eſt, ſi dicam creaturas Deum laudare, quibus magiſtris laudum divinarum utimur, & quarum exemplum imitari debemus actionum humanarum determinatione, ut qua creaturæ rationales una cum ipſis Deum concinamus (*not.* §. 920. *part. 1. Theol. nat.*). Hæc multo evidentiora ſunt & ad captum cujusvis compoſita, quam quæ ab antiquiſſimis temporibus viri ingenioſiſſimi de concentu cœlorum & Muſica cœleſti tradiderunt, & ipſe *Keplerus* in peculiari opere, quod Harmonicam mundi vocat, operoſe admodum ſtabilire anniſus eſt, in hunc finem optimam vitæ *partem ſe* in Aſtronomia impendiſſe ultro confeſſus. Quamvis vero hæc magis ingenioſa quam vera videantur; nemo tamen diſſentientium Muſicam cœleſtem abſurdam dixit. Legi merentur, quæ de ingenioſo hoc invento tradit *Ricciolus* in Almageſto veteri & novo Tom. 2. lib. 9. ſect. 5. Multo minus igitur quæ de laude creaturarum creatorem indeſinenter celebrantium dicuntur pro abſurdis venditari poſſunt, cum non ingenioſa ſaltem commenta ſint, ſed veritati maxime conſentanea. Sane non abſimili tranſlatione corpora in hoc univer-

universo dicuntur obedire Deo & voluntatem ejus exequi, quia cum tota rerum natura agunt propter fines a Deo intentos non secus, ac si ipsamet eos intenderent (§. 661. *part. 1. Theol. nat.*). Ecquis vero absurde hæc dici affirmaverit? Translationes, quæ fiunt ob similitudinem non vagam, sed notione determinata comprehensam & rebus absque ulla immutatione convenientem, quatenus scilicet rei utrique inest, quod notio generalis comprehendit, rigorem veritatis sustinent, & ingenium acutum arguunt, a recto intellectus usu minime sejunctum. Alia longe ratio est, quando vulgus dicit, aves cantu suo matutino laudare Deum, veluti gratias agentes pro vitæ conservatione & damnorum in somno aversione Aliam enim esse rationem istius cantus Physico exploratum est, nec commentum a veritate alienum nisi plebejum ingenium sapit acumine destitutum. Valeat per nos, quantum potest, in commovenda plebe ad laudem Numinis matutinam. Ex nostra autem philosophia proscribitur, quod tribunal rationis horret, cum ad rationis usum homines perducere, non vero ab eodem abducere annitamur. Non inconsultum est, ut attenta mente considerentur, quæ de reductione veritatum ad captum communem demonstravimus & uberius explicavimus, ne quid obscuritatis supersit circa notionem similitudinis ad translationem rationalem requisitam (§. 242. & *seqq. part. 2 Eth.*).

§. 399.

De signo magnificationis Dei & reverentiæ adversus ipsum vera.

Qui æquo animo ferre nequit irreverentiam adversus Deum tam privativam, quam negativam, Deum magni facit & in veritate eundem reveretur, & contra. Etenim qui æquo animo ferre nequit irreverentiam adversus Deum tam privativam, quam negativam, is tædio afficitur, quando videt alios vel Deo reverentiam debitam non exhibere, vel irreverenter sese gerere, quando eundem revereri debebant,

bebant, quod per se patet. Irreverentiam igitur aversatur (§. 156. *part. 2. Eth.*), eademque ipsi displicet (§. 542. *Psych. empir.*). Quamobrem cum ipsi non perinde sit, sive quis revereatur Deum, sive minus, & sive eum magnificiat, sive minus; necesse est ut ipse præcellentiam divinam agnoscens Deum magnificiat & consequenter in veritate revereatur (§. 1182. *part. 1. Jur. nat.*). Qui ergo æquo animo ferre nequit irreverentiam adversus Deum tam privativam, quam negativam, Deum magnificit & ipsemet in veritate eundem reveretur. *Quod erat unum.*

Similiter qui Deum magnificit ideoque in veritate reverentiam eidem exhibet (§. 1182. *part. 1. Jur. nat.*); is agnoscit Deum esse maximi faciendum & reverendum, consequenter irreverentiam tam positivam, quam negativam aversatur. Quoniam itaque molestiam ex irreverentia adversus Deum percipit (§. 156. *part. 2. Eth.*), eaque ipsi displicet (§. 542. *Pych. empir.*), eandem æquo animo non fert. *Quod erat alterum.*

Quod æquo animo videmus, id nullo modo movet appetitum & aversationem, inprimis inferiorem: hinc æquus animus dicitur sedatus, quietus & sine indignatione. Quamobrem nec voluptas, nec molestia ex eo percipitur, *consequenter* nullus in appetitu sensitivo, vel aversatione sensitiva concitatur affectus (§. 606. *Psych. empir.*). Ex adverso itaque si quis animo æquo quidpiam non videt, id vel appetitum, vel aversationem commovet, & pro diversitate circumstantiarum voluptatem, aut molestiam, diversosque affectus concitat. Unde animus non æquus sedatus non est, sed potius inquietus, nec sine indignatione, prouti circumstantiæ præsentes variant. Status uterque animi a posteriori adeo manifestus est, ut tanquam per se notus, sine ulteriori probatio-

batione sumi possit, & huc animum advertimus, quando æquo animo, vel minime æquo quidpiam videri, aut in aliis ferri dicimus. In reverentiam adversus Deum influit amor (§. 380.), ut ideo qui Deum in veritate reveretur, eundem quoque amet. Noto vero notius est, nos æquo animo ferre haud quaquam posse, si debitum honorem denegari videmus ei, quem amamus, multo minus ejus contemtum: ex adverso autem nobis volupe esse, si, quem amamus, ei honor exhibeatur, quem nostra opinione meretur. Habemus itaque signum veræ adversus Deum reverentiæ & magnificationis. Non est quod objicias hypocrisin, qua nobis imponi poterat, & quæ urgeri poterat adversus signa cujuslibet officii erga Deum. Cum enim hypocrisis consistat in simulatione (§. 1161. *part. 1. Jur. nat.*); eandem detegi posse supponimus (§. 853. *& seqq. part. 1. Phil. pract. univ.*). Ad rectum nimirum signorum usum, ne putentur adesse, ubi absunt, requiritur, ut simulationem detegere valeamus: id quod si quis in potestate sua non habet, veritati nullum hinc præjudicium nascitur.

§. 400.

De signo deficientis reverentiæ.

Quoniam æquo animo ferre nequit irreverentiam Dei, qui eum magni facit & in veritate reveretur (§. 399.); *si quis irreverentiam Dei æquo animo fert, aut prorsus delectatur, si qua præcellentiæ divinæ adversa dicantur, vel irreverenter fiant ab aliis, is Deum magni non facit, nec in veritate Deum reveretur.*

Hoc signum minus difficultatis habet, cum nulla metuenda sit simulatio, quæ nobis imponat. Hoc autem modo prodi magnificationis defectum & reverentiam vanam atque affectatam, immo etiam hypocrisin, indies experimur. Ac idem similiter observatur, quando de existimatione ho-

minum quæstio est, quamvis hic etiam intervenire possint affectus, veluti invidia & odium.

§. 401.

De studio irreverentiam evertendi & præcavendi. Similiter quoniam irreverentiam adversus Deum æquo animo ferre nequit, qui eum magni facit (§. 399.), ideoque non sine indignatione eandem videt (*not.* §. *cit.*); *Qui Deum magni facit, quantum in potestate est, irreverentiam evertere studet, atque cavere, ne malo exemplo seducantur alii.*

Effectum hunc magnificationis Dei observamus non modo in iis, qui magnitudinem perfectionum divinarum & præcellentiam Numinis vere agnoscunt, & in veritate ipsum reverentur, verum etiam in hominibus superstitiosis & idololatris, qui errorum suorum persuasissimi ad eandem reverentiam alios cogere volunt, quam ipsi vel vero Deo, vel idolis suis exhibent. Quamvis enim reverentia superstitiosorum & idololatrarum multis modis differre possit ab ea, quam vero Deo magnificationi ejus convenienter exhibemus; ardor tamen animi Deum vel idola venerandi adest, qui arcet simulationem, nec excludit intentionem minime fucatam declarandi, quod Deum, vel quod pro Deo habetur, magni faciat superstitiosus homo, aut idololatra. Ardor autem iste quo major est, qualis plerumque esse solet superstitiosorum & idololatrarum, eo magis quoque incendit studium evertendi irreverentiam ei, quæ putatur, reverentiæ contrariam. Quamobrem nil obstat, quo minus in præsenti ad exemplum ipsorum provocemus.

§. 402.

De neglectu hujus studii. Cum qui Deum magni facit, quantum in potestate est, irreverentiam evertere studeat, atque caveat, ne malo exemplo seducantur alii (§. 401.); *si quis irreverentiam tolerat, quam impedire poterat, aut prorsus facit, quæ ansam dare possunt aliis, ut exemplo malo se addant, Deum nondum tanti facit, quemadmodum debebat.*

Veni-

Veniunt in hunc censum, qui profanas opiniones honori diviño adversas divulgant, ut pluribus, ipsi etiam vulgo imperito, innotescant. Multa enim cautione opus est, immo sæpius impediri nequit, ne aliquid hæreat & scrupulum animo injiciat, qui successive vim capit & reverentiam adversus Deum ab initio languescere facit, tandemque prorsus extingvit.

CAPVT VII.

De Fiducia in Deo & Acquiescentia in providentia divina.

§. 403.

An fiducia in Deo virtus sit.

Fiducia in Deo virtus est. Etenim fiducia in Deo præcepta est lege naturali (§. 1187. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter qui Deo confidit, actiones suas legi naturali conformiter dirigit. Quoniam itaque habitus actiones suas legi naturæ conformiter dirigendi virtus est (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*); fiducia in Deo virtus est.

Equidem fiduciam in Deo per virtutem definivimus (§. 1186. *part. 1. Jur. nat.*); hic tamen ostendendum erat, quod virtus sit, ut appareat, eam per virtutem recte fuisse definitam.

§. 404.

Medium fiduciæ in Deo.

Qui Deo confidere vult, agnoscere tenetur, quod sapientia, bonitate ac prudentia provideat rebus. Certum est, Deum sapientia, bonitate ac potentia providere rebus in hoc universo (§. 928. *part. 1. Theol. nat.*), seu creaturis omnibus ipsique homini (§. 778. & *seqq. part. 1. Theol. nat.*), ita ut providentia ipsius sese extendat ad omnia, quæ sunt & fiunt in hoc universo, nec quicquam judicari debeat tam ab-

jectum, ad quod ſeſe non extendat providentia divina (§. 925. *part 1. Theol. nat.*) & cujus conſervationem & gubernationem non decreverit ab æterno (§. 926. *part. 1. Theol. nat.*). Quodſi ergo homo agnoſcit Deum ſapientia, bonitate atque potentia providere rebus in hoc univerſo, ſibique ipſi, cum Deus omnia in hoc univerſo ſapientiſſime decreverit (§. 645. *part. 1. Theol. nat.*), potentia autem ſua ad actum perducit quæ decrevit (§. 352. *part. 1. Theol. nat.*), & vi bonitatis enti cuicunque tantundem conferat boni, quantum ſalva ſapientia ipſius fieri poteſt (§. 698. *part. 1. Theol. nat.*), nec bonitati ejusdem repugnet, quod hominem in mala ruere ſinat (§. 725. *part. 1. Theol. nat.*), quæ ad bonum finem dirigit (§. 680. *part. 1. Theol. nat.*); nullus dubitat, quod Deus providentia ſua tantundem boni in ſe ſit collaturus, & tantundem mali a ſe averſurus, quantum ſalva ſapientia ipſius fieri poteſt, & ſi qua ipſi obventura ſint mala, in bonum finem eadem ſit directurus, ideoque ſe totum resque ſuas providentiæ divinæ committit. Enimvero Deo confidit, qui meliora ſemper ſperans ſe totum resque ſuas providentiæ divinæ committit (§. 1186. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem qui agnoſcit, Deum ſapientia, bonitate ac potentia providere rebus in hoc univerſo, conſequenter etiam ſibimet ipſi, Deo confidit. Quodſi ergo quis Deo confidere vult, neceſſe eſt ut agnoſcat, ipſum ſapientia, bonitate & potentia providere huic univerſo.

Qui Deo confidere vult, providentiam divinam intime cognitam & perſpectam habere debet. Quo intimius eandem perſpicit, eo major quoque eſt fiducia in Deo. Patet autem ex demonſtratione propoſitionis præſentis arduam eſſe providentiæ agnitionem, ſi nullis dubitationum flucti-

fluctibus immergi debeat unquam animus. Et multo clarius idem adhuc elucescit, si analysin logicam instituamus demonstrationis eorum, ad quæ in demonstratione præsenti provocamus (§. 992. *Log.*). Quoniam vero necesse est, ut animus emergat ex dubitationum fluctibus, nisi fiducia in Deo vacillare debet; ea, quæ de Deo in systemate demonstrantur, cosideratione rerum in hoc universo indies confirmanda sunt, quemadmodum supra docuimus. Quodsi homini confidere velimus, necesse est, ut persuasissimi simus, ipsi perspecta esse media, quibus nobis consulitur eundemque velle ac posse nobis consulere. Ponamus te gravi morbo decumbere. Quodsi non dubites, quin medicus norit, quomodo morbus tolli possit, & quod omnem diligentiam in eo depellendo sit adhibiturus, eidem confidis. Ast si dubites, num opem ferre possit aut num satis circumspectum ac diligentem se præbeat, fiducia aut evanescit penitus, aut saltem languescit. Quamobrem si Deo confidere debes, necesse quoque est, ut pro certo habeas ipsum nosse quæ tibi prodesse ac obesse possunt, eundem serio velle saluti tuæ consulere, ac facere posse, quæcunque voluerit. Quod norit quæ tibi prosunt, quæ obsunt, sapientia ipsius te dubitare non sinit; quod saluti tuæ consulere velit, bonitas ipsius tibi persuadet; quod denique facere possit, quæ vult, potentia ejus te certum esse jubet. Sapientiæ igitur, bonitatis ac potentiæ, qua rebus omnibus, tibique ipsi providet, agnitio fiduciam in ipso parit. Ea de causa continuo meditari debemus providentiam divinam non otiosi spectatores in hoc universo, sed omni sollicitudine animum attendentes ad ea, quæ in mundo fiunt & indies nobis obvia sunt. Inquirendum nimirum, quomodo hinc elucescat sapientia, bonitas atque potentia divina. Neque molesta videri debet hæc inquisitio atque investigatio, cum sapientiæ, bonitatis atque potentiæ divinæ agnitio, quæ ex providentia

undiquaque elucescit, insigni voluptate demulceat animum (§. 511. 516. *Psych. empir.*).

§. 405.

De nexu rerum observando.

Quoniam qui Deo confidere vult, agnoscere tenetur, quod sapientia, bonitate & potentia sua provideat rebus omnibus in hoc universo (§. 404.), Deus autem omnibus rebus providet per earundem nexum (§. 927. *part. 1. Theol. nat.*); *Qui Deo confidere vult, ad nexum rerum in hoc universo animum constanter attendere debet*, consequenter *observare, quomodo res omnes in mundo a se invicem dependeant quoad existentiam.*

Homines plerumque in præsentibus cogitationes suas *terminant*, nec retro respiciunt præterita, a quibus illa *dependent*, ita ut illa ventura non fuissent, nisi hæc præcessissent, multo minus prospiciunt futura, quæ ventura non sunt, nisi præsentia evenissent, nec ubi animadvertunt, se futura prospicere non posse, futura expectant, antequam de præsentibus judicium sibi sumant, cum tamen de eo, quod nobis bonum, vel malum accidit, judicium minime fallax ferri non possit, nisi in relatione præsentium ad præterita & futura, præsertim cum Deus judicans quid sit optimum in se idem referat ad totum universum (§. 393. *part. 1. Theol. nat.*). Quamvis itaque homo quid sit optimum in se, eodem modo, quo *Deus idem* agnoscit, dijudicare nequeat (§. 396. *part. 1. Theol. nat.*); ejus tamen judicium propius accedit ad judicium Dei, si omnia considerentur in nexu rerum, ast longius ab eo recedit, immo contingit idem ab eodem prorsus diffidere, si extra nexum rerum omnia spectentur, cum certum sit, quæ vi nexus rerum quomodocunque in mundo consequuntur, ea voluntati divinæ, consequenter judicio ipsius (§. 316. 318. *part. 1. Theol. nat.*), conformiter fieri, in ea, quam ad se invicem habent, relatione (§. 447. *part. 1. Theol. nat.*).

§. 406.

Mentem a nexu rerum avertere fiduciæ in Deo nocet.

Cum qui Deo confidere vult ad nexum rerum in hoc universo animum constanter attendere debeat, ut videat, quomodo omnia in mundo a se invicem dependeant quoad existentiam (§. 405), consequenter agnoscat, cur præterita præcesserint, præsentia fiant, vel quædam simul contingant; *fiduciæ in Deo adversantur, qui a nexu rerum mentes hominum avertunt.*

Nexus rerum in hoc universo non satis inculcari potest, ne in falsas de providentia divina opiniones incidamus, neque videntes ea, quæ Deo providente in rerum natura fiunt, dubitationem fluctibus immergamur, ne eam, quam debemus, fiduciam Deo habeamus. De hoc nemo dubitare potest, qui sine nexu rerum providentiam divinam intime perspici non posse cognovit (927. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem qui cæcutire, quam eundem agnoscere malunt, abjiciunt medium, quo ad veram fiduciam Deo habendam adduci poterant. Maxime igitur nocet error illorum, qui sibi aliisque persuadere conantur nexum rerum esse fatalem rerum necessitatem, qua omnis providentia tollitur & cæco fato omnia subjiciuntur. Non ignotæ sunt vociferationes quorundam Theologorum Protestantium contra hunc nexum, nec ignotæ sunt vexationes & contumeliæ, per quas me petere iidem non erubuerunt, quod ad recte agnoscendam providentiam divinam & veram in Deo fiduciam firmandam eundem adhibuissem. Agnoscant igitur, quotquot nimium creduli autoritati eorum obnoxiam habent fidem, & a nexu rerum mentem avertunt, propterea quod fati stoici, quod nostra ætas dudum a contemtu absolvit, nomine traducitur, quantum veræ in Deo fiduciæ noceant. Dantur in mundo res simultaneæ, seu coëxistentes (§. 51. *Cosmol.*) & successivæ (§. 52. *Cosmol.*), & tam hæ (§. 51. *Cosmol.*), quam illæ inter se connectuntur (§. 53. *Cosmol.*). Nexus successivorum consistit in dependentia ef-

tia effectus a causa efficiente, seu in genere causati a causa & finis a medio & actionis causæ efficientis a fine simul, nexus autem coëxistentium in dependentia finis a medio (§. 665. *part. 1. Theol. nat.*) & sapientia atque bonitate divina constitutus est (§. 741. *part. 1. Theol. nat.*) ab æterno (§. 504. *part. 1. Theol. nat.*), ab absoluta necessitate liber (§. 667. *part 1. Theol. nat.*). Etenim jam alias monuimus (*not.* §. 666. *part. 1. Theol. nat.*), *Spinosam* nexum rerum fatalem statuisse, non quod per se talis sit, sed quod is Deo omnem in agendo libertatem ademerit, ac liberrima Dei decreta negaverit. Quamobrem qui fatum stoicum a contemtu absolverunt, per sapientem rerum in universo nexum idem benignius explicarunt. Nostra parum refert, quid statuerint Stoici, sed nobis sufficit nexum rerum, quem dari in hoc universo negari non potest, a decreto Dei liberrimo derivasse & sapientiæ & bonitati divinæ conformem demonstrasse, ut dici minime possit, omnia in hoc mundo temere cœco casu fieri. Quantum vero noceat fiduciæ in Deo, si a providentia divina nexus rerum removetur, ex sequentibus clarius adhuc elucescet.

§. 407.

De nexu fatorum suorum

Quoniam qui Deo cofidere vult, ad nexum rerum in hoc universo constanter attendere debet (§. 405.), veritatis autem eorum, quæ in Philosophia practica docentur, omnium optime convincimur, si ea in nobis ipsis experimur (§. 271. *part. 2. Phil. pract. univ.*); *Qui Deo confidere vult, inprimis inquirere tenetur, quomodo ea, quæ sibi obtingunt, a se invicem dependeant, seu animum attendere ad fatorum suorum nexum.*

Providentiam divinam ex fatis suis agnoscere plurimum facit ad fiduciam Deo habendam. Equidem providentiam divinam ex fatis nostris agnoscimus, si ea in se spectentur, animo recolentes bona, quæ Deus in nos contulit, & mala, a quibus nos

nos liberavit, cum sic appareat, quomodo Numen benignissimum nobis prospexerit; eadem tamen multo luculentius apparet, si fatorum nexum inspiciamus, cum non modo hinc intelligamus, quomodo per errorem mala visa fuerint, quæ erant bonorum numero accensenda, verum etiam quomodo quæ revera mala fuerunt nobis obtigerint, ut bonorum, quæ expectare non poteramus, compotes redderemur: ita enim demum firmiter confidimus fore, ut Deus in posterum quoque optime nobis sit consulturus, & nos atque res nostras providentiæ divinæ committemus toti a voluntate ipsius pendentes, nec facile animum subibunt cogitationes fiduciæ Numini optimo habendæ adversæ. Immo hæc in nexum fatorum nostrorum inquisitio nos quoque convincet, quod per eam fiducia in Deo conservetur & continua capiat incrementa, multi autem affectus molesti, quibus perturbatur animi tranquillitas, arceantur. Suademus itaque omnibus, ne in hac investigatione se præbeant negligentes.

§. 408.

De fiducia in Deo facilitanda.

Fiducia in Deo facilitatur, si perpendamus, Deum velle felicitatem nostram, infelicitatem velle non posse, & mala, quæ eveniunt, dirigere in bonum finem. Deum velle felicitatem nostram, nec infelicitatem velle posse, certum est (§. 706. 707. *part. 1. Theol. nat.*), nec minus certum est, quod mala tam physica, quam moralia dirigat in bonum finem (§. 680. *part. 1. Theol. nat.*). Quodsi ergo hæc perpendamus, mala non metuimus, cum persuasissimi simus, nullum nobis eventurum malum, nisi quod faciat ad promovendam felicitatem nostram. Quamobrem malorum securi nos totos resque nostras providentiæ divinæ committemus quam lubentissime. Quoniam itaque Deo confidit, qui se totum resque suas providentiæ divinæ committit (§. 1186. *part. 1. Jur. nat.*);

 fiducia

fiducia in Deo facilitatur, si perpendamus, Deum velle felicitatem nostram, infelicitatem velle non posse, & mala, quæ eveniunt, dirigere in bonum finem.

Nemo est qui nesciat, nos maxime confidere iis, a quibus nos amari persuasi sumus, propterea quod novimus, eos felicitate nostra delectari (§. 633. *Psych. empir.*), atque pro virili eandem promovere (§. 652. 638. *Psych. empir.*). Quamobrem si pro certo habemus, quod Deus nos amet, & nos felices esse velit; nulli dubitamus, quin ea nobis sit daturus, quæ nos felices faciunt, & aversurus, quæ infelices redderent. Necesse autem est, ut genuinam felicitatis notionem habeamus, ne nos putemus infelices, quando non sumus, fortunam secundam cum felicitate, adversam cum infelicitate confundentes (§. 412. *part. 1. Phil. pract. univ*), nec statum jucundum a felicitate distinguentes (§. 106. *part. 2. Eth.*). Et ut voluntatis seriæ Numinis benignissimi certiores evadamus, consultissimum est, ut consideremus, Deum nos obligare ad custodiam legis naturæ (§. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quod unicum medium est consequendi & conservandi felicitatem (§. 397. 398. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & id a bonitate ipsius proficisci (§. 992. *part. 1. Theol. nat.*), ita ut Deus legislator induat personam patris saluti liberorum suorum præceptis ac prohibitionibus suis consulere studentis (§. 189.), atque ideo nonnulli sibi persuaserint, præcepta & prohibitiones Dei esse nuda consilia: id quod tamen falsum est (§. 993. *part. 1. Theol. nat.*). Immo multo luculentius elucescit seria Dei de felicitate nostra voluntas, quod præcepta & prohibitiones suas noluerit esse nuda consilia, ita ut arbitrio nostro relinquatur, utrum actiones nostras ad legem naturæ componere velimus, an nolimus (§. 983. *part. 1. Theol. nat.*), cum pro suo in nos amore saltem nobis significare voluerit, quid sibi videatur de actionum nostrarum determinatio-

minatione, utpote omnium optime gnarus, quomodo felices evadere possimus; sed quod pro jure suo in nos actiones ita determinare possit, nec arbitrio nostro reliquerit, num eas ita determinare, an aliter velimus.

§. 409.

Si Deo confidere velimus, necesse est ut ipsi quoque obediamus. Qui enim Deo confidit, pro certo habet, ipsum providentia sua tantundem mali a se aversurum, quantum salva sapientia ipsius fieri potest, & si qua sibi obventura sint mala, in bonum finem directurum (§. 1186. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam itaque Deus naturæ leges præscripsit (§. 826. *part. 1. Theol. nat.*), quas necessario observat (§. 827. *part. 1. Theol. nat.)*, ideoque corpora & tota rerum natura agunt, quod Deus vult (§. 969. *part. 1. Theol. nat.*), præscripsit vero etiam homini legem naturæ (§. 274. *part. 1. Phil. pract. univ.*), cujus custodia felicitatem consequi ac conservare potest (§. 396. *part. 1. Phil. pract. univ.*), actiones suas liberas quoque determinaturus, quemadmodum vult Deus (§. 970. *part. 1. Theol. nat.*), consequenter per easdem rationes finales, per quas determinantur naturales (§. 915. *part. 1. Theol. nat.*); ne transgressione legis naturalis infelicem se reddat (§. 405. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nec felicitate privet (§. 401. *part. 1. Phil. pract. univ.*), necesse est, ut non suo arbitratu vivat, sed ut voluntas Dei sit ipsi loco voluntatis propriæ, cui convenienter determinet actiones suas, nec abusu libertatis ruat in mala (§. 580. 723. 724. *part. 1. Theol. nat.*), a quibus alias immunis extitisset. Enimvero qui facit quod Deus vult & non facit quod Deus non vult, obedientem se ipsi præbet (§. 1164. *part. 1.*

De obedientia cum fiducia conjungenda.

part. 1. Jur. nat.). Quare si Deo confidere velimus, necesse est, ut ipsi quoque obediamus.

Obedientia Deo habenda cum fiducia indivulso nexu cohæret, ita ut frustra Deo confidat, qui obedire non vult. Nihil sane absurdius cogitari potest, quam velle ut Deus avertat, quæ nos infelices reddunt, & conferat, quæ felicitatis participes faciunt, uti tamen nolle mediis ad felicitatem consequendam & conservandam, infelicitatem vero arcendam absolute necessariis. Qui abusu libertatis suæ in mala ruit ac se privat bonis, quæ consequi quibusque frui poterat, hoc sibi imputare debet, providentiæ divinæ tribuere nequit. Deus salutis nostræ providus ex parte sua nihil prætermisit, quo eidem optime consuleretur, *præscribendo* tam naturæ rerum, quam hominibus *leges*, juxta quas agere debent; ast hominis est, ut quemadmodum natura universa, ita ipse quoque in agendo leges præscriptas observet. Ita enim frui poterit bonitate divina, qua Deus rebus universis atque ipsi providet. Vide, quæ supra de necessario nexu felicitatis nostræ cum obedientia Deo præstanda annotavimus (*not.* §. 202.). Quodsi homo perinde ac res ceteræ omnes in hoc universo voluntatem Dei exequeretur, legem sibi præscriptam accurate observando, nil quicquam foret, de quo jure conqueri poterat, aut cur providentia divina ipsi esset suspecta. *Vitia* hominum non modo in calamitates, de quibus maximæ sunt querelæ, manifesto influunt, ut earum causæ agnoscantur ab hominibus, ac ideo in proverbium dudum abierit, quod homo homini lupus sit, verum etiam occulte, quatenus actiones eorundem malæ tanquam actus physici influunt in determinationem actuum naturæ (§. 84. *Cosmol.*), ut sua culpa eandem sibi infestam experiantur, & ad puniendum se provocent, quando nil minus, quam hoc cogitant. Occultus iste influxus captum nostrum transcendit, cum nexum rerum universalem in hoc universo perspice-

perſpicere nequeamus: aſt quemadmodum certo agnoſcimus vi demonſtrationum coſmologicarum eundem dari & in ſyſtemate Theologiæ naturalis oſtendimus, quod attributis divinis maxime conveniat & per eum Deus rebus in hoc univerſo provideat (§. 927. *part. 1. Theol. nat.*), immo in parte quoque ſecunda Theologiæ naturalis eundem ex ipſa eſſentia & natura Dei deduximus (§. 90. *& ſeqq.* & §. 315. *& ſeqq. part. 2. Theol. nat.*); ita quoque certo conſtat, omnes hominum actiones influere in determinationem actuum naturæ, etſi quantum influant, & quales hinc prodeant in rerum natura mutationes diſtincte explicare non valeamus. Sublimior utique hæc philoſophia eſt, quam quæ ab omnibus capi poſſit; qui tamen in noſtris operibus metaphyſicis ſatis verſatus eſt, ei obſcura non erunt, quæ hic dicuntur, nec pro ſubtili commento habebit, quod veritati conſentaneum agnoſcet. Neque vero exiſtimandum eſt, quaſi abſtruſa hujus influxus cognitio ad ſubtilitates inutiles ſit referenda, quibus tuto carere poſſumus: ut enim taceamus uſum, quem ad praxin moralem affert, eadem nobis prodeſt ad quædam loca Scripturæ ſacræ intelligenda, in quibus de actuum naturæ a peccatis hominum depedentia ſermo eſt, ſed ab abſurditate quoque liberat dogmata quædam, quæ viri pii de eadem ad promovendam pietatem inculcarunt, aſt quæ ab antiſcripturariis & profanis hominibus de nexu rerum ſapiente parum cogitantibus deridentur, ut acutiores videantur ceteris, quos ablepſiæ arguunt. Sed hæc Theologis uberius diſcutienda relinquimus, quorum attentionem excitare voluimus, ne contemnant tela, quibus ad defendendum quod ſuum eſt adverſus hoſtes arrogantes maxime opus habent.

§. 410.

De influxu amoris Dei

Quoniam neceſſe eſt, ut Deo obediat, qui eidem confidere vult (§. 409.), lubentiſſime autem ipſi obedit, qui eum

ac timoris filialis in fiduciam. eum timet (§. 325.), & timor filialis ex amore Dei nascitur (§. 317. 320.); *qui Deo confidere vult, eum quoque amare ac timere debet*, consequenter *amor & timor filialis influunt in fiduciam.*

Patet itaque, quomodo fiducia Deo habenda cum amore Dei ac timore filiali cohæreat indivulso quodam nexu, ita ut fiducia deficiat a rectitudine sua, nisi hæc officia in eandem influant. Ac facile intelligitur, cum influxus istorum officiorum in fiduciam non careat suo effectu, longe alium fore statum animæ, si officia ista in fiduciam influant, quam si absit iste influxus. Hanc ipsam autem diversitatem rectius sentire, quam verbis explicare valemus inexperto. Nihil hic requirimus, quod non ultro admittatur in aliis, quæ *sensu percipiuntur*. Nonne saporem tibi adhuc ignotum rectius gustu percipis, quam verbis tibi explicare poterit eundem in se expertus? Et nonne in eundem censum referendæ sunt qualitates sensibiles promiscue omnes? Nulla igitur ratio est, cur in modificationibus animæ non admittendum sit idem, quas, modo attentionem nostram desiderari non patiamur, non minus interno quodam sensu confuse percipimus, quemadmodum externo patent qualitates sensibiles rerum materialium.

§. 411.

De certitudine quod semper eventura sint, quæ ex parte nostra meliora. *Qui Deo confidit, certus est, quomodocunque in posterum cadant res suæ, semper eventurum, quod ex parte sua melius.* Qui enim Deo confidit, pro certo habet, ipsum providentia sua tantundem boni in se collaturum, & tantundam mali a se aversurum, quantum salva sapientia ipsius fieri potest, & si qua ipsi obventura sint mala in bonum finem directurum (§. 1186. *part. 1. Jur. nat.*), & quia Deo obedit (§. 409.), consequenter facit, quæ Deus vult, & non facit, quæ non vult (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*), qui lege, quam nobis præscripsit, saluti

saluti nostræ consulere voluit (§. 189.), non minus certus est, quod non propria culpa se in mala præcipitem det (§. 723. *part. 1. Theol. nat.*), aut si ex infirmitate humana hoc contingat (§. 370. *part. 1. Phil. pract. univ.*), Deus pro bonitate sua (§. 733. *part. 1. Theol. nat.*) etiam hæc mala ad bonum finem sit directurus (§. 680. *part. 1. Theol. nat.*). Quomodocunque igitur in posterum cadant res suæ, certus est, semper id eventurum, quod ex parte sua melius.

Pendent hæc ab agnitione bonitatis divinæ, quæ nos ducit ad agnoscendam providentiam divinam (§. 67.), fiduciæ Deo habendæ fundamentum (§. 404.). Concitat autem providentia potissimum fiduciam, quatenus ea nititur bonitate divina, quæ bona a Deo nos sperare jubet (§. 696. *part. 1. Theol. nat.*). Necesse vero est, ut bonitatem Dei recte agnoscamus, nec eam ultra sapientiam ipsius (§. 698. *part. 1. Theol. nat.*), aut prorsus ultra id, quod possibile, extendamus (§. 344 345. *part. 1. Theol. nat.*). Velle enim, ut Deus faciat, quod sapientiæ ipsius repugnat, insolens est, cum eam venerari debeamus: velle ut faciat contradictoria, absurdum.

§. 412.

Quoniam *qui Deo confidit*, certus est, quomodocunque in posterum cadant res suæ, semper eventurum, quod ex parte sua melius (§. 411.); *judicium de eo, quod sibi bonum est, bis Deo relinquit, & quæ cunque sibi eveniunt, sive secunda, sive adversa, ea sibi bona esse, seu ad salutem suam facere nullus dubitat.* *Iudicium de eo, quod nobonum est, Deo relinquendum.*

Adversatur omnino fiduciæ Deo habendæ, si quis suo judicio stare velit in iis, quæ sibi conducunt, aut saluti suæ adversantur. Fiducia enim niti debet providentia divina, Deus autem cum sua sapientia provideat rebus omnibus atque homini (§. 928. *part. 1. Theol. nat.*), hominis non est præscribere, quomodo sibi providere debeat. Immo si hominis hoc

esse

esse deberet, mere contradictoria inde resultarent, quæ nec a Deo fieri posse constat (§. 345. *part. 1. Theol. nat.*). Homines bonum sibi judicant, quod sibi utile, &, si ipsorum judicio standum, ea semper contingere deberent, quæ cuivis utiliora forent. Iter faciens tempestatem mallet esse serenam, nec calorem solis nimis ferventem; agricola, qui semen terræ commisit, desiderat pluviam, aut, si messis instat, æstum solis, ut fruges maturescant. Hinc viator tempestatem sibi faventem bonam vocat, quam malam dicit agricola. Talia quidem quam sint contradictoria statim in oculos incurrunt: sed dantur alia, quæ magis abscondita latent, etiamsi ad nos solos referantur, prouti ex sequentibus elucescit.

§. 413.

Iudicium Dei de eo quod nobis bonum & jus imponendi personam quam gerere debemus.

Deus rectius judicat, quæ nobis bona sunt, quam nos dijudicare possumus, & ipsi competit jus nobis imponendi personam, quam gerere in mundo debemus. Etenim Deus omnia cognoscit distincte, quæ præter ipsum cognitu possibilia sunt, nihil confuse (§. 156. *part. 1. Theol. nat.*), consequenter etiam nos qua animam & corpus penitus perspiciens, quænam extra posita nobis inserviant ad nos perficiendum. Quamobrem cum ea, quæ ad nos perficiendum faciunt, bona sint (§. 554. *Psych. empir.*); Deus ab omni errore prorsus immunis (§. 294. *part. 1. Theol. nat.*), penitus perspicit, quænam nobis revera bona sint. Enimvero qui novit, quænam ad sui cognitionem requirantur, tum qua animam ex Psychologia, tum qua corpus ex Anatomia, & quantum lateat in latebris atque recessibus in animis nostris (§. 72. & *seq. part. 1. Eth.*), nobis inscrutabilibus (§. 75. *part. 1. Eth.*), & quænam requirantur ad profunditatem intellectus, qua notiones distinctas in alias simpliciores analysi notionum convenienter (§. 339. *Psych. empir*) resolvendæ (§. 340. *Psych. empir.*), ut notiones adæquatas

quatas consequamur (§. 341. *Psych. empir.*); is dubitare haud quaquam poterit, quod Deus multo rectius nos cognoscat, quam nos cognoscere nosmet ipsos valemus. Quoniam itaque judicium de eo, quod nobis bonum est, supponit cognitionem sui, quatenus nimirum extra nos posita faciunt ad nos perficiendum (§. 554. *Psych. empir.*); deficiente sui ipsius cognitione sufficiente nos hallucinari contingit, quando de iis, quæ extra nos posita sunt, judicium ferendum, utrum nobis bona sint, nec ne. Deus itaque rectius judicat, quæ nobis bona sunt, quam nos judicare possumus. *Quod erat unum.*

Deus dominus noster est (§. 966. *part. 1. Theol. nat.*), ideoque ipsi competit jus de nobis disponendi pro arbitrio suo (§. 959. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem cum Deus omnia sapientissime decreverit (§. 643. *part. 1. Theol. nat.*), ideoque velit, ut ad perfectionem totius universi, quæ in aptitudine patefaciendi perfectionem Dei summam consistit (§. 673. *part. 1. Theol. nat.*), actiones nostræ dirigantur (§. 920. *part. 1. Theol. nat.*), propter finem ultimum, quem per existentiam hujus universi intendit (§. 629. *part. 1. Theol. nat.*); ipsius est, nobis imponere personam, quam in mundo gerere debemus. Patet itaque Deo competere jus nobis imponendi personam, quam gerere in mundo debemus. *Quod erat alterum.*

Quæ hic demonstrantur, ut ad convictionem pateant, plurima omnino supponunt, ideoque contingit, ut, quamvis vulgo dicatur, Deum melius nosse, quæ nobis bona sunt, quam nos dijudicare valemus, & ipsius esse, ut nobis imponat personam, quam in hoc mundo gerere debemus, pauci tamen satis intelligunt, quod dicunt, multo minus persuasissimi sunt

non opinime, sed ad veritatem. Attamen maximum momentum habet non modo in fiducia Deo habenda (§. 412.), verum etiam in aliis philosophiæ moralis capitibus, ut veritatis simus certi. Quamobrem non inconsultum ducimus, ut hæc uberius explicentur. Vera hominis bona sunt, quæ ipsum qua animam & corpus perficiunt (§. 557. *Psych empir.*). Quæ extra posita sunt, & in se spectata bonis fortunæ accensentur (§. 556. *Psych. empir.*), respectu nostri bona dici nequeunt, nisi quatenus inserviunt nobis perficiendis, ut ideo contingat uni esse bonum, quod alteri malum est, & quæ in se spectata, seu quatenus in genere ad statum hominum referuntur, nobis videntur mala, revera bona sint, cum pro conditione nostra faciant ad vera bona consequenda, & ex adverso vera mala arcenda, quorum absentia itidem bonorum numero accensenda (§. 756. *part. 1. Jur. nat.*). Pendet igitur a nobis, ut ea, quæ eveniunt, nobis bona, vel mala sint, ideoque nostrum est, ut, quæ potestati nostræ non subsunt, antequam eveniant, eidem subjiciantur, postquam evenerunt. Deus, qui possibilium combinatione ideam hujus seriei, quam mundum dicimus (§. 55. *Cosmol.*), produxit (§. 100. *part. 1. Theol. nat.*), unicuique homini eum in eadem tribuit locum, quo per antecedentia ad actualitatem perduci possunt (§. 89. *Cosmol.*), cumque nihil eorum, quæ ad hanc rerum seriem spectant, decreverit nisi respectu finis, ob quem decrevit existentiam totius universi (§. 606. *part. 1. Theol. nat.*), & omnes fines particulares subordinaverit ultimo (§. 631. *part. 1. Theol. nat.*), vi sapientiæ suæ unumquemque hominem in eo seriei loco constituit, ubi actiones ejus liberas sive bonas, sive malas ad hunc finem dirigere poterat, ut eundem ex asse consequeretur, quatenus actiones externæ physice spectatæ eodem modo consequuntur, quo bonæ (§. 572. *part. 1. Theol. nat.*), ideoque eodem modo in determinationem actualitatis sequentium influunt, quo actiones corporum

rum

rum reliquorum (§. 89. *Cosmol.*). Facit vero hoc jure suo utpote totius mundi dominus (§. 965. *part. 1. Theol. nat.*), quod exercet attributis suis convenienter (§. 385. *part. 1. Theol. nat.*).

§. 414.

Ad quod nos impellere debeat agnitio veritatis istius.

Quoniam Deus rectius judicat, quæ nobis bona sunt, quam nos dijudicare valemus (§. 413.); qui hoc pro certo habet, judicium de eo, quod sibi bonum est, Deo relinquit, & quæcunque sibi eveniunt sive prospera, sive adversa, ea sibi bona esse nullus dubitat. Quamobrem cum quæ nobis eveniunt bona dici nequeant, nisi quatenus faciunt ad nostram perfectionem (§. 557. *Psych. empir.*); *nobis incumbit, ut tam prosperis, quam adversis utamur tanquam motivis determinandi actiones nostras juxta legem naturæ*, quæ præscribit actiones ad perfectionem nostram tendentes (§. 152. *part. 1. Phil. pract. univ.*), *sicque in nobis ipsis experiemur, quæcunque nobis eveniunt sive prospera, sive adversa, vergere in bonum nostrum, & Deo providente nobis evenire.*

Cum Deus velit, ut actiones nostras juxta legem naturæ determinemus (§. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*); tam prospera quoque, quam adversa hominibus immittit, ut iis utantur tanquam motivis actiones suas legi naturæ convenienter determinandi. Atque ita non solum facimus rerum, quas nobis Deus largitur, rectum usum, quem exigit vera felicitas nostra, sed & adversa nobis prosunt, dum nos vel a vitiis avocant, vel quo minus a proposito bene ac recte agendi declinemus impediunt. Bonitati ergo divinæ non modo accepta ferimus bona, quibus bene utimur; verum etiam mala, in quæ incidimus, ad salutem convertentes in beneficiorum divinorum numerum referimus. Hoc mo-

do animum optime convincimus bonitatis divinæ, qua nobis providet, discimusque Deum nos perdere nolle malis, sed calamitates esse animi medicinam. Hoc non agnoscunt, qui quæ eveniunt tantum ad sensum & statum externum referunt, nec mentem ad cogitationem emendandi animi excitant. Necesse autem est, ut quæcunque nobis eveniunt utamur tanquam motivis actiones nostras legi naturæ convenienter determinandi, si Deo confidere velimus. Neque enim animo minime perturbato providentiæ divinæ nos totos committemus, nisi pro certo habeamus, nihil eventurum, quod non in salutem nostram convertere possimus. Equidem novimus quoque Deum mala dirigere in bonum finem §. 689. *part. 1. Theol. nat.*), atque hæc consideratio quoque facit ad fiduciam concitandam (§. 408.); *sed hoc* non obstante, nos etiam facere debemus, quod nostrum est. Neque enim solum ex eo, quod futurum est, nec in præsenti certo prospicitur, sed etiam ex eo, quod in præsenti statim fieri potest, discere debemus, Deum velle felicitatem nostram, infelicitatem velle non posse: id quod perpendendum esse ostendimus, si fiduciam in Deo facilitare velimus (§. 408.). Et modo monuimus, velle Deum, ut quæcunque nobis eveniunt ita in salutem nostram convertamus.

§. 415.

Quomodo tollatur dubium de providentia Dei ex absentia ejus, quod habere velle- mus.

Ne putemus, Deum nobis non bene providere, aut ne providentiam divinam prorsus in dubitationem adducamus, quod caremus eo, quod habere maxime velimus; inquirendum est in rationem, cur id habere velimus, & probe perpendendum, quid inde sequeretur, si ejus participes redderemur, quid vero obtineat, dum eodem caremus. Quodsi enim inquiramus in rationem, cur quid, quod nobis deest, habere velimus, ac probe perpendamus, quid inde sequeretur, si ejus participes reddere-

deremur, & quid nunc obtineat, dum eodem caremus; ex collatione status utriusque facile innotescet, modo singula huc spectantia satis expendantur, quinam status altero sit melior, & quod nostra & aliorum intersit, ut eo careamus, quam ut id habeamus, modo non aliunde fiat æstimatio, quam ex perfectione nostra & aliorum, quemadmodum fieri debet, si rationi consentaneum esse debet judicium de eo, quod bonum est (§. 557. *Psych. empir.*). Quoniam itaque hinc intelligimus, nullam esse rationem, cur de bonitate Dei conqueramur (§. 697. *part. 1. Theol. nat.*); opinio quoque evanescet, quasi Deus nobis non bene provideat, quin potius contrarium agnoscemus, ideoque multo minus providentiam divinam in dubitationem adducemus. Patet itaque, ne putemus, Deum nobis non bene providere, aut ne providentiam divinam prorsus in dubitationem adducamus, ea facienda esse, quæ in propositione præcipiuntur.

Ponamus hominem luxus amantem, sed qui præclaris animi dotibus præditus in aliorum utilitatem tempus impendere potest, divitias appetere, quas tamen acquirere frustra studet. Quodsi quæras, cur divitias appetat, ratio in promptu est, ut majores sumtus in cibum, vestitum & res alias facere possit, sicque alios, quos sibi pares vel etiam superiores agnoscit, antecellere. Cum jam tempus in aliorum utilitatem impendat, nec supra alios se efferat; nonne verendum, ne cura rerum vanissimarum eum a præsenti diligentia, qua multis prodest, avocet atque in superbiam trahat (§. 888. *part. 1. Jur. nat.*), ut taceam vitia & damna alia, quæ incurrere potest, atque hinc porro propullulantia mala. Nonne igitur melius est, hominem hunc divitiis carere, quam opibus abundare. Quamobrem si ad hæc animum advertit, nonne potius agnoscere debet, Deum

Ffff 3 optime

optime sibi providere, quod divitias acquirere nequeat, quam ut de bonitate Dei, aut providentia ipsius dubitet. In casibus particularibus datis occurrunt circumstantiæ, ex quibus multo plura deducentur mala inde oritura, si voti nostri compotes redderemur. Probe tamen tenendum est, habendam inprimis esse rationem perfectionis animæ, seu virtutum intellectualium & moralium, cum hinc unice pendeat felicitas nostra (§. 400. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nec bona fortunæ & corporis per se hominem reddant felicem (§. 410. 411. *part. 1. Phil. pract. univ.*), absque virtute (§. 416. *part. 1. Phil. pract. unv.*), ut nemo ideo felix sit, quia fortunatus est (§. 412. *part. 1. phil. pract. univ.*). Deus igitur, qui vult hominem esse felicem, ut vero sit infelix velle nequit (*§.* 706. 707. *part. 1. Theol. nat.*), vi bonitatis suæ nobis *ita* providet, ut ex parte sui nil omittat, quod ad felicitatem nostram facere possit. Et ex iis, quæ in anterioribus passim ostendimus, abunde patet, Deum hoc modo, dum nobis providet, omnia dirigere ad finem ultimum, quem per creationem hujus universi intendit, atque sic nobis providere vi sapientiæ suæ. Quodsi ergo huc advertamus animum, si judicium ferendum est de fatis nostris, quatenus a providentia divina dependent, judicium nostrum propius accedit ad judicium Dei de eo, quod nobis bonum est. Dico propius: neque enim fieri potest, ut idem prorsus assequamur, cum Deus singula, quæ nobis eveniunt, referat non modo ad omnia, *quæ nobis* evenire debent per totum vitæ tempus, atque simul ad statum omnem hominum aliorum, verum etiam ad totum universum (§. 393. *part. 1. Theol. nat.*), ut ideo nobis impossibile sit de eo, quod nobis bonum est, eodem modo, quo Deus, judicare (§. 396. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem sufficit, ut judicium nostrum saltem probabile sit, si ea, quæ nobis desunt, aut præter vota nostra eveniunt, perpendimus, quemadmodum urget propositio præsens, nimirum ut futuri incerti acquiescamus in eo, quod non impossibile esse

agno-

agnoſcimus, quamvis in ſcientia nondum valeat a poſſe ad eſſe argumentatio. Ita e. gr. admittendus eſt divitiarum abuſus in homine luxus amante vergens in negligentiam bene merendi de genere humano præclaris, quibus pollet, ingenii dotibus, quamvis neceſſe non ſit, ut divitiis abutatur. Sufficit enim abuſum, rebus ſic ſtantibus, eſſe faciliorem, quam abuſus vitationem, & ex adverſo ſtudium bene merendi de genere humano certius, quam ſi impedimentum, quod eidem objicitur, demum ſit removendum. Quoties nimirum de voluntate noſtra in futurum ſtatuenda, certum eſſe nequit judicium, cum ignorentur quæ in determinationem ejusdem influere poſſint, ſoli Deo cognita.

§. 416.

Similiter ne putemus, Deum nobis bene non providere, aut ne providentiam divinam prorſus in dubitationem adducamus; perpendendum eſt, an non in præſenti ſtatu finem, quem intendimus, certius conſequamur, quam ſi is eſſet, quem optamus. Etenim is ſtatus melior eſt, in quo finem, quem intendimus, certius conſequi poſſumus, altero, in quo eundem conſequi difficilius eſt: id quod nemine ſano contradicenre ſumitur. Quodſi ergo agnoſcamus, nos in præſenti ſtatu finem, quem intendimus, certius conſequi poſſe, quam ſi is eſſet, quem optamus; præſentem ſtatum meliorem eſſe altero, quem optamus, dubitandum non eſt. Quamobrem quod talis non ſit, qualem optamus, inde inferri nequit, Deum nobis non bene providere, multo minus, providentiam Dei eſſe nullam, quin potius hinc agnoſcimus dari providentiam divinam, & Deum nobis bene providere, quod nos conſtituerit in iis circumſtantiis, quæ finis a nobis intenti conſecutioni favent. Ne igitur putemus, Deum nobis non bene providere, aut ne providentiam ejus prorſus in dubitationem adducamus, perpen-

Quomodo ſtatus noſter dijudicandus.

pendendum est, annon in præsenti statu finem, quem intendimus, certius consequamur, quam si is esset, quem optamus.

Supponimus hic hominem pro suo vitæ genere sibi propositum habere finem, quem intendit, certe intendere debet, & si contingat, eum finem quendam particularem intendere, hunc tamen non intendi nisi in relatione ad istum, quatenus scilicet eidem subordinatur per modum medii, quemadmodum requirit sapientia (§. 678. *Psych. rat.*), ad quam obligamur lege naturæ (§. 254. *part. 1. Jur. nat.*). Quodsi enim quis intendat finem legi naturæ contrarium, quem intendere non debet; absurdum est velle, ut Deus, qui cum nos obliget ad observantiam legis naturæ (§. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ut simus felices (§. 399. *part. 1. Phil. pract. univ.*), concurrat ad actiones malas moraliter spectatas, seu quatenus malæ sunt (§. 106. *part. 2. Phil. pract. univ.*), ut simus infelices (§. 405. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Hæc omnino contradictoria sunt, quæ Deus nec velle, nec facere potest (§. 345. *part. 1. Theol. nat.*). Ita si quis divitias appetit luxus causa, ut luxus suos explicantibus par esse possit, non est quod, statum suum, in quo desunt luxus instrumenta, abjecte ferat. Quodsi ex fine, quem intendimus, de statu nostro statuendum; non illicitus esse debet ac veræ felicitati contrarius. Quando homines sorte sua contenti non sunt, nec Deum tam bene sibi providere arbitrantur, quemadmodum aliis, animum a lege naturæ avertere solent, nec cupiditatem rei, qua flagrant, examinant. Quamobrem iujuriam Deo afferunt, cujus providentiam sancte venerari debebant.

§. 417.

Quomodo agnoscatur quam fallax sit hominum rebat. *Qui certus esse vult, quam fallax sit hominum de statu suo judicium; diligenter observare debet, quod ad præsentem statum fallax tum votis suis majorem non pervenisset, nisi alius, quem moleste ferat, præcessisset, & quod alii habeant malum, in quod ipse incidisset, si Deus*

si Deus votis suis annuisset. Status præsens non haberi potest pro malo, si ex eo sequatur alius omni spe ac voto major, ad quem non pervenissemus, nisi ille non præcessisset, nec status ille, quem avide appetebamus, haberi pro bono, ex quo mala inevitabilia emersissent, a quibus jam liberi sumus. Quosi ergo observemus, statum, quem moleste tulimus, esse genitorem multo melioris, quam sperare poteramus, aut ex adverso statum, quem avide expetebamus, nobis ingentia mala fuisse allaturum, a quibus jam liberi sumus, quod Deus votis nostris non annuit; quam fallax sit hominum in præsentibus omnem cogitationem defigentium, nec futura prospicientium de statu suo judicium utique addiscimus. *de statu suo judicium*

Pertinent huc, quæ jam supra de observando nexu rerum in hoc mundo (§. 405.) & inprimis fatorum nostrorum diximus (§. 407.). Et lucem propositioni præsenti affundunt, quæ de directione malorum ad bonum finem agnoscenda inculcavimus (*not.* §. 688. *part. 1. Theol. nat.*), cum eandem illustri exemplo *Josephi* a fratribus improbis in servitutem venditi declarassemus. In hisce observandis si fuerimus seduli atque solertes, intelligemus de statu præsenti judicium minime fallax ferri non posse ex solis præsentibus, verum attendenda quoque esse futura, quæ inde sequuntur, consequenter cum futura prospicere nequeamus, Deum rectius judicare posse, quæ nobis conducunt, quam nobis datur. Quamvis autem in posterum ventura nobis certa non sunt; non tamen propterea eorum consideratio prorsus abjicienda, si circumstantiæ præsentes ad probabilem quandam prævisionem nos ducunt. Videmur enim ita prægustum quendam habere bonitatis divinæ, quam pleno gustu percipimus, quando quæ futura erant præsentia fiunt, si vel maxime quod venit non prorsus idem sit cum eo, quod venire posse putabamus. Si futura eadem certitudine prævidere possemus, qua præsentia videmus, de statu præsenti certum quoque judicium ferre posse-

mus. Ast quia futura prospicere vel prorsus nobis concessum non est, vel saltem probabiliter ea prævidere valemus; ideo non est quod miremur, quod adeo fallax sit judicium. Sed cum omnium optime convincamur, eodem non esse standum, si experiamur, quantum nos fefellerit; ideo necesse est ut in observando simus seduli ac solertes. Exempla cum indies obvia sint, ut nemo talia ignoret nisi sua culpa, ideo necesse non est ut iisdem afferendis immoremur.

§. 418.

De bonitate divina ex malis immissis intimius perspicienda.

Si quis intimius bonitatem divinam perspicere voluerit, quod Deus malum physicum minus immittat, ut avertatur majus, vel mala quædam physica, ut adversus malum morale præmuniamur, vel ab eodem desistamus; species & magnitudo mali conferenda est cum statu nostro & inprimis cum inclinationibus atque moribus nostris, præsertim in casu posteriori. Bonitatis divinæ esse, si Deus mala physica immittit homini, ut adversus malum morale præmuniatur, vel ab eodem desistat, & si immittat minus, ut eodem avertatur majus, jam demonstravimus (§. 734. 735. *part. 1. Theol. nat.*). Unde etiam superius jam commendavimus concitandæ fiduciæ causa animum attendendum esse ad nexum fatorum nostrorum (§. 407.) & in genere ad dependentiam rerum a se invicem quoad existentiam (§. 405.) & præcepimus, ut etiam adversis, quæ nobis obtingunt, utamur tanquam motivis actiones juxta legem naturæ determinandi (§. 414.). Enimvero in præsenti id curæ habemus, quomodo bonitas divina in utroque casu intimius perspiciatur. Hoc quidem fieri, si per malum minus avertatur majus, per se patet, ut ulteriori probatione non indigere videatur, cum nemo non malit subire malum minus, ut evitet majus, quam vitando minus exponi

poni majori, consequenter hinc satis pateat, quantum Deus habeat animum ab homine affligendo alienum, utut tanquam dominus (§. 966. *part. Theol. nat.*). de homine pro arbitrio disponere possit (§. 959. *part. 1. Theol. nat.*). Hoc tamen non obstante species quoque & magnitudo mali cum statu nostro ac inprimis cum inclinationibus & moribus nostris comparanda, ut inde intelligatur, Deum immisisse malum, quod nobis tolerabilius aliis: id quod utique facit ad bonitatem ipsius intimius perspiciendum. *Quod erat unum.*

Quodsi mala physica, quæ Deus nobis immittit, nos præmunire debent adversus malum morale, aut ab eodem avocare; iis utendum est tanquam motivis actiones suas juxta legem naturæ determinandi (§. 414.). Cum motivum sit ratio sufficiens volitionis & nolitionis (§. 887. *Psych. empir.*); indies experimur, non omnia motiva promiscue convenire omnibus, sed ea differre pro diversitate inclinationum atque morum, aliarumque circumstantiarum: id quod etiam apparet, si metu pœnarum introducenda obligatio positiva (§. 288. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Constat præterea, non omnia mala promiscue omnibus accidere æque molesta, sed id non minus pendere ab inclinationibus atque moribus hominum, aliisque circumstantiis. Quamobrem si Deus nobis mala immittat, ut adversus malum morale præmuniamur aut ut ab eodem desistamus; plurimum refert, utrum mala ista sint motiva convenientia, nec ne. Hoc igitur ut innotescat, species mali consideranda & cum inclinationibus ac moribus nostris, aliisque circumstantiis in dato casu obviis conferenda. Quodsi ergo hoc modo deprehendamus mala a Deo nobis immissa talia esse, quæ nobis convenientia motiva præbent, cum inde innotescat bonitas divi-divina, quod nobis Deus immittat mala physica, ut adver-

fus malum morale præmuniamur, aut ab eodem desistamus (§. 734. *part. 1. Theol. nat.*), bonitas divina utique intimius perspicitur. *Quod erat alterum.*

Noto notius est res secundas attentionem hominum in se trahentes, quia delectant, cogitationem a Deo avertere. Quamobrem cum vulgo obligatio actiones suas juxta legem naturæ determinandi a voluntate divina unice derivetur, ita ut motivum sumatur a voluntate divina; obedientiam, quam Deo debent, relinquunt & effrenatas animi sui cupiditates satiant. Quodsi vero mala ingruant, hæc memoriam Dei refricant & inobedientiæ jam sibi conscii ea ad salutem suam convertere student, dum animum ad obedientiam componunt. *Si cupiditas in animum nondum dominetur, sed gliscere incipit, mala* a rebus secundis cupiditatis fomitibus attentionem ad Deum retrahunt, cui obedire volupe est. Effectum hunc malorum physicorum a Deo immissorum in se expertus autor Psalmorum eadem beneficiis divinis accenset, pro quibus Deo agendæ sunt gratiæ. Moderatur autem bonitatem divinam sapientia, cum Deus non agat nisi omnibus attributis suis convenienter (§. 395. 385. *part. 1. Theol. nat.*). Ideo bonitas ejus intime non perspicitur, nisi simul cognoscatur, quomodo sapientia eandem moderetur. Hoc itaque innotescit, si consideremus speciem mali a Deo immissi & animum atque conditionem ejus, qui a vitio avocandus, vel adversus idem præmuniendus, cum sic mala intelligantur medium aptum finem, quem Deus intendit, consequendi. Hæc autem quamvis in aliis quoque cognoscantur, omnium tamen optime cognoscuntur in nobis ipsis. Juvat hanc inquisitionem consideratio diversorum malorum, quæ hominibus accidere possunt, & cum eo, quod a Deo nobis immittitur, collatio, neque ex animo dimittenda est intellectus nostri imbecillitas, quæ non permittit, ut judicium Dei assequamur (§. 396. *part. 1. Theol. nat.*), cum hoc pacto certi simus, nos hæc omnia multo evidentius cognituros, si idem assequeremur: id quod tamen impossibile

per ipsam naturam humanam, cum Deus judicans quid sit optimum in se idem referat ad totum universum (§. 393. *part. 1. Theol. nat.*), nullo intellectu finito comprehendendum. Proderit hoc, ne judicio nostro plus tribuamus, quam judicio Dei, si medium aliud nobis videatur aptius ad flectendum animum, aut minus sufficere putetur.

§. 419.

Malum physicum, quo damnum datur in re nostra, spectandum est instar tributi, quod Deo Rectori hujus universi solvitur & *Quomodo malum physicum spectandum, quo damnum datur in re nostra.* *quod jure suo exigit.* Mala enim physica ita implicantur huic seriei, ut eadem salva separari ab ea minime possint (§. 552. *part. 1. Theol. nat.*), nec si quod tollatur vel in dato aliquo casu series rerum non amplius manere possit perfectissima (§. 556. *part. 1. Theol. nat.*), nec fines particulares ultimo, quem Deus intendit, amplius subordinari possint eo, quo nunc fit, modo, singulis quippe propter nexum universalem (§. 55. & *seqq. Cosmol.*), in determinationem omnium sequentium influentibus (§. 89. *Cosmol.*). Quoniam itaque Deus hoc universum gubernat, dum omnia inter se connectit (§. 901. *part. 1. Theol. nat.*), perinde est ac si re nostra ad gubernationem hujus universi haberet opus. Enimvero in civitate singuli ad onera Reip. ferenda contribuere tenentur (§. 777. *part. 8. Jur. nat.*), consequenter ad sumtus Reip. conservandæ causa faciendos (§. 774. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem si Deus consideratur tanquam Rector hujus universi, & per consequens nos tanquam subditi consideremur; malum physicum, quo damnum datur a natura, non inepte spectatur instar tributi, quod Deo Rectori hujus universi solvitur. *Quod erat unum.*

 Enim-

Enimvero Deus est dominus rerum omnium in hoc universo (§. 965. *part. 1. Theol. nat.*), ideoque nobis natura saltem concessus est ejus usus (§. 14. *part. 2. Jur. nat.*) & quamvis lege naturæ non repugnante, consequenter Deo volente (§. 282. *part. 1. Phil. pract. univ.*), dominia fuerint introducta (§. 141. *part. 2. Jur. nat.*); dominii tamen saltem ea vis est, ut excludat alios jure nobis in ea re competente, qui domini non sunt (§. 120. *part. 2. Jur. nat.*), Deo vero salvum manet jus suum, quod in ea habet, ut ideo usus quoque ejus maneat legi naturæ subjectus (§. 167. *part. 2. Jur. nat.*), ac per consequens re nostra non aliter uti possimus, quam quemadmodum vult Deus (§. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque Deo competit jus de re nostra disponendi, prouti sibi visum fuerit (§. 959, 963. *part. 1. Theol. nat.*), si damnum quoddam in re nostra necessarium ad conservationem hujus universi, Deus malum jure suo immittit, quo damnum istud datur, consequenter si malum hoc spectetur tanquam tributum Deo qua Rectori hujus universi solvendum *per demonstrata n. 1.* id ipsum Deus jure suo exigit. *Quod erat alterum.*

Si Deus nobis aufert, quod nostrum est, quod suum est aufert, etiamsi saltem spectemus jus ab ipso in re nobis concessum, quod re perdita perit, nimirum jus eadem utendi voluntati ejus conformiter, & de eadem disponendi in gratiam aliorum. Quamvis vero non habeamus justam causam conquerendi, si Deus nobis aufert, quod dederat; multo tamen evidentius id agnoscitur, si constet id non fieri sine ratione sufficiente, unde intelligitur, nos obligatos fore ad rem, in qua damnum datur, Deo dandam, si vel maxime eandem ab ipso non accepissemus, nec ea iam ante esset Dei. Sane Deus tanquam rector hujus universi (§. 900. *part. 1. Theol. nat.*

al. nat.), non potuit nobis dare jus in re quadam nisi sub hac conditione, ut eandem auferre liceat, quando ut rem perdat, conservatio hujus universi exigit; quemadmodum fructuarius rem domino restituere tenetur, si usus fructus concessus sub hac conditione, donec ipse re sua habeat opus (§. 1447. 1492. *part. 5. Jur. nat.*). Quodsi tamen hoc ita sese non haberet, poterat tamen qua Rector universi per modum tributi a nobis id exigere, quemadmodum in parte prima propositionis ostendimus. Præsens itaque propositio probe perpendenda, ut justitiam Dei agnoscamus, quando non merentibus mala physica immittere videtur, quibus damnum datur in rebus ipsorum. Non sufficit, ore confiteri Deum esse justum & justa esse omnia opera ipsius; sed necesse est, ut justitiæ hujus notionem habeamus, ne dentur sine mente soni. Justitia in Rectore civitatis justitiæ divinæ quædam imago est. Quodsi ergo divinam agnoscere velimus, ad eam agnoscendam ducit imago in Rectore civitatis conspicua: quæ ne ad devia nos ducat, quale sit jus dominii, quod in re habemus, respectu Dei, constare debet. Hoc vero clarissime perspicitur, si cum jure fructuarii sub certa conditione revocabilis comparetur. Discant vero hinc qui Theologiæ operam navant, quam necessaria sit juris naturæ in ea latitudine sumti, quam nos eidem tribuimus in amplo de Jure naturæ opere Theologo ad multa dogmata intimius perspicienda: quod ut facilius fieri possit, Institutiones juris naturæ & gentium ita adornavimus, ut jurium omnium nexus sine multo labore perspiciatur.

§. 420.

Qui sua culpa in malum incidit, de bonitate Dei conqueri non potest. Qui enim sua culpa in malum incidit, cum culpa quælibet lege naturæ prohibita sit (§. 299. *part. 1. Jur. nat.*), is ideo in malum incidit, quia legem naturæ transgreditur (§. 139. *part. 1. Phil. pract. univ.*), consequenter *De malo, in quod nostra culpa incidimus.*

actio-

actiones suas non dirigit voluntati divinæ conformiter (§. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum prohibitiones Dei a bonitate ipsius proficiscantur (§. 992. *part. 1. Theol. nat.*); eidem adversari nequit, quod nos in mala ruere sinat, si ab iis abstinere nolimus, quæ prohibet, ne in ea nos præcipites demus, quæ ex actione mala necessario consequuntur (§. 723. *part. 1. Theol. nat.*): id quod jam alias demonstravimus (§. 725. *part. 1. Theol. nat.*). Neque etiam justa conquerendi causa est, quod hominem fecerit labilem, ut scilicet libertate sua abuti possit, & quod abusum libertatis permiserit, cum salva bonitate summa, quæ ipsi est, fecerit hominem, qui libertate sua abuti potest & quem eadem abusurum prævidit (§. 722. *part. 1. Theol. nat.*). Patet itaque, qui sua culpa in malum incidit, eum de bonitate Dei conqueri nullo modo posse.

Qui sua culpa in malum incidit, cum malum evitare potuisset (§. 696. 692. *part. 1. Phil. pract. univ.*), sibi imputare debet, quod in id inciderit. Is tamen hominum mos est, ut culpam conjiciant in alios, immo si nulla rationis specie hoc fieri possit, in res alias, ut eandem a se removeant, neque prorsus inauditum est, ut culpa in ipsum Deum derivetur. Et quis est, qui nesciat, tam firmam esse nonnullorum persvasionem, quasi cum bonitate divina consistere nequeat, hominem creare labilem, ut malint existentiam Dei prorsus negare, quem concedere, quod salva bonitate creari potuerit labilis. Quamobrem omnino necesse erat, ut ostenderemus, si homo culpa sua in malum incidit, nullam esse justam de bonitate divina conquerendi causam. Ceterum consultum est, ut legantur, quæ de existentia mali moralis in hoc universo & permissione ejus prolixe demonstrata sunt in systemate Theologiæ naturalis.

§. 421.

§. 421.

Bonitas divina inde agnoscitur, quod prohibuerit omnem culpam, qua homo in mala incidere potest. Etenim cum Deus prohibuerit omnem culpam, qua homo in mala incidere potest (§. 299. *part. 1. Jur. nat.* & §. 723. *part. 1. Theol. nat.*); inde intelligitur Deum nolle, ut homo in mala incidat, instar parentis saluti nostræ consulens (§. 189.). Quamobrem cum bonus sit in alios, qui bona iis conferre studet (§. 696. *part. 1. Theol. nat.*), consequenter etiam qui curæ habet, ut mala avertantur (§. 756. *part. 1. Jur. nat.*); bonitas divina inde agnoscitur, quod prohibuerit omnem culpam, qua homo in mala incidere potest.

Ex prohibitione culpæ, qua in mala incidimus, agnosci bonitatem Dei.

Redit huc, quod jam alibi aliter demonstravimus, prohibitiones Dei a bonitate divina proficisci (§. 992. *part. 1. Theol. nat.*). Rigor juris naturalis exigit, ut omnem culpam vitemus, etiam in specie sic dictam, quæ in defectu rectitudinis actionis quoad intellectum vincibilis consistit (§. 717. *part. 1. Phil. pract. univ.*), non usui facultatum nostrarum tribuendus (§. 744. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & cujus varias species recensuimus (§. 748. & *seqq. part. 1. Phil. pract. univ.*). Ex eo qui colligunt, Deum nimis acerbe severum esse in hominem, quod tam exactam exigat obedientiam, oppido falluntur, cum inde potius agnoscere debeant enixissimam Numinis optimi voluntatem, ut mala vitemus: id quod amorem Dei concitat (§. 247. 243.), in fiduciam ipsi habendam influentem (§. 408.). Considerandа hic quoque sunt, quæ paulo ante de influxu occulto actionum nostrarum in determinationem actionum naturæ monuimus (*not. §.* 409.), ne nimiam Dei severitatem in lege ferenda accusemus quasi bonitati adversam.

§. 422.

De vacuitate ab angoribus in rebus dubiis & a perturbatione in periculo.

Qui Deo confidit, ejus animum dubius rerum eventus non angit, nec periculum, quod imminere videtur, perturbat. Qui enim Deo confidit, certus est, quomodocunque in posterum cadant res suæ, semper eventurum, quod ex parte sua melius (§. 411.). Quamobrem si eventus dubius est, ut prævidere non liceat, qualis sit futurus (§. 1191. *part. 1. Jur. nat.*); eum totum providentiæ divinæ committit, atque ita ab omni cura vacuus est animus. Nulla igitur ratio est, cur is angi debeat, utpote cum nihil adsit, quod molestiam creare possit, ideoque Deo confidentis animum dubius rerum eventus non angit. *Quod erat unum.*

Porro qui Deo confidit, pro certo quoque habet, Deum mala in bonum finem directurum, si qua obveniant (§. 1186. *part. 1. Jur. nat.*), & hac ipsa consideratione fiducia facilitatur (§. 408.). Quamobrem cum a damno, quod per malum dari potest, cogitationem ad bonitatem Dei divertat, qua amor ejus concitatur (§. 228.), nec malum, quod imminere videtur, sibi repræsentet tanquam noxium, sed tanquam salutare; non modo metus cessat cum affectibus aliis, ad quos is ducit (§. 822. & *seqq. Psych. empir.*), verum etiam si quis adhuc suboritur, amor tamen eum vincit (§. 442. *part. 2. Eth.*). Qui ergo Deo confidit, eum periculum, quod imminere videtur, minime perturbat: quo etiam facit obedientia, qua homo voluntatem suam omnem Deo dat, ut ipsius voluntas sit loco propriæ (§. 180.), a fiducia non separanda (§. 409.). *Quod erat alterum.*

Nemo est qui nesciat, quot curis & quantis angoribus vexetur animus eorum ob dubium rerum eventum & periculum, quod imminere videtur, qui Deo non confidunt, & de

de eo, quod sibi bonum, vel malum est, suo judicio stare malunt, quam judicium omne Deo relinquere. Enimvero cum qui Deo confidit meliora semper speret (§. 411.), & judicium de eo, quod sibi melius, Deo relinquit (§. 412.); ab omnibus istis curis & angoribus vacuum habet animum. Hoc probe considerandum est, cum sit efficacissimum fiduciæ Deo habendæ motivum. Quamobrem cum motiva vim omnem accipiant a cognitione viva (§. 244. *part. 2. Phil pract. univ*), hanc autem efficiat certitudo (§. 264. *part. 2. Phil. pract. univ.*); ideo opera danda est, ut convincamur, aut persuasissimi simus, quomodocunque cadant res nostræ, semper eventurum, quod ex parte nostra melius (§. 411.), nec Deum mala nobis immissurum, nisi quæ vergant in salutem nostram (§. 680. *part. 1. Theol. nat.*), & quibus uti poterimus tanquam motivis ad actiones nostras legi naturæ convenienter determinandas (§. 314. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ut felicitatem acquiramus (§. 396. *part. 1. Phil. pract. univ.*), aut acquisitam conservemus (§. (§. 397. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Cum qui Deo confidit omnem eventum ipsi committat, nil sperat, quod judicio suo sibi habere mallet, nil metuit, quod abesse mallet, sed sperat eventurum, quo ipsi omnium optime sit consultum.

§. 423.

De cura eventus Deo relicta.

Quoniam *qui Deo confidit*, ejus animum dubius rerum eventus non angit, nec periculum, quod imminere videtur, eum perturbat (§. 422.), idemque ipsi quoque obedit (§. 409.), consequenter facit quod Deus vult (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*), cum sensu officii Deo debiti (§. 174.); *quod suum est pro virili agit*, ne culpæ suæ quid tribuere possit (§. 299. *part. 1. Jur. nat.*), *curam vero eventus Deo relinquit*, quatenus scilicet a potestate sua minime pendet.

Negotia humana eventum dubium habent, quatenus ad ea concurrunt causæ, quæ potestati nostræ non subsunt, & quarum concursus a nobis prævideri nequit. Exempla dedimus alias de agricola agrum colente & semen fœcundum eidem committente, atque de patrono munus proxime vacans promittente, sed antequam vacet moriente (*not.* §. 1191. *part.* 1. *Jur. nat.*), quæ repetere nolumus. In dies occurrunt exempla & longe plurima Historicorum volumina offerunt, modo ad ea animum attendamus. Notandum vero causas, quæ nostræ potestati non subsunt, non modo esse res naturales, verum etiam in earum numero esse hominum aliorum voluntates. Qui Deo confidit, omnem curam abjicit, certus nos & res nostras Deo curæ esse. Magna felicitatis nostræ pars in eo consistit, ut possideamus animum ab omni cura *vacuum*, qua angi poterat: est enim cura vehemens quædam & anxia animi sollicitudo, consequenter felicitati inimica (§. 639. *Psych. empir.*).

§. 424.

Quænam eo fine consideranda.

Ut Deo lubenter curam omnem relinquamus, probe considerandum, res non cadere ex consilio nostro, sed ex decreto potius Dei. Quodsi enim experientia, optima rerum istiusmodi magistra (§. 267. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), convincamur, res ex consilio nostro non cadere; omnem curam nostram vanam esse agnoscimus, quæ in falsam spem inducit, aut dubii eventus conscios frustra angit. Quoniam vero nihil in hoc mundo adeo abjectum videri debet, cujus Deus non habuerit rationem, cum conservationem ac gubernationem hujus universi decerneret (§. 926. *part.* 1. *Theol. nat.*), quicquid vero decrevit, id quoque in tempore facit, quemadmodum decrevit (§. 525. *part.* 1. *Theol. nat.*); quicquid evenit, id decreto ejus convenienter venit, consequenter si res non cadunt ex consilio nostro, ex decreto Deo ita, non aliter cadunt. Quodsi ergo

ergo hoc consideremus, facile videmus, nos omni cura nostra nihil in decreto divino immutare posse, nec quicquam ad hoc, quod venturum est, conferre. Quamobrem si probe consideremus, res non cadere ex consilio nostro, sed ex decreto potius Dei, rebus omnibus atque etiam nobis sapientia, bonitate ac potentia providentis (§. 928. *part. 1. Theol. nat.*), ut, quomodocunque cadant, semper eveniat quod ex parte nostra melius (§. 411.), curam omnem lubenter eidem relinquimus.

Id unicuique statim per se patet, quod a voluntate sua minime dependerit, in qua fortuna nasceretur. Ast si de fortuna in futurum consilia agitavit, ea plerumque in cassum cecidisse animadvertet, et ubi contigerit votis respondisse eventum, non minus deprehendet, casui cuidam felici hoc esse tribuendum, qui si non totus, maxima tamen parte ab ipso minime dependebat. Fatentur hoc omnes, qui fata sua conferunt cum proposito suo, ut dudum in proverbium abierit: hominem proponere, Deum disponere. Quamvis itaque prudentiæ sit prospicere futura, & futuri status rationem inire, nec conveniat homini, ut incurius in diem vivat; cura tamen non extendenda est ultra ea, quæ in potestate sunt, in præjudicium providentiæ divinæ, cui subest fortuna omnis (§. 932. *part. 1. Theol. nat.*). Optime igitur sibi consulit, qui, quicquid sibi proponit, voluntatem suam in divinam resolvit, non exspectans quod sibi proposuit, sed quod Deus decreverit. Pendent hinc alia, quæ tam ad patientiam, quam ad animum sorte sua contentum faciunt, sine quibus vix est ut simus satis felices. Veritatem hanc adeo salutarem ut non agnoscant & in felicitatem suam convertant plerique, tribuendum est oscitantiæ ipsorum, ut vanitatem consiliorum suorum & propositi fallaciam non agnoscant, nec quæ præter spem & expectationem eveniunt comparent cum iis, quæ sibi proposuerant, præsertim si eventus a proposito lon-

longius absit. Quamvis vero subinde videamur consecuti, quod nobis proposueramus; si tamen id, quod consecuti sumus, penitius inspiciamus, idem prorsus minime esse patebit, quod nobis proposueramus, sed in multis ab hoc adhuc differre. Et quomodo, quæso, fieri poterit, ut homo, quod sibi proponit, certo consequatur, cum nec naturæ rerum, nec aliorum hominum voluntatibus modo minime prævidendo concurentibus ad futurum statum nostrum imperare valeamus? Veritatem hanc scriptura sacra inculcat ad intimiorem providentiæ divinæ cognitionem facilitandam.

§. 425.

Quemlibet in statu suo Deo servire & felicitate frui posse.

Quilibet homo in statu suo Deo servire, & felicitate frui potest. Deo enim servit, qui obedit (§. 195.), consequenter actiones suas voluntati ipsius (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque legi naturæ conformiter dirigit (§. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum hæc actionum directio pendeat ab usu facultatum animæ, status vero noster ab iis, quæ extra nos posita sunt, ad quæ actiones nostras legi naturæ convenienter determinatas referre debemus (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*); quilibet homo in statu suo Deo servire potest. *Quod erat unum.*

Enimvero cum qui Deo servit actiones suas juxta legem naturæ dirigat, *per demonstrata*, custodia autem legis naturalis felicitatem consequamur & conservemus (§. 396. 597. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nec sine hac eandem consequi possimus (§. 398. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quilibet homo in statu suo felicitate frui potest. *Quod erat alterum.*

Corpora & tota rerum natura agunt voluntati divinæ conformiter, seu eandem exequuntur (§. 969. *part. 1. Theol. nat.*), & sic obediunt Deo (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*), consequen-

ſequenter eidem ſerviunt (§. 195.). Et dum natura rerum obſervat leges a Deo ipſi præſcriptas (§. 827. *part. 1. Theol. nat.*) & creatura omnis in agendo dependet a Deo (§. 879. *part. 1. Theol. nat.*) ſubſtantiam agentis conſervante ac vires agendi largiente (§. 876. *part. 1. Theol. nat.*), earum vero actionibus ſequentia in mundo determinantur (§. 89. *Coſmol.*), Deus creaturis utitur per modum inſtrumenti (§. 892. *Ontol.*) ad mundum gubernandum (§. 901. *part. 1. Theol. nat.*). Et in hunc cenſum etiam veniunt actiones hominis tam naturales, quam morales phyſice ſpectatæ (§. 568. *part. 1. Theol. nat.*), tam bonæ, quam malæ (§. 569. 572. *part. 1. Theol. nat.*), atque hoc modo directio malorum moralium non minus, quam phyſicorum in bonum finem poſſibilis (§. 679. *part. 1. Theol. nat.*) & patet, quomodo Deus etiam hominibus impiis tanquam inſtrumentis utatur ad mundum conſervandum & gubernandum, ita ut mala phyca & moralia non obſtent, quo minus in hoc mundo, qui exiſtit, major ſit perfectio, quam in ceteris poſſibilibus (§. 550. *part. 1. Theol. nat.*), nec mala phyſica cenſeantur talia, niſi reſpectu & in relatione partium, immo particularum hujus univerſi ad ſe invicem (§. 565. *part. 1. Theol. nat.*). Ita creaturæ omnes ſerviunt Deo, & ipſe homo impius eidem invitus ſervire cogitur. Enimvero cum homo ſit ratione præditus (§. 483. *Pſych. empir.*), per quam lex naturæ a Deo præſcripta (§. 282. *part. 1. Phil. pract. univ.*) ipſi innoteſcit (§. 259. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & vi cujus actiones liberæ per easdem rationes finales determinantur, per quas determinantur naturales (§. 154. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ut cum naturalibus tendant ad eundem finem, conſequenter ad finem ultimum totius univerſi, cui Deus ſapientia ſua mundum gubernans (§. 902. *part. 1. Theol. nat.*), fines omnes particulares ſubordinat (§. 633. *part. 1. Theol. nat.*) per modum medii (§. 635. *part. 1. Theol. nat.*); homo etiam Deo ſervit qua agens liberum, dum ſeſe obedientem ipſi præbet.

Et

Et quoniam Deus omnia in hoc universo sapientissime decrevit (§. 643. *part. 1. Theol. nat.*), ideoque etiam vi sapientiæ suæ homini tribuit hunc locum, quem in serie rerum obtinet, & in quo status ipsius alius esse nequit, vult tamen ut sibi obediat (§. 1165. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter serviat (§. 195.), tantum vero abest, ut impossibile velit (§. 313. *part. 1. Theol. nat.*), quin potius quicquid vult, possibile est (§. 314. *part. 1. Theol. nat.*); ut homo in suo statu Deo serviat, impossibile non est. Enimvero Deus nihil decernit nisi attributis suis omnibus convenienter (§. 517. *part. 1. Theol. nat.*), consequenter vi bonitatis quoque suæ ei hunc, quem habet in serie rerum, tribuit locum (§. 699. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem cum velit hominem esse felicem (§. 706. *part. 1. Theol. nat.*), ut sit in felix velle nequeat (§. 707. *part. 1. Theol. nat.*), nec contradictoria velle, nec facere possit (§. 345. *part. Theol. nat.*); in suo quoque statu felicitate frui potest, modo abusu libertatis seipsum non reddat infelicem (§. 708. *part. 1. Theol. nat.*). Hæc probe consideranda sunt, ne nostra culpa evadamus infelices & in providentiam divinam, consequenter in sapientiam & bonitatem divinam (§. 928. *part. 1. Theol. nat.*), simus injurii, Deo tribuentes, quæ nobis ipsis imputare debemus, & ne absurde anhelemus statum, de quo judicium suum esse nequit, nobisque arrogemus jus imponendi personam, quam in hoc mundo gerere velimus, quod Deo competit (§. 413.), quasi nos melius nossemus quam Deus, quinam locus nobis in hac serie rerum conveniat, & Deus nostro judicio stare debeat: quod quam sit absurdum nemo ignorat, nisi in Theologia naturali nondum versatus.

§. 426.

De obligatione gerendi personam, quam Deus

Quoniam homo in statu suo Deo servire potest (§. 425.), Deo autem obedire, (§. 1165. *part. 1. Jur. nat.*) consequenter servire debet (§. 195.), & Deo competit jus imponendi personam, quam in hoc mundo gerere debemus

mus (§. 413.); *operam dare debemus, ut eam personam recte nobis imponamus, quam Deus nobis imposuit.* *recte nobis impo-geramus, ... suit.*

Veritatem hanc pervidit *Epictetus*, ideoque in Enchiridio c. 23. non turbandæ tranquillitatis causa hoc nostrum esse inculcat, datam personam bene effingere, eam autem eligere alterius, nimirum Dei. Quemadmodum actor fabulæ non laudatur ob personam, quam repræsentat, sed qua eam ingeniose repræsentat, ita ut qui bene mendicum agit mereatur applausum, qui Principem male, nullum; ita quoque & Deo, & hominibus bonis ac peritis probatur, qui in hoc mundi theatro personam recte gerit, quam Deus ipsi imposuit, sicque Deo servit, quemadmodum voluit, atque in hoc vera gloria consistit (§. 47. *Jur. Gent.*). Quodsi homines memores Deum bene justeque administrare omnia huc converterent omne studium, statu suo contenti in se ipsis acquiescerent (§. 353. *part. 2. Eth.*) & ea felicitate fruerentur, quam acquiescentia in se ipso parit (§. 355. *part. 2. Eth.*).

§. 427.

Similiter quia homo in suo statu felicitate frui potest (§. 425.), consequenter cum per naturam suam felicitatem appetat (§ 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*), appetitum suum satiare potest, ut a se aliena anhelare non habeat opus; *Quilibet statu suo contentus esse potest atque debet, quod de eo*, consequenter *nec de Deo, qui hunc statum ejus esse voluit, conqueratur.* *Quod statu nostri contenti esse debeamus.*

Multi conqueruntur, aut saltem sibi videntur se a Deo neglìgi, quod mallent habere statum aliorum, quem suo putant esse meliorem. Ac ideo molesto animo ferunt statum suum cadentes felicitate, qua frui poterant, (§. 425.) & ut fruerentur Deus voluit (§. 706. *part. 1. Theol. nat.*), qui hunc eorum

eorum esse statum decrevit (§. 525. *part. I. Theol. nat.*), rectius judicans de eo, quod homini unicuique bonum est, quam nos judicare valemus (§. 413.). Deus neminem negligit, modo quis non negligat seipsum, ut in suo statu non eam recte gerat personam, quam Deus ipsi imposuit, & dum alienis inhiat, quæ consequi nequit, non utitur suis, quemadmodum debet, ut felix sit. Stultum omnino est, felicitatem consequi velle per media, quæ in potestate non sunt, nec uti velle iis, quæ in potestate sunt. Status suus nemini molestus est, quia per se molestiam parit, sed quod perversa de eodem opinio molestiarum creatrix est, quatenus ex alieno de eodem statuitur.

§. 428.

An in alio statu feliciores simus futuri ignoramus.

Nemo judicare potest, num in alio statu sit felicior futurus, quam in præsenti esse potest. Felicitatem aliter consequi & conservare non possumus, quam si actiones nostras juxta legem naturæ determinemus (§. 397. 398. *part. I. Phil. pract. univ.*). Constat autem ea, quæ extra nos posita sunt, & independenter a voluntate nostra eveniunt, magnam vim habere in animum, ut custodia legis naturalis vel facilior, vel difficilior evadat, aut ut prorsus ab eadem ad transgressionem avocemur, consequenter ut nobis difficilius evadat *felicitatem* consequi atque conservare, *per demonstrata*, vel ut facilius fiamus infelices (§. 405. *part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum nemo futura prævidere queat, nec certus esse possit, quinam sibi futurus sit animus in alio rerum conditionisque statu; nec fieri potest, ut judicemus, num facilius, an difficilius felicitatem consequi & conservare valeamus, aut num nosmetipsos infelices simus reddituri. Accedit, quod fortuna adversa omnis non eadem vi, nec eodem modo commoveat animum, ut affectus molestos eadem

dem facilitate vincere queamus. Ecquis ergo fortunam tibi magis faventem spondebit in statu alio, quam in præsenti? Omnia igitur futura cum incerta sint, quorum tamen maxime habenda est ratio, si de felicitate ac infelicitate, qua frui homini datur, ex veritate statuendum; nemo judicare potest, num in alio statu felicior futurus sit, quam in præsenti esse potest.

Cum in statu suo quilibet felix esse possit (§. 425.), modo personam recte gerere studeat, quam Deus in eodem ipsi imposuit; felicitatem nostram curare prudentis est, circumstantiis præsentibus in salutem nostram conversis. Absurdum est animum angere curis vanis, & negligere bona, quibus in præsenti frui poteramus. Semper igitur memores esse debemus, judicium de eo, quod nobis melius est, Deo esse relinquendum (§. 411.), qui rectius id quam nos dijudicare valet, utpote qui solus cognoscit omnia, quæcunque possibilia sunt (§. 154. *part. 1. Theol. nat.*), consequenter etiam quales futuræ essent hominis cujuslibet voluntates, si in alio foret statu.

§. 429.

De loco, quem quilibet homo in hac rerum serie obtinet.

Nemo hominum alium in hac serie locum obtinere potuit, quam quem obtinet. In mundo actus eorum, quæ contingunt, determinatur per seriem contingentium, quæ a se invicem dependent, ut effectus a sua causa (§. 83. *Cosmol.*), & cujuslibet entis contingentis in mundo existentia determinatur per mundum integrum (§. 87. *Cosmol.*). Cumque essentiæ rerum a voluntate Dei minime dependeant, nec ideo tales sint, quia Deus libere tales esse voluit (§. 280. *part. 2. Theol. nat.*), sed per ipsam naturam Dei necessariæ sint (§. 194. *part. 1. Theol. nat.*); Deus quoque rem nullam, ideoque nullum quoque hominem aliter facere potuit, quam facit. Cum

igitur ideas rerum combinavit, ut inde prodiret ea series, quæ existit, homini unicuique eum tribuit in eadem locum, ubi naturaliter ad actum perduci potest, consequenter per ipsam essentiam & naturam suam rerumque ceterarum nemo hominum in hac serie alium obtinere potuit locum, quam quem obtinet (§. 376. *part. 2. Theol. nat.*).

Error vulgi de ideis rerum arbitrariis autoritatem nactus est a *Cartesio*, qui eundem in philosophiam introduxit (*not.* §. 191. *part. 1. Theol. nat.*). Immo negari non potest, quod tacite quoque irrepat subinde in effata illorum, qui necessitatem & immutabilitatem essentiarum agnoscunt, inprimis si non attendant, mundum esse ens unum (§. 60. *Cosmol.*), & per consequens essentiam ejus, quæ consistit in modo, quo res finitæ datæ, non aliæ inter se connectuntur (§. 59. *Cosmol.*), non minus necessariam & immutabilem esse, quam rerum ceterarum, ex quibus is compositus, quemadmodum statim in oculos incurrit, si consideremus modum, quo idea mundi ab intellectu divino formata fuerit (§. 100. *part. 2. Theol. nat.*). Sane res, quæ per essentiam suam atque naturam aliæ non esse poterant, alio quoque modo combinari non potuerunt, ut per continuas generationes & corruptiones ad existentiam naturaliter perducerentur, quæ in eadem successive existunt. Plenior lux in hisce affunditur ei, qui ad mundum intelligibilem mentem convertit, modo sensibili non ita immersus sit, ut lucem, qua ille fulget, ferre nequeat (§. 203. *part. 1. Theol. nat.*). Sed instituto præsenti sufficit, ut in sensibili subsistamus, nec in intelligibilem, ad quem non cuivis patet aditus, exspatiemur. Ast ne infirmiores offendantur, quasi omnipotentiæ derogetur, si dicamus hunc mundum & hasce res, quæ in eo sunt, aliter a Deo creari non potuisse, quam quomodo eum fecit, & quales res in eo existunt quoad essentiam & naturam suam; perpendant velim, Deum non posse facere absolute impossibilia (§. 344. *part. 1. Theol. nat.*), nec impossibilitatem faci-

faciendi impossibilia arguere potentiæ defectum (§. 346. *part. 1. Theol. nat.*). Et ut veritatem propositionis præsentis capiant, perpendant saltem, num sine parentibus hisce quos habuerunt, potuissent nasci, atque eandem cogitationem promoveant in genealogia quamvis distincte animo non comprehensa usque ad primos parentes, in quibus eandem terminare libuerit: ita nimirum facile deprehendent, se nonnisi per continuas in eadem serie generationes ab iis descendere potuisse, nec alium in eadem obtinere locum, quam quem habent. Quodsi quis putet, se ab aliis quoque parentibus generari potuisse, aut alio tempore, vel alio loco nasci, cum tacite sumat, quidvis ex quovis fieri posse, contra ingnorantem prima principia frustra disputatur, ideoque nil superest, quam ut eundem sensu suo abundare sinamus.

§. 430.

Quod absurdum est velle, ut alius sit status noster.

Quoniam nemo alium in hac serie locum obtinere potuit, quam quem obtinet (§. 429.); *absurdum est velle, dum fit velle, ut alium nobis Deus tribuerit in hac rerum serie locum, veluti ut nasceremur ex parentibus aliis, quam quos habuimus, vel loco, tempore alio, consequenter ut alius sit rerum & conditionis nostræ status*, utpote qui a coëxistentibus dependet (§. 84. *Cosmol.*), quæ non minus, quam nos in serie successivorum hoc loco & hoc tempore existunt (§. 89. *Cosmol.* & §. 602. 572. *Ontol.*).

Quod absurditatem hanc plurimi non agnoscant, non e longinquo petenda est ratio. Pendet evidentia a notionibus, in quas demonstratio propositionis præcedentis resolvitur (§. 992. *Log.*), & quæ longe plures sunt, quam putatur, prouti experiri possumus, si analysin actu instituamus, quæ in nostro systemate non impossibilis. Non vero sufficit, ut notiones istæ nobis sint perspectæ, sed etiam ut eas expe-

tiamur familiares & vi nexus earundem successive perspecti evidentiæ sensus continua propagatione tandem quoque adhæserit propositioni præcedenti. Agnoscant hinc necessitatem systematis, quale condimus, & cur in eo continuando ætatem consumere non pigeat. Nemo sanus absurda, seu impossibilia vult, aut quod ea consequi non possit conqueritur. Ecquis, quæso est, qui instar avium volare velit, aut quærelas movet, quod volare non possit, aut prorsus bonitatem divinam in dubium vocat, quod Deus ipsi potentiam volandi denegaverit. Immo quis est, qui propterea angitur, quod non ad fortunam regiam evectus fuerit, aut in eadem natus? Quænam vero ratio est, cur vanis istiusmodi cupiditatibus non angatur animus? Certe non alia, quam quod id pro impossibili, sive absolute, sive hypothetice tali habetur. Insunt hominibus notiones primæ quamvis latenter, quæ tacite influunt in judicia, quando appetitus sensitivus attentionem ab iis non avertit, ac mentem in transversum agit. Quoniam vero plurimum refert, ut absurditas volitionis status diversi ab eo, quem habemus, & per consequens ut ea, quæ ad eundem referuntur, sint alia; opera omnino danda est, ut veritatis propositionis præcedentis convincamur, aut ad veritatem persuadeamur, ne quicquam dubii supersit.

§. 431.

An homo alias dotes naturales habere possit, quam quas habet, aut aliam corporis formam, vel robur.

Homo non potest habere alias dotes naturales, quam quas habet, nec corpus aliam nancisci formam, nec robur aliud. Etenim ideæ rerum necessariæ & immutabiles sunt (§. 189. 190. *part. 1. Theol. nat.*), nec a voluntate Dei ullo modo dependent (§. 191. *part. 1. Theol. nat.*): id quod multo clarius elucescit, si ortum essentiarum in intellectu divino expendamus (§. 94. *part. 2. Theol. nat.*). Quamobrem quæcunque ad determinationes essentiales pertinent, vel in iis rationem

nem sufficientem agnoscunt, ea nec in anima, nec in corpore aliter sese habere possunt. Et quamvis in formatione corporis in utero materno casus contingat, experientia teste: cum tamen casus iste in serie rerum, ex qua constat mundus (§. 48. *Cosmol.*), causam suam habeat (§. 97. *Cosmol.*) & necessario actum consequatur (§. 98. *Cosmol.*), homo autem, ut existeret, alium locum in eadem serie obtinere non possit, quam quem obtinet (§. 429.), ea, quæ casui tribuuntur in formatione corporis, aliter sese habere nequeunt. Homo igitur alias dotes naturales habere nequit, quam quas habet, nec corpus aliam nancisci formam, nec robur aliud.

Quod homines contrarium sibi persuadeant, inde est, quod hominem concipiant tanquam subjectum vacuum, cui Deus pro arbitrio suo indidit, quod ipsi visum fuerit, & quod causarum secundarum, dum agere debent, actiones determinet, prouti placuerit. Error prior redit ad hypothesin falsam idearum arbitrariarum ab indifferente voluntate Dei derivatarum (§. 191. *part. 1. Theol. nat.*); posterior vero tribuendus ignorantiæ specificationis actionum creaturarum, quæ ab essentia pendet (§. 878. *part. 1. Theol. nat.*), & nexus rerum in universo, sine quo non intelligitur determinatio ad agendum (§. 70. *Cosmol.*). Accedit quod nec mundus consideretur tanquam ens unum (§. 60. *Cosmol.*), in quo omnia, quæ contingunt, veritatem determinatam habent (§. 107. *Cosmol.*). Et quamvis Deus miracula facere possit, quotiescunque vult (§. 363. *part. 1. Theol. nat.*), ut eveniant, quæ per rerum naturarum existere non poterant (§. 518. *Cosmol.*); quoniam tamen mundum gubernat per nexum rerum (§. 901. *part. 1. Theol. nat.*), quem sapientia sua constituit (§. 902. *part. 1. Theol. nat.*), quodque naturaliter fieri potest, non demum per miraculum efficit (§. 489.

part.

part. 1. Theol. nat.), quo patrato, sequens seriei pars non amplius manet eadem, quæ alias futura erat (§. 531. *Cosmol.*), nisi per aliud miraculum restituantur effectus, qui naturaliter in iis rebus consecuti fuissent, quæ vi miraculi sunt immutatæ (§. 533. *Cosmol.*); nulla tamen ratio est, cur in usum naturæ admittamus miracula. Considerandum quoque est, per miracula nihil immutari posse in essentiis rerum; (§. 190. *part. 1. Theol. nat.*), sed potius miraculum per essentiam in re, in qua contingit, possibile esse (§. 517. *Cosmol.*). Immo cum istiusmodi corpus, quale casu quodam formatur in utero materno, possibile sit (§. 170. *Ontol.*), nec homo, qui hunc locum in serie rerum habet, aliud corpus habere potuit. Nonne idea ipsius perinde extitit ab æterno in intellectu divino, sicuti rerum quarumvis aliarum, & nonne ideo dicendum, homini, qui locum hunc in serie rerum obtinet, non aliud corpus convenire posse, ita ut, si casus in formatione in utero contingens per miraculum remotus fuisset ex hac serie, non hic, qui jam nascitur, sed homo alius, cui alia prorsus respondet idea in intellectu divino, immo etiam in humano, si in statu possibilitatis consideretur, quemadmodum necesse est (§. 154. *Ontol.*), ad existentiam perducendus fuisset? Cautione tamen hic opus est, ne, quæ accidunt fœtui in utero jam formato, ad essentiam, sed ideam ejus, qua possibile concipitur, referamus, & quæ certa sunt in dubitationem adducamus.

§. 432.

Querelæ de dotibus naturalibus & forma corporis ac robore.

Quoniam homo non potest habere alias dotes naturales, quam quas habet, nec corpus aliam nancisci formam, vel robur aliud (§. 431.); *absurdum est velle, ut Deus alias nobis dederit dotes naturales, quam quas habemus, aut aliam corporis formam, robur majus, vel quod non dederit nobis, quod habent aliis, querelas movere.*

Faci-

Faciunt huc, quæ paulo ante uberius annotavimus (*not.* §. 430.). Neque enim Deus nos aliter facere potuit, quam eramus possibiles, cum in hac rerum serie locum habere deberemus. Ea igitur non repeto. Id saltem adhuc notandum, eum, qui vult, ut Deus sibi alias animi dotes naturales dederit, quam quas habet, aut corporis formam aliam, vel robur majus, revera non aliud velle, quam ut non se, sed hominem alium loco sui fecisset, consequenter se in statu meræ possibilitatis reliquisset: id quod quamvis raro animi sui sententiæ convenire possit, plerumque tamen eidem contrariatur, modo judicium feratur, quando animus ab omni affectuum impetu liber fuerit, ut ex veritate statuere possit. Immo si vel maxime ex animi sententia ita loquaris, quod tamen cogitas, non minus absurdum est, quia Deus, cum existentiam hujus universi decerneret, te ex hac serie eximere non potuit, nullo alio homine possibili, qui locum tibi vindicatum in ea occupare posset, ut mundus permaneret is, qui nunc est (§. 99. *Cosmol.*), consequenter tui causa aut mundum creare non debebat, aut non eum, quem producere sapienter decrevit (§. 641. *part. 1. Theol. nat.*) & qui ipsum maxime decet (§. 334. *part. 1. Theol. nat.*). Ecquis vero est, qui non intelligat, quam arrogans & impia sit hæc postulatio. Quod multi hoc non advertant, ignorantiæ nexus rerum & necessitatis essentiarum tribuendum, aut præconceptæ opinioni, quasi per nexum rerum & necessitatem essentiarum introducatur fatalis omnium rerum necessitas. Utinam omnes & nexum rerum, & necessitatem essentiarum penitus perspicerent! re ipsa enim experirentur, quod non modo in Theologia naturali dogmata abstrusissima facile intelligerent & scrupuli omnes, qui alios vexant, ipsis sine ullo negotio eximerentur, verum etiam in moralibus plurima ad virtutis exercitium, fugam vitiorum utilia cognoscerent, ad quorum cognitionem sine illorum notitia penetrare non licet.

§. 433.

Quomodo acquiescentia in providentia divina concitetur.

Qui in providentia divina acquiescere vult, agnoscere tenetur, quod Deus sanctissimum se probet in conservatione & gubernatione rerum. Deum se sanctissimum probare in conservatione & gubernatione rerum, certum est (§. 1066. *part. 1. Theol. nat.*). Quodsi igitur hoc agnoscamus, cum sanctitas consistat in constante & perpetua voluntate faciendi nonnisi quod rectum est (§. 1063. *part. 1. Theol. nat.*), certi sumus Deum in conservatione & gubernatione hujus universi nil facere, nisi quod rectum est, consequenter nihil, quod reprehendi, aut de quo conqueri quis possit. Quamobrem cum providentia divina sit decretum Dei de conservatione & gubernatione rerum omnium in hoc universo & concursu ad earundem actiones, qui a conservatione dependet (§. 874. *part. 1. Theol. nat.*), & quicquid Deus ab æterno decrevit (§. 504. *part. 1. Theol. nat.*), in tempore faciat, quemadmodum decrevit (§. 525. *part. 1. Theol. nat.*); si sanctitatem Dei agnoscimus in conservando & gubernando hoc universo, quod recte provideat rebus omnibus, nulli dubitamus. Quoniam itaque in providentia divina acquiescit, qui, quicquid a Deo fit, vel permittitur in hoc universo, id recte ab eo fieri pro certo habens, huic judicio convenienter appetitum & aversationem moderatur (§. 1199. *part. 1. Jur. nat.*); qui in providentia divina acquiescere vult, quod Deus se sanctissimum probet in conservatione & gubernatione rerum, agnoscere tenetur.

Qui providentiam divinam agnoscere vult, operam dare tenetur, ut conservatio & gubernatio rerum ipsi sit perspecta (§. 874. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem quæ de conservatione & gubernatione in systemate demonstrata sunt, sibi familiaria reddere & consideratione eorum, quæ in mundo con-

contingunt, quantum datur, confirmare debet. Ita enim convincetur, Deum facere quod rectum est, consequenter quæ ab eo fiunt, approbabit & judicio ejusdem stabit. Pendet appetitus & aversatio ab intellectu (§. 88. *part. 1. Phil. pract. univ.*), qui utramque facultatem dirigit. Quodsi ergo recte sentit de providentia divina, nec fieri poterit, ut appetat, quæ eidem contrariantur, vel aversetur, quod eidem convenit, seu volet omnia fieri, quemadmodum placet Deo.

§. 434.

Quoniam qui in providentia divina acquiescere vult, agnoscere tenetur, quod Deus se sanctissimum probet in conservatione & gubernatione rerum (§. 433.), consequenter quod, quicquid ab ipso fit, vel permittitur in hoc universo, id recte ab eo fiat (§. 1063. *part. 1. Theol. nat.*); *qui in providentia divina acquiescere vult, rectitudinis actionum divinarum convincendus*, consequenter *certus esse debet, eas nulli attributo divino contradicere*, (§. 950. *part. 1. Theol. nat.*), ideoque *Deum facere, quod ipsum decet* (§. 332. *part. 1. Theol. nat.*): quo faciunt, quæ demonstrata sunt in systemate, nimirum quod Deus elegerit mundum, qui ipsum decet (§. 334. *part. 1. Theol. nat.*) & quod in genere velit, quod ipsum decet (§. 335. *part. 1. Theol. nat.*), quod decet eligere, quod in se optimum est (§. 384. *part. 1. Theol. nat.*), & quod optimum est in relatione ad se (§. 385. *part. 1. Theol. nat.*), illud referens ad totum universum (§. 393. *part. 1. Theol. nat.*), hoc ad omnia sua attributa (§. 395. *part. 1. Theol. nat.*), nec ipsum dedeceat permissio mali moralis (§. 586. *part. 1. Theol. nat.*). *Idem porro expenditur.*

Deum esse sanctum, seu omnia, quæ facit, recte ab ipso fieri, a priori multo evidentius agnoscimus, quam a posteriori, propterea quod Deus, quæcunque in mundo facit, non minus ad totum universum, quam ad omnia attributa refert,

ut ideo si nos de facto quodam particulari judicare velimus, hoc referendum foret ad totum universum, & ad omnia Dei attributa: id quod a nobis fieri non posse constat. Actus unicus est, quo Deus hoc universum conservat, gubernat & ad actiones creaturarum concurrit, qui qualis sit ex natura Dei a priori facile deducitur, quemadmodum ex systemate apparet. Sed nos humano more pro modulo intellectus nostri actum unicum dividimus in plures quasi species & hisce subordinamus singulares pro diversitate singularium, quæ fiunt in hoc universo. Quodsi certi simus in rectitudine actus illius unici nihil desiderari, inde tuto colligimus, quodlibet etiam factum singulare rectum esse debere (§. 348. *Log.*): ast si de eodem in singulari, vel etiam in specie ostendere velimus, id a nobis, quorum intellectus nimis limitatus est, fieri haudquaquam posse intelligimus. Abunde autem sufficit, ut in genere agnoscamus rectitudinem actionum divinarum, cum satis certi simus, quod in genere cognovimus, idem etiam in specie, immo in singulari valere de quacunque actione (§. *cit. Log.*). Negari non potest, demonstrationes a priori, cum sint a sensu nimis remotæ, plerisque non adeo evidentes esse, quam si quod in genere verum est in singularibus veluti coram intuentur. Quamobrem etsi in casu singulari, aut particulari dato demonstratio intellectum nostrum transcendat; non tamen propterea prorsus abjicienda est omnis inquisitio in rectitudinem ejus, quod Deus fecit, cum subinde sufficiat aliqua saltem probabilitas, nec utilitate sua destituatur agnitio inscrutabilitatis decretorum divinorum.

§. 435.

Quomodo scrupuli circa rectitudinem eorum, quæ Deus facit, vitentur.

Qui sibi cavere vult, ne circa rectitudinem eorum, quæ Deus facit in hoc universo, scrupuli sibi injiciantur, inscrutabilitatem decretorum divinorum ponderare debet. Decreta divina omni homini inscrutabilia & incomprehensibilia sunt (§. 512. 513. *part. 1. Theol. nat.*), & Deus decernere potest, quæ cur de-

creverit, homo intelligere nequit (§ 514 part. 1. Theol. nat.). Deus eorum, quæ in mundo fiunt, nihil in particulari decrevit absolute spectatum, sed in relatione ad hunc vel istum hominem, nec decerne potest, quod attributis suis repugnat (§. 518. part. 1. Theol. nat.). Homo vero rerum perfectionem & quid sit tam in se, quam in relatione ad Deum ipsum optimum eodem, quo Deus, modo dijudicare nequit (§. 396. part. 1. Theol. nat.). Quodsi ergo hæc ponderemus, verendum non erit, ne scrupuli injiciantur menti, quando in rationem inquirentes, cur Deus hoc vel illud faciat, aut permittat, eandem detegere minime valemus, ut intelligamus, id recte fieri. Quamobrem qui sibi cavere vult, ne circa rectitudinem eorum, quæ Deus facit in hoc universo, scrupuli sibi injiciantur, inscrutabilitatem decretorum divinorum ponderare debet.

Homines de iis, quæ in mundo fiunt, judicantes ea ad se, vel alios homines referunt, & ex utilitate, quam sibi vel aliis præstant, aut damno, quod datur, de iis statuunt, vana opinione imbuti, quasi omnia facta sint propter hominem & ejus utilitati inservire debeant, ut taceam, utilitatem æstimari saltem ex bonis fortunæ ac corporis. Ast hinc minime judicari potest, num quid recte fiat in mundo a Deo, qui omnia ex eo æstimat, quid ad perfectionem totius mundi conferant, ita ut perfectissimum censeatur in suo genere, quod facit ad majorem perfectionem universi (§. 392. part. 1. Theol. nat.), ideoque non decreverit, quod est melius in parte, sed decreverit quod est melius in toto (§. 551. part. 1. Theol. nat.), consequenter imperfectionem in parte permiserit, ut major obtineatur perfectio in toto (§. 548. Cosmol.). Maximum scrupulum injicere hominibus de rectitudine actionum divinarum judicaturis solent mala physica & moralia, itemque dispensatio fortunæ. Ast quæ ad dubium

hoc tollendum faciunt, passim a nobis demonstrata sunt in systemate Theologiæ naturalis, quod parte prima continetur, quamvis etiam huc faciant, quæ in parte altera demonstravimus (§. 384. *& seqq. part. 2. Theol. nat.*). Non igitur opus est, ut repetamus, quæ ibidem dicta sunt & quamvis passim tradita facile tamen reperiri possunt. Consultius tamen est, ut quis systemati integro comprehendendo operam navet, non neglectis iis, quæ ex aliis disciplinis præmittendis supponuntur: tota enim philosophia nostra nonnisi unum systema est, cujus partes sunt disciplinæ singulæ eo ordine combinandæ, quo a nobis in lucem editæ fuerunt. Ita demum nullus metuendus est scrupulus, qui, si vel maxime menti injiciatur, non tamen statim eximi possit. Et monuimus jam alias, nos rationes suasorias, quas lectori attento facile insinuant demonstrationes nostræ, aliis relinquere, cum hæc ab instituto nostro sint alienæ.

§. 436.

An acquiescentia in providentia divina sit peculiaris virtus.

Acquiescentia in providentia divina peculiaris virtus est. Acquiescentia in providentia divina lege naturali præcepta est (§. 1201, *part. 1. Theol. nat.*), consequenter qui in providentia divina acquiescit, actiones suas legi naturæ conformiter dirigit. Quamobrem cum habitus actiones suas legi naturæ conformiter dirigendi virtus sit (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*); acquiescentia in providentia divina peculiaris virtus est. *Quod erat unum.*

Quamvis vero fiducia in Deo non minus nitatur providentia divina, quam acquiescentia in eadem (§. 404.); eam tamen diversam ab hac esse ex collatione definitionum apparet (§. 1186. 1199. *part. 1. Jur. nat.*). Etenim fiducia versatur circa futura, quatenus nos inprimis respiciunt, vel etiam alios, quibus bene cupimus: ast acquiescentia in seipso ver-

versatur circa præsentia & præterita. Præterea in fiducia futura spectantur tanquam bona conferenda, aut tanquam mala ad bonum finem dirigenda, ut saluti nostræ, vel aliorum consulatur: ast in acquiescentia in providentia divina quæ eveniunt spectantur tanquam recte a Deo, causa omnium in mundo contingentium prima (§. 1120. *part. 1. Theol. nat.*), facta, ita ut non habeamus, quod reprehendamus, aut de quo respectu nostri, vel aliorum conqueramur. *Quod erat alterum.*

Quamvis fiducia in Deo & acquiescentia in providentia divina cognatæ admodum virtutes sint, quæ sororio vinculo copulandæ; differentia tamen earum adeo manifesta est, ut pro una eademque haberi nequeant, quamvis vulgo differentia non attendatur.

§. 437.

De eventibus a potestate nostra non pendentibus.

Qui in providentia divina acquiescit, eventus omnes, qui a potestate sua minime pendent, approbat, nec malis physicis, & malo morali alieno turbatur. Etenim cum respectu Dei nihil fiat casu (§. 462. *part. 2. Theol. nat.*) & nihil videri debeat adeo abjectum, cujus Deus non habuerit rationem, cum gubernationem hujus universi decerneret (§. 926. *part. 1. Theol. nat.*), nihilque fiat temere (§. 277. *part. 3. Jur. nat.*), sed Deus omnia, quæ ad hanc seriem rerum spectant, decreverit respectu finis, ob quem decrevit existentiam totius universi (§. 606. *part. 1. Theol. nat.*), nihil frustra faciens (§. 663. *part. 1. Theol. nat.*), malaque physica & ipsa moralia, quæ permittere decrevit (§. 585. *part. 1. Theol. nat.*), in bonum finem dirigens (§. 680. *part. 1. Theol. nat.*); quæcunque in mundo eveniunt, fiunt Deo sic disponente. Quamobrem cum omnes actiones Dei rectæ sint (§. 1059. *part. 1. Theol. nat.*), ut

ut in iis nihil reprehendi possit (§. 950. *part. 1. Theol. nat.*), hanc rectitudinem vero cognoscere teneatur, qui in providentia divina acquiescere vult (§. 433. *h.* & §. 1063. *part. 1. Theol. nat.*); qui in providentia divina acquiescit, eventus omnes a potestate sua minime pendentes approbat. *Quod erat unum.*

Enimvero quod fieri approbamus, id ut fieri nolimus impossibile est (§. 28. *Ontol.*), consequenter moleste ferre non possumus, quod fiat (§. 156. *part. 2. Eth.*). Quamobrem nec mala physica, nec malum morale alienum, quæ sunt in numero eventuum a potestate nostra minime pendentium (§. 175. *part. Jur. nat.*), molestiam nobis creare possunt, *per demonstrata n. 1.* consequenter animum nostrum turbare nequeunt. *Quod erat alterum.*

Notanda quædam sunt, ne in perversum sensum trahatur, quando dicimus in providentia divina acquiescentem eventus omnes a potestate nostra minime pendentes, consequenter etiam mala physica & moralia, approbare, quasi velimus, ut aliis detur damnum & ut homines sint improbi, nobisque damnum alienum & improbitas hominum placeat, quemadmodum id interpretati sunt adversarii mei, qui fortunas meas evertere studebant argumentis ab invidia ductis. Neque enim approbat nisi factum Dei mala physica immittentis & moralia permittentis, qui in providentia ipsius acquiescit, ne in sanctitatem Dei sit injurius, quasi non recte faciat, quod malis physicis & moralibus locum relinquat in hoc universo, ideoque nec adversus Deum murmurat, etiamsi vel a rebus naturalibus, vel ab hominibus malignis sibi noceatur, sed patienter fert, quod emendare non potest, & Deum, quo autore cuncta proveniunt, sine murmuratione sequitur. Atque ita omnia, quæ eveniunt, imperturbato videt animo, nullis affectibus molestis locum relinquens, nec vult ut sua fiat voluntas, sed ut voluntas Domini fiat.

fiat. In eo nimirum consistit approbatio eorum, quæ in mundo eveniunt, ut velimus omnia fieri, quemadmodum fiunt, quia certi sumus, nihil fieri nisi Deo sic disponente. Nimirum qui in providentia divina acquiescit, eventus non in se spectat, nec respectu sui considerat, sed respectu Dei omnia gubernantis (§. 900, *part. 1. Theol. nat.*).

§. 438.

Effectus acquiescentiæ in providentia divina. Quoniam *qui in providentia divina acquiescit*, eventus omnes a potestate sua minime pendentes approbat (§. 437.); *quiescentiæ sorte sua contentus est, nec aliis invidet bona sua, minime offenditur si in bonis mala, malis bona eveniunt, & bonis suis lætatur, si qua vero sibi eveniunt mala, ea animo tranquillo fert*, quemadmodum vult Deus (§. 1198. 1202. 1203. *part. 1. Jur. nat.*).

Arduum omnino est sorte sua esse contentum, aliis non invidere bona sua, & mala tranquillo animo ferre, quamvis nobis admodum salutare sit, si hæc faciamus, nec bonis nostris fruamur, nisi faciamus. Ad tam ardua autem nos ducit acquiescentia in providentia divina, cujus efficacissimum motivum inde petendum. Utinam hoc omnes agnoscerent, & de providentia divina recte sentire addiscerent. Inprimis vellem, ut profani homines, quorum tam ferax est seculum nostrum, huc animum adverterent, & inde intelligerent, quantum & sibi, & aliis noceant, dum impia opinione se & alios privant optimo omnium præsidio adversus omnes molestias, quibus inquietatur animus, & adversus plurima vitia, quæ ex neglectu officiorum, quorum studium facilitat acquiescentia in providentia divina, propullulant, & felicitate, qua frui poterant, ipsos privant, immo infelices reddunt (§. 403. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Immo vellem, ut ad ea quoque animum adverterent, quæ de fiducia in Deo demonstrata sunt, sororio vinculo cum acquiescentia in Deo copulanda, quoniam fiducia in Deo prospicitur tranquillitati animi quoad futura, quemadmo-

dum acquiescentia in providentia divina quoad præsentia & præterita.

§. 439.

Influxus acquiescentiæ in providentia divina in fiduciam.

Quoniam qui in providentia divina acquiescit, eventus omnes a potestate sua minime pendentes approbat (§. 437.), ideoque non vult, ut aliter res eveniant, quam quomodo eveniunt; idem quoque vult ut, quæ futura sunt, ita eveniant, quemadmodum ventura sunt, curam omnem futurorum Deo relinquens: quod cum sit confidentis Deo (§. 423.); *acquiescentia in providentia divina in fiduciam in Deo influit.*

Factum propterea videtur, ut vulgo acquiescentia in providentia divina a fiducia non distingvatur: id quod tamen fieri debere ostendimus (§. 436.). Qui Deo confidit, sperat quod sibi melius: qui in providentia divina acquiescit, præsentia & præterita sibi meliora esse existimat, quam alia. Utrumque pendet ab agnitione providentiæ divinæ, quemadmodnm ex anterioribus patet.

§. 440.

Quomodo votis nostris constanter frui possimus.

Qui in providentia divina acquiescit Deoque confidit, votis votis suis constanter fruitur. Qui enim in providentia divina acquiescit Deoque confidit, sorte sua (§. 438.), ideoque etiam statu suo contentus est, & pro virili agit, quod in statu suo agendum est, operam dans ut recte gerat personam, quam Deus ipsi imposuit (§. 426.), curam vero eventus Deo relinquit (§. 423.), nec alii invidet bona sua, nec si bonis mala, malis bona eveniunt, offenditur, & si qua sibi eveniunt mala, ea animo tranquillo fert (§. 438.). Quoniam itaque non optat alia, quam quæ habet, nec ut præterita, quibus

bus ad statum præsentem perductus est, fuerint alia, nec ut quædam absint, quæ status iste exigit, aut eum comitantur, neque etiam ut in futurum alia eveniant, quam quæ Deus decreverit & quæ ventura sunt; nihil est in votis ipsius, sive præterita, sive præsentia, sive futura spectes, quod tale non sit, quale esse vult. Quamobrem qui in providentia divina acquiescit Deoque confidit, votis suis constanter fruitur.

Valde vereor, ne propositio præsens nimis paradoxa videatur plurimis. Existimaturi enim sunt multa esse, quæ sine ulla reprehensione optamus, ut vel adsint, vel absint. Estne reprehendendus ægrotus, si optet, ut sit sanctus, aut pauper quidam studiosus, si optet stipendium, quo alius abutitur? Nonne homini naturale est, ut appetat quod bonum est, aversetur quod malum est? Enimvero qui ita sentiunt, aut providentiam divinam nondum satis agnoscunt, aut animum ab eadem avertunt, & res, quales in se sunt, non respectu Dei considerant, ut judicium suum judicio Dei confirment, neque prævident, quæ in statu suo consequentur, si præsentia aliter sese haberent, aut is immutaretur. Qui providentiam divinam agnoscit, is certus est, quæcunque naturaliter fiunt, secundum providentiam divinam fieri (§. 930. *part. 1. Theol. nat.*), consequenter quomodo Deus sapientissime decrevit (§. 928. *part. 1. Theol. nat.*), ut ideo fiat, quod optimum est (§. 390. *part. 1. Theol. nat.*) & rectum (§. 1059. *part. 1. Theol. nat.*), ut nullo modo reprehendi possit. Quamobrem qui vult, ut alius sit status suus, quam qui est, vel ut habeat ea, quibus caret, & quæ habent alii, ut præterita, per quæ in hunc statum perductus est, fuissent aliter, aut ut ea eveniant, quæ ipse vult, non quæ Deo dirigente ventura sunt, is involat in jus Dei, cujus est mundum gubernare, & nefanda arrogantia Deo præscribere audet, quomodo mundum gubernare debeat, quasi hoc ipsi melius esset perspe-

ctum, quam Deo, atque ideo vanis desideriis torquet animum, nec bonis fruitur, quibus lætari posset, & inani spe eundem lactat, qua ubi cadit, tædiis opplendum. Quis, quæso, dixerit, in votis istiusmodi nihil inesse, quod reprehendi possit? Accedit, quod absurdum sit optare, quod providentiæ divinæ adversatur: quoniam enim nihil evenire potest, nisi quod Deus decrevit, ut eveniat, quicquid in decreto divino non cotinetur, idem ut veniat impossibile est. Quod volunt fata, hoc est, quod Deus ut eveniat decrevit, non tollunt vota. Enimvero qui in providentia divina acquiescit Deoque confidit, is omnem gubernationem hujus universi ipsi relinquit, in qua suo voluntate nihil mutare potest, & judicio Dei, quem sapientissimum, summe bonum & *sanctissimum* esse novit, non suo stans nil optat nisi ut eveniat, quod ipse voluerit. Quemadmodum itaque in libera actionum suarum directione (§. 179. 409.), ita quoque in iis, quæ extra potestatem suam sunt, voluntas divina ipsi est loco voluntatis propriæ. Atque ita demum non erit, quod in votis nostris reprehendi possit, cum nec in Deum injuria sint, sed *sanctissimæ* ipsius voluntati conformia, nec tendant ad id, quod *impossibile*, sed ad id quod fieri potest, immo certo venturum. Neque dantur præter hæc ulla vota, quorum homines compotes fieri possunt, cetera omnia inania sunt. *Cartesius* in epist. 4. part. 1. ad *Elisabetham* Principem Palatinam *uniuscujusque beatitudinem consistere ait in omnimoda & perfecta votorum suorum ex ratione ordinatorum fruitione*: quod si sano sensu explicari debet, non alia admittenda sunt vota, quam ad quæ ducit acquiescentia in providentia divina & fiducia in Deo. Cetera enim omnia non esse ex ratione ordinata, intelligitur ex iis, quæ modo dicta sunt. Fruimur autem votis nostris, si eventus rerum in salutem nostram convertamus, ut ipsimet experiamur, eos non officere felicitati nostræ, sed eidem servire. Ceterum vota hominum abunde probant, quantum adhuc deficiat acquiescentia in providentia

tia divina & fiducia in Deo. Insinuant vota cupiditates, quæ res extra nos positæ, quæ in potestate nostra non sunt, excitant; sed ea gignere debebat acquiescentia in providentia divina & fiducia in Deo a providentiæ divinæ consideratione ortum trahens. Quæ enim in potestate nostra sunt, non sunt objectum votorum, sed industriæ atque laboris. Frustra optantur, nisi facias quod faciendum, ut ea consequaris. Si qua circa vota oriri adhuc poterat dubitatio, ea tolletur suo loco, quando de praxi officiorum erga se ipsum & erga alios acturi sumus.

§. 441.

Animus tranquillus dicitur, qui ab affectibus molestis omnique tædio liber est: *lætus* vero, qui voluptate perfunditur.

Quinam animus sit tranquillus & lætus.

Non sufficit animum esse liberum ab affectibus molestis, ne simus infelices; sed necesse est, ut etiam fruamur voluptate, ne felicitate privemur. Absentia infelicitatis equidem requiritur, si homo felix esse debet: non tamen tota felicitas in mera privatione consistit, sed aliquid positivi est, utpote status, in quo voluptas vera perdurat (§. 636. *Psych. empir.*). Quamobrem natura nos non modo ducit ad aversandum ea, quæ mala sunt, consequenter quæ molestiam pariunt (§. 590. 569. *Psych. empir.*), verum etiam ad appetendum ea, quæ bona sunt, consequenter quæ voluptatem creant (§. 589. 558. *Psych. empir.*), & non minus felicitatem per naturam suam appetunt omnes (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*), quam infelicitatem aversantur (§. 325. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Necesse igitur est, ut animus tranquillus sit & lætus.

§. 442.

Acquiescentia in providentia divina & fiducia in Deo efficit, ut animo tranquillo & læto semper simus, seu, *qui in providentia divi-*

Medium animi tranquilli ac læti.

divina acquiescit & Deo confidit, ejus animus semper tranquillus & lætus est. Qui enim in providentia divina acquiescit & Deo confidit, sorte sua (§. 438.), ideoque etiam statu suo contentus est, & pro virili agit, quod in statu suo agendum, operam dans ut recte gerat personam, quam Deus ipsi imposuit (§. 426.), curam vero eventus Deo relinquit (§. 423.), nec aliis invidet bona sua &, si qua sibi eveniunt mala, ea tranquillo animo fert (§. 438.), neque etiam vult, ut quæ eveniunt, non eveniant, neque malis physicis, nec malo morali alieno perturbatur (§. 437.), neque dubius rerum eventus ipsum angit (§. 422.). Quamobrem nec cupiditatibus & votis curisque vanis inquietatur animus, nec propter futura angitur, nec mala præsentia eundem excruciant. Quoniam itaque liber est ab affectibus molestis omnique tædio, tranquillus vero est animus, qui ab affectibus molestis omnique tædio liber est (§. 441.); qui in providentia divina acquiescit Deoque confidit, ejus animus semper tranquillus est. *Quod erat unum.*

Enimvero qui in providentia divina acquiescit Deoque confidit, bonis suis fruitur (§. 438.), Deoque obedit (§. 409.) consequenter cum faciat quod Deus vult (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*), actiones suas legi naturæ conformans (§. 278. *part. Phil. pract. univ.*), legem naturæ custodit (§. 138. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque ex bonis, si ea cognoscimus, voluptas percipitur (§. 558. *Psych. empir.*), & custodia legis naturalis felicitas acquiritur & conservatur (§. 396. 397. *part. 1. Phil. pract. univ.*), hoc est, is status, in quo voluptas vera perdurat (§. 636. *part. 1. Phil. pract. univ.*); qui in providentia divina acquiescit Deoque confidit, ejus animus semper voluptate perfunditur. Quamobrem cum animus lætus sit, qui voluptate perfunditur (§. 441.); qui in pro-

providentia divina acquiescit Deoque confidit, is semper læto est animo. *Quod erat alterum.*

Atque jam patet, quod alibi monuimus, & nos in Philosophia morali clarius expositurus esse monuimus, fiduciæ in Deo & acquiescentiæ in providentia divina fructum esse *artem semper gaudendi* (*not.* 1201. *part. 1. Jur. nat.*), fieri autem non potest, ut animo semper tranquillo & læto sis, nisi Deo confidas & in providentia ipsius acquiescas. Monuimus ibidem, *Alphonsum Antonium de Sarasa*, e Societate Jesu, de arte semper gaudendi egregium opus scripsisse. Deducit auautem hanc artem, cum nec aliunde possit deduci, ex principiis divinæ providentiæ & rectæ conscientiæ. Patet vero ex demonstratione propositionis præsentis, custodiam conscientiæ a fiducia in Deum & acquiscentia in providentia divina separari minime posse, quoniam cum fiducia arctissimo vinculo cohæret obedientia (§. 409.), quæ sine custodia conscientiæ non concipitur: id quod satis perspicitur ex iis, quæ de conscientia (§. 417. *part. 1. Phil. pract. univ.*) ejusdemque custodia prolixe demonstravimus (§. 597. *& seqq. part. 2. Phil. pract. univ.*). A providentia divina venit, ne turbemur eventibus, qui a potestate nostra minime pendent, sed lætemur potius: ast conscientiæ habenda est ratio, ne nos perturbent, quæ in potestate nostra sunt, sed ut iisdem potius lætemur. Quantum valeat hæc ars, nemo facile capiet nisi expertus. Opera vero danda erat, ut quilibet ejus vim in se experiretur. Ceterum me vel tacente patet, hunc ipsum fructum fiduciæ in Deo & acquiescentiæ in providentia divina præbere utriusque motivum.

§. 443.

Si nobis persuademus, potuisse Deum nobis conferre bona, quibus fruuntur alii, nos caremus, potuisse avertere mala, quæ nobis eveniunt, & a quibus immunes sunt alii, præsertim si accedat opinio, quasi nos magis mereamur, ut bona nobis conferantur, mala vero avertantur, quam alii, aut saltem non minus; in providentia divina *Cur in providentia divina non acquiescamus,*

na

Deoque diffidamus. *na acquiescere nolumus, nec Deo confidimus, sed diffidimus.* Qui enim sibi persuadet, potuisse Deum sibi conferre bona, quibus fruuntur alii, ipse caret, potuisse avertere mala, quæ nobis eveniunt & a quibus immunes sunt alii; is putat, Deum sibi non bene providere, consequenter nec sperandum esse, ut in posterum bona sibi conferat, quibus gaudere poterit, aut mala avertat, quibus perturbabitur, ideoque suæ curæ relictum esse, ut bona acquirere, mala avertere studeat pro virili. Et si agnoscit, neutrum horum esse in potestate sua, Deum aut res humanas parum curare, aut nostra miseria delectari sibi persuadet. Bonitatem itaque Dei in dubium vocat (§. 696. *part. 1. Theol. nat.*), nec ipsum bonitate gubernare hoc universum arbitratur. Quodsi porro sibi persuadeat, Deum non pro merito distribuere bona & mala, id nec sapienter, nec recte fieri putat, cum suo judicio longe aliter distribui deberent, nisi mala prorsus ex mundo exulare debuissent. Atque ideo in dubium vocat, Deum sapienter atque recte gubernare hoc universum. Quamobrem cum fieri non possit, ut in providentia divina acquiescat, nisi qui agnoscit, quicquid Deus facit, id recte ab eo fieri (§. 434.), nec ipsi confidat, nisi qui pro certo habet, quod sapientia & bonitate sua provideat rebus omnibus in hoc universo (§. 404.) ipsique diffidat, qui se totum resque suas providentiæ divinæ committere non vult (§. 1189. *part. 1. Jur. nat.*); si nobis persuademus, potuisse Deum nobis conferre bona, quibus fruuntur alii, nos caremus, potuisse avertere mala, quæ nobis eveniunt & a quibus alii immunes sunt, præsertim si accedat opinio, quasi magis mereamur, quam alii, ut bona nobis conferantur, mala avertantur, aut saltem non minus, in providentia divina nolumus acquiescere, nec Deo confidimus, sed diffidimus.

Ex

Ex agnitione providentiæ divinæ nascitur fiducia in Deo & acquiescentia in providentia divina. Ignorantia itaque obstat, quo minus Deo confidamus & in providentia divina acquiescamus, & falsa de providentia divina opinio parit diffidentiam & noluntatem acquiescendi in providentia Dei. Aliud nimirum est non acquiescere in providentia divina, aliud nolle in eadem acquiescere, & similiter aliud est non confidere Deo, aliud diffidere. Prius in utroque casu defectus virtutis est, posterius vitii. Ac ideo prius nullam habet causam positivam, posterius autem positivam requirit. Quamobrem in propositione præsenti tam diffidentiam, quam noluntatem acquiescendi in providentia divina deduximus a falsis de providentia divina opinionibus. Hæc autem differentia probe attendenda est in praxi morali. Qui enim providentiam divinam ignorat, eam saltem docendus est: qui vero falsam de eadem opinionem fovet, ei falsa opinio eripienda, falsitatem principiorum ostendendo, ne assensui reluctentur, quem principia vera elicere debent. Præjudicatæ autem opiniones, quæ facultatem appetendi & aversandi corrumpunt, tanto magis officiunt docilitati, quod appetitus & aversatio tacite influat in assensum ab errore in veritatem detorquendum, præsertim cum hic influxus pertineat ad recessus & latebras in animis hominum, de quibus pauci cogitant, nedum in eas inquirunt, ut intelligant, quidnam sit illud, quod assensui præbendo reluctatur, quamvis reluctationis optime sibi sint conscii. Tribuunt autem ignari eandem inevidentiæ rationum, quibus veritas persuadenda, quam depravato appetitui atque aversationi tribuere debebant, nisi prorsus putent certitudinem opinionis suæ niti adversus incertitudinem opinionis alterius, qui veritatem profitetur. Atque hæc ita eveniunt non solum in præsenti, sed etiam in omnibus casibus aliis, in quibus veritatis convincendus, qui erroneis opinionibus imbutus est, præsertim quæ quandam vim habent ad appetitum & aversationem immutandum, & quæ altas in mente radices egerunt.

Ceterum veritatem propositionis præsentis confirmat experientia ubivis obvia. Cum enim perpauci sint, qui Deo recte confidunt, non vero diffidunt, multo autem plures, qui in providentia divina acquiescere nolunt; in rationes saltem inquirendum est, cur Deo confidere & in providentia ipsius acquiescere nolint, & extemplo patebit, eos falsas de providentia divina, aut eidem adversas fovere opiniones. Quæ autem in propositione præsente sumuntur, parumper attentum docent, quomodo in opiniones istas sit inquirendum, ut in apricum producantur.

§. 444.

Quomodo non acquiescentia in providentia divina & diffidentia in Deo tollatur.

Quoniam in providentia divina acquiescere *nolumus*, Deoque diffidimus, si nobis persuademus, potuisse Deum nobis conferre bona, quibus fruuntur alii, nos caremus, potuisse avertere mala, quæ nobis eveniunt & a quibus immunes sunt alii, præsertim si accedat opinio, quasi nos magis mereamur, ut bona nobis conferantur, mala vero avertantur, quam alii, aut saltem non minus; ideo ut evertantur opiniones tam absurdæ, tamque nocuæ, *convincendi sumus necessitatis & immutabilitatis essentiarum* (§. 189. 190. *part.* 1. *Theol. nat.* & §. 299. 300. *Ontol.*), *atque nexus rerum universalis quoad spatium & tempus* (§. 56. 57. *Cosmol.*), *sine quo mundus concipi nequit* (§. 59. *Cosmol* & §. 100. *part.* 2. *Theol nat.*), *quod mundus sit ens unum* (§. 60, *Cosmol.*) & *totum aliquod, cujus entia singula in eodem vel simul, vel successive existentia sunt partes* (§. 61. *Cosmol.*), *quod mundum hunc aliter facere non potuerit, quam fecit* (§. 376. *part.* 2. *Theol. nat.*), *postquam ejus existentiam sapientissime decrevit* (§. 642. *part.* 1. *Theol. nat.*), *ex omnibus possibilibus electi ob majorem perfectionem* (§. 325. *part.* 1. *Theol. nat.*) & *fini per creationem intento convenientissimi* (§. 615. *part.* 1. *Theol. nat.*), *quod eundem gubernet per nexum rerum* (§. 901. *part.* 1. *Theol. nat.*)

sapien-

sapientia & bonitate (§. 902. 903. *part. 1. Theol. nat.*), *quod nullus homo habere possit alias dotes naturales, quam quas habet, nec corpus aliam nancisci formam, nec robur* (§. 431.), *nec ullus homo alium in hac serie locum obtinere queat, quam quem obtinet* (§. 429.), *quod Deus homini pro obedientia præstita nihil retribuere obligetur & bonitati ejus unice acceptum ferendum, si eam beneficiis compenset* (§. 181.) *& homo obedientia sibi consulat* (§. 706. 707. *part. 1. Theol. nat.*), *inobedientia noceat* (§. 202.).

Qui hæc omnia perspicit, quam absurdæ sint quamque nocuæ opiniores, quibus homines fascinantur, ut in providentia divina acquiescere nolint Deoque diffidant, penitus agnoscet. Necesse autem est, ut hæc omnia intime perspiciantur, si a non acquiescentia in providentia divina & diffidentia in Deo purgari debet animus. Quodsi dicas, hæc nimis ardua esse, quod ardua sint non diffiteor: ast nostrum non est fingere veritatem pro arbitrio (§. 292. *part. 1. Theol. nat.*), quæ a Deo est, omnis veritatis autore (§. 290. *part. 1. &* §. 177. *part. 2. Theol. nat.*), & ne libertas quidem voluntatis divinæ in ideas rerum & veritates universales influit (§. 281. *part. 2. Theol. nat.*). Et quia arduum est atque difficile ista omnia intime perspicere, ideo non est quod miremur, cur non acquiescentia in providentia divina & diffidentia in Deo adeo commune vitium sit, ita ut, si vel maxime rationibus suasoriis adductus quis fuerit ad confidendum Deo, facillime tamen in utrumque vitium incidat, immo longe plurimi fere indies in priùs incidant. Cui, quæso, ignotæ sunt querelæ, quod homines Deo tantummodo confidere ac in providentia ipsius acquiescere velint rebus secundis, fortuna autem adversa animos eorum statim in transversum agat? Si intellectus regere debet facultatem appetendi, ut a deviis in rectam viam reducamur, necesse est ut veritatem agnoscamus & ejusdem convincamur. Et philosophi non est acquiescere in rationibus suasoriis, quæ utcunque satisfaciunt vulgo imperito,

perito, vel etiam iis, qui intellectum nondum adeo perfecerunt, ut eodem recte uti possint, quemadmodum in parte prima Ethicæ ostendimus; sed convincere eos, qui acumine pollent ad veritatem dijudicandam sufficiente, ut voluntas sit constans & perpetua, quemadmodum assensus firmus atque immotus. Non tamen quoque est, quod dubitemus, veritate intime perspecta rationes suasorias eligi posse in dato casu magis convenientes. Accedit, quod veritates quoque arduæ ad sensum communem reduci possint (§. 242. *& seqq. part. 1. Eth.*), ut defectus scientiæ suppleatur, quando homines demonstrationem capere nequeunt (§. 422. *part. 1. Eth.*). Atque hoc est illorum, quibus amplior est facultatum usus (§. 177. *part. 1. Jur. nat.*). Hi operam dare obligantur, *ut veritatis intime perspectæ* convincantur, & deinde *aliis eandem* persuadere studeant optimo modo. Quodsi huic officio satisfacerent, doctrinam solidam cum virtute, quantumlibet ardua, in vulgus propagarent. Plura enim fieri possent, quam fieri solet, siquidem rectam studiorum viam ingrederentur, qui studiis operam navant, nec docentium numero importune sese ingererent, qui subinde vix cum laude discentium subsellia occupare debebant. Ast ipsimet non acquiesceremus in providentia divina, nisi ea, quæ immutare non possumus, providentiæ divinæ in totum relinqueremus. Veritatem profitemur & fœcundum semen spargimus; fructum hinc sperandum Deo committimus.

§. 445.

An non acquiescentia in providentia divina & diffidentia sint vitia.

Non acquiescentia in providentia divina & diffidentia in Deo vitium est. Etenim non acquiescentia in providentia divina (§. 1201. 722. *part. 1. Jur. nat.*) & diffidentia in Deo lege naturali prohibita est §. 1190. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem qui in providentia divina acquiescere non vult, Deoque diffidit, actiones suas aliter determinat, quam vult lex naturæ. Quoniam itaque habitus actiones suas aliter determinandi, quam lege naturæ proscribitur, vitium est (§. 322. *part.*

part. 1. phil. pract. univ.); non acquiescentia in providentia divina & diffidentia in Deo vitium est.

Cum ad virtutem requiratur constans & perpetua voluntas non committendi actiones, nisi quæ legi naturæ conformes sunt (§. 328. *part. 1. Phil. pract. univ.*); qui rebus secundis Deo saltem confidit & in providentia ipsius acquiescit, quando Deus annuit votis suis & eventus rerum cupiditatibus suis vel conveniunt, vel saltem non adversantur; ejus fiducia & acquiescentia in providentia divina nondum recta est, sed non acquiescentiæ ac diffidentiæ intus conclusæ labe contaminatur. Hoc autem inde venit, quod nondum rectas teneat de rerum essentia & mundo atque providentia Dei opiniones: quæ quomodo corrigendæ sint, in propositione præcedente ostendimus. Quemadmodum vero supra demonstravimus, acquiescentiam in providentia divina peculiarem esse virtutem, a fiducia distinctam (§. 436.); ita quoque non acquiescentia in providentia divina peculiare vitium est, quod a diffidentia manifesto differt. Atque hæc differentia patet ex differentia, qua acquiescentia in providentia divina a fiducia differt. Cum omnis actio legi naturæ contraria peccatum sit (§. 440. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quantum labe sua utrumque vitium, quod tacite influit in tot hominum actiones, easdem inficiat, facile patet, quamvis vulgo non agnoscatur. Quamobrem qui puritatem animi curæ cordique habet, quemadmodum habere debemus omnes (§. 604. *part. 2. Eth.*), ab utroque sibi cavere debet (§. 99. *parth. 2. Eth.*).

§. 446.

Qui in providentia divina non acquiescit Deoque diffidit, cupiditatibus atque curis vanis animum inquietat & nunc spe inani lactatur, nunc vero metu malorum angitur. Qui enim in providentia divina non acquiescit, is putat, Deum sibi potuisse conferre bona, quibus fruuntur alii, ipse autem caret, vel potuis- *Effectus non acquiescentiæ in providentia Dei & diffidentiæ.*

potuisse a se avertere mala, quæ sibi eveniunt, & a quibus immunes sunt alii. Ideo cupit habere, quod habent alii (§. 387. *part. 2. Eth.*), & quia hæc a Deo non sperat (§. 384. *parth. 2. Eth.*), cupiditas tendens ad bonum obobtinendum (§. 388. *part. 2. Eth.*) ipsi insinuat curam de eo obtinendo, unde nunc metus ob difficultatem obtinendi, quod cupit (§. 395. *part. 2. Eth.*), nunc fluctuatio animi ob mediorum incertitudinem (§. 403. *part. 2. Eth.*), nunc desperatio ob impossibilitatem obtinendi oritur (§. 393. *part. 2. Eth.*), & quatenus alterum indignum esse judicat bonis, quibus fruitur, saltem se non digniorem, invidia concitatur (§. 339. *part. 2. Eth.*). Quoniam vero non alias habere potest dotes naturales, quam quas habet, nec corpus aliam formam nancisci potuit, nec robur majus (§. 431.), neque etiam alium in hac rerum serie locum obtinere potuit, quam quem obtinet (§. 429.); ideo fieri nequit, quin haud raro cupiamus, quæ impossibilia sunt, ut a nobis obtineantur & omnia nostra molimina irrita sint. Atque hoc modo patet, si quis in providentia divina non acquiescit, Deoque diffidit, cum animum cupiditatibus atque curis vanis inquietare. *Quod erat unum.*

Quod si ea consequi studet, quæ habere cupit, aut vitare, quod fugit, & viribus suis confidens id tanquam obtentu, hoc tanquam evitatu possibile sibi repræsentat, spem illud obtinendi, hoc vitandi concipit (§. 384. *part. 2. Eth.*). Ast quoniam in nexu rerum, per quem Deus hoc universum gubernat (§. 901. *part. 1. Theol. nat.*), nihil mutare potest, haud quaquam aliter fieri potest, quam ut sæpissime spe sua cadat, consequenter spe inani lactatur. *Quod erat secundum.*

Denique si quod malum, quod aliis evenit, sibi quo-

quoque obtingere posse cogitat, aut quoddam jam imminere sibi videtur evitatu impossibile, quoniam id in se spectat, non vero in nexu rerum, vi cujus Deus id dirigit ad bonum finem (§. 901. 902. *part. 1. Theol. nat.*); metu angitur. (§. 393. *part. 2. Eth.*). *Quod erat tertium.*

Videmus itaque, quomodo homines in acquiescentia divina acquiescere nolentes Deoque diffidentes animum perturbent atque excrucient absque ulla utilitate, nec unquam ad eam quietem pervenire possint, quæ maxime optanda, & sine qua felices esse nequeunt, cum, si cupiditates vanas & curas inanes missas facerent, spem inanem & metum ambiguum abjicerent, ab omni ista inquietudine liberi forent. Nemo sanus largitur, absurdum esse frustra inquietare animum, cum quiete frui possis. Præsens igitur propositio motivum est abjiciendi non acquiescentiam in providentia divina & diffidentiam in Deo.

§. 447.

Cur homines sibi, hominibus rebusque aliis nimium confidant.

Qui non considerat, nihil in mundo fieri, qualecunque tandem id sit, nisi Deo providente, nec ea, quæ in potestate sua non sunt, satis distinguit ab iis, quæ in eadem sunt; sibi, hominibus rebusque aliis nimium confidit. Qui enim non considerat, nihil in mundo fieri, qualecunque tandem id sit, nisi Deo providente, ubi videt, studio atque labore hominum opus esse ut hoc, vel illud consequantur, is curæ suæ unice relictum esse arbitratur, ut sibi provideat. Quoniam itaque sibi persuadet, se solo usu facultatum suarum & rerum aliarum ope hominumque auxilio consequi posse, quæ cupit, & quia non satis distingvit ea, quæ in potestate sua non sunt, ab iis, quæ in eadem sunt, quicquid sibi placet cupit (§. 387. *part. 2. Eth.*,), nimium vero sibi, hominibus rebusque aliis confidit, qui solo usu facultatum suarum & rerum aliarum ope, hominum-

minumque aliorum auxilio se bona futura consequi, mala vero avertere posse sibi persuadet, quasi nullæ sint providentiæ divinæ in illo consequendo, in hoc avertendo partes (§. 1195. *part. 1. Jur. nat.*); qui non considerat, nihil in mundo fieri, qualecunque tandem id sit, nisi Deo providente, nec ea, quæ in potestate sua non sunt, satis distinguit ab iis, quæ in eadem sunt, sibi, hominibus rebusque aliis nimium confidit.

Neglectus distinctionis eorum, quæ in potestate nostra sunt, & quæ in eadem non sunt, cupiditatibus frænum laxat, nec intra justos terminos eas coërcet: neglectus considerationis providentiæ divinæ usum facultatum nostrarum & *fiduciam* in aliorum hominum auxilio rerumque ope ultra limites *suos* extendit, ut quæ in potestate sua non sunt appetat, tanquam si in eadem essent, & suo studio atque labore, ac rerum suarum ope, &, ubi opus videtur, auxilio aliorum, ea consequi studeat. Nihil fere communius est, quam ut homines sibi, rebusque suis & hominibus aliis nimium confidant, quod providentiam divinam non satis agnoscant, aut falsas de eadem opiniones foveant, certe de ea parum cogitant & ea, quæ consequenda, aut declinanda sunt, ad se tantummodo referant, tanquam suis viribus & aliorum hominum auxilio nonnisi consequenda, vel declinanda. Nimia hæc confidentia de se, hominibus, vel rebus aliis ad omnia negotia humana sese extendit, ut exempla ubivis obvia sint, nec facile quenquam reperies, qui ab hujus vitii labe prorsus immunis sit. Dedimus jam unum & alterum, cum nimiam hanc de se, hominibus rebusque aliis confidentiam definiremus (*not.* §. 1195. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 448.

Quomodo nimia de se, Quoniam sibi, hominibusque ac rebus aliis nimium confidit, qui non considerat, nihil in mundo fieri, quale-cun-

cunque tandem id sit, nisi Deo providente, nec ea, quæ in potestate sua non sunt, satis distinguit ab iis, quæ in eadem sunt (§. 447.), *ne quis sibi hominibusque ac rebus aliis nimium confidat, a se invicem separare debet a potestate sua nullo modo dependentia ab iis, ad quæ ut existant ipse concurrere debet, & in his discernere, quænam sint partes suæ, quænam vero a potestate sua minime dependeant, omnia vero, quæ potestati suæ subjecta non sunt, providentiæ divinæ in totum committere* (§. 1192. *part. 1. Jur. nat.*), *ipse vero quod suum est pro virili agere tenetur.*

hominibus rebusque aliis confidentia tollatur.

Sunt quædam in potestate nostra, quædam non sunt. In potestate nostra non sunt nisi actiones nostræ liberæ, non tamen nostro arbitratu, sed quemadmodum vult Deus, qui legem naturæ nobis præscripsit (§. 274. *part. 1. Phil. pract. univ.*), determinandæ (§. 970. *part. 1. Theol. nat.*). A potestate nostra exemta sunt omnia, quæ ipsi non agimus. Ad hæc vero vel nos concurrere possumus, vel etiam ut concurramus necesse est nostris actionibus, vel ad eadem nihil prorsus contribuere valemus. Exemplum horum sunt tempestates, & ea omnia, quæ natura independenter ab hominum opera & industria agit: pertinent quoque huc hominum aliorum actiones, ad quas ipsimet concurrere non valemus. Ast illorum exemplum sunt ea omnia, ad quæ cum nostris actionibus concurrit natura, veluti larga messis, quæ industriam hominis in agro colendo & tempestatem vegetationi commodam exigit, sunt etiam actiones aliorum, ad quas quomodocunque concurrere possumus, veluti dum favorem patroni nobis conciliamus ad munus quoddam adspirantes. Qui hæc probe discernit, nunquam sibi persuadebit, se iis consequendis sufficere, quæ consequi studet. Ast ne incautus velit viribus suis plus tribuere, quam in iis est, & quæ extra se sunt potestati suæ magis subjicere, quam fieri potest, cupiditate nimia accensus; appetitus moderandus est consideratione Dei bonitate & sapientia sua omnia gubernantis (§. 902. 903 *part. 1. Theol.*

Theol. nat.), nec quicquam facientis nisi quod rectum est (§. 1059. *part.* 1. *Theol. nat.*), ut a nimia de se, hominibusque aliis atque rebus confidentia ad fiduciam in Deo adducatur (§. 404.) & acquiescentiam in providentia ipsius (§. 434.), consiliorum & moliminum omnium suorum frustrationem prævideat.

§. 449.

Motivum contra eandem.

Quoniam sibi, hominibusque atque rebus aliis nimium confidens ea, quæ sunt in potestate nostra, non satis distingvit ab iis, quæ in ea non sunt, nec considerat providentiam divinam sese extendere ad omnia, quæ in mundo fiunt, qualiacunque tandem fuerint (§. 407.); fieri haud quaquam aliter potest, quam ut multa appetat, *quæ consequi* nequit, & in iis consequendis omnem curam adhibeat, ac ubi videt omnia sua consilia, molimina omnia frustrari, perturbetur ac lugeat, & nunc Deum, nunc homines tanquam sibi infestos accuset. Quamobrem *qui sibi hominibusque ac rebus aliis nimium confidit, vanis cupiditatibus & curis animum vexat, a quibus liber esse poterat, & multorum tædiorum periculo sese exponit, quæ vitare poterat.*

Hæc probe consideranda sunt, ut a nimia confidentia de nobis atque hominibus & rebus aliis abstineamus, nec felicitate, qua frui poteramus, excidamus. Consultum est, ut ea quoque legantur, quæ de cupiditatibus & curis vanis metuque futurorum dicta sunt, quibus inquietatur animus in providentia divina acquiescere nolentium Deoque diffidentium (§. 446.), quoniam cum his vitiis nimia de se, hominibus & rebus aliis confidentia multa communia habet, & facilis est ab uno in alterum prolapsus.

§. 450.

Unde nimia

Qui sibi persuadent ab immutabili Dei decreto omnia ita depen-

pendere, ut hominibus circa bona consequenda, mala avertenda nihil relictum sit, aut Deum in tempore decernere, prout casus tulerit, & absoluta potentia decreta sua exequi; Deo nimium confidit. Qui enim sibi persuadet, ab immutabili Dei decreto omnia ita dependere, ut hominibus circa bona consequenda, mala avertenda nihil relictum sit; facultatum suarum aliorumque mediorum usum in iis consequendis, hisce avertendis prorsus negligit, aut temere viribus majora audet, fretus opinione ista pervulgata, quod audaces fortuna juvet, timidosque repellat. Quodsi sibi persuadeat, Deum in tempore decernere, prout casus tulerit, & absoluta potentia decreta sua exequi; Deum facere posse nullus dubitat, quæ cupit, & causas secundas ita determinaturum confidit, ut quod in votis habet, consequatur. Non itaque opus esse, ut de modo, quo negotium aggredi debeat, deliberet, ac de mediis, quibus utendum, de impedimentis, quæ removenda sunt, & de modo, quo removenda, cogitet. Quamobrem denuo usum facultatum suarum aliorumque mediorum negligit. Enimvero qui usum facultatum suarum aliorumque mediorum a fiducia in Deo separat, sibi persuadens se citra eum consecuturum tantundem boni, & evitaturum tantundem mali, quantum boni Deus in eum conferre, quantum mali ab eo avertere decreverit, Deo nimium confidit (§. 1193. *part. 1. Jur. nat.*). Qui ergo sibi persvadet, ab immutabili Dei decreto ita dependere omnia, ut hominibus circa bona consequenda, mala avertenda nihil prorsus relictum sit, aut Deum in tempore decernere, prout casus tulerit, & absoluta potentia decreta sua exequi, Deo nimium confidit.

de Deo confidentia oriatur.

Qui Deo nimium confidit, providentiam divinam agnoscit & se totum resque suas eidem committit, & hactenus bene

ne agit (§. 1186. 1187. *part.* 1. *Jur. nat.*). Ast non agit pro virili, quod suum est, curam saltem eventus relinquens Deo, quemadmodum facit, qui Deo confidit (§. 423.) ideoque usum facultatum suarum aliorumque mediorum in consequendis bonis & avertendis malis negligit, & in eo male agit (§. 1194. *part.* 1. *Jur. nat.*). Fiduciam vero in Deo labe inficit duplex de providentia divina falsa opinio. Altera nititur decreto Dei æterno absoluto: altero absoluta potentia, qua Deus exequi putatur decreta temporaria. Qui prima opinione imbuti sunt, putant Deum pro liberrima sua voluntate dedisse homini dotes naturales & decrevisse omnia ipsius fata certo ventura, quicquid tandem homo agat. Et hunc errorem notavimus in Turcis, qui propter fatalem, quem *statuunt*, vitæ terminum a Deo decretum loca contagiosa non vitant, & in hortis suis arbores sine cultura sibi permittunt (*not.* §. 1194. *part.* 1. *Jur. nat.*). Ast hi, quos tenet altera opinio, sperant Deum saluti ipsorum prospecturum, etiamsi ipsi ignavi sint atque inertes, quasi Deus frustra homini dederit facultates, nec causas secundas instruxerit viribus, ut agant finibus a se intentis & ab hominibus intendendis convenienter, neque *ab* invicem in agendo eædem dependeant. Et hunc errorem notavimus in Neo-Pharisæis, qui habitus infusos solis precibus se consequi posse confidunt, & intellectum verbi divini per enthusiasmum quendam expectant (*not.* §. *cit.*). Uterque error subinde tacite sese insinuat in mentem eorum, qui Deo confidere decreverunt, & fiduciam in Deo labe quadam inficit.

§. 451.

Quomdo nimiæ confidentiæ medeamur. Quoniam *Deo nimium confidit*, qui sibi persuadet ab immutabili Dei decreto omnia ita dependere, ut homini circa bona consequenda, mala avertenda nihil sit relictum, aut Deum in tempore decernere, prout casus tulerit, & absolu-

ſoluta potentia exequi quod decrevit (§. 450.); is *docendus eſt, qui Deo confidit, eum agere debere quod ſuum eſt, curam vero eventus Deo relinquere* (§. 423.), *& operam dare, ut perſonam, quam Deus ipſi impoſuit, recte gerat* (§. 426.), *Deum mundo providere per nexum rerum* (§. 927. *part. 1. Theol. nat.*), *in quarum numero etiam ſunt hominum voluntates, a quibus pendet facultatum ipſis conceſſarum uſus, non vero per miracula continua* (§. 510. *Coſmol.*), *cum per miraculum non faciat, quod naturaliter fieri poteſt* (§. 489. *part. 1. Theol. nat.*).

Non eſt, quod excipias, ſi omnia in hoc mundo eveniunt, quemadmodum Deus decrevit, in decreto Dei etiam contineri neglectum uſus facultatum, quem homo facere debebat. Etenim cum hic pertineat ad malum morale (§. 374. *part. 1. Theol. nat.*), quod Deus velle nequit (§. 581. *part. 1. Theol. nat.*); in decreto divino non continetur niſi tanquam permittendus (§. 585. *part. 1. Theol. nat.*) & ad bonum finem (§. 680. *part. 1. Theol. nat.*), tandemque manifeſtationem gloriæ ſuæ (§. 681. *part. 1. Theol. nat.*) dirigendus (§. 904. *part. 1. Theol. nat.*). In nonnullis negotiis adeo obvium eſt, fiduciam in Deo non patrocinari ſegnitiæ atque ſocordiæ, ut abſurditas neglectus eorum, quæ ex parte noſtra requiruntur, ſtatim in oculos incurrat. Ita nemo eſt, qui non abſurdum putet ſperare a Deo largam meſſem abſque debita agri cultura, aut habitum infuſum lingva exotica loquendi eidem ediſcendæ nullam impendendo operam. Atque hinc enatum eſt pervulgatum iſtud: ora & labora, fiduciam in Deo cum diligentia noſtra conjungens. Et ideo quoque nemo ſanus in dubium vocat, eum, qui vult finem, velle etiam debere media (§. 941. *Ontol.*). Si incendium oritur, ut reſtingvatur nihil intentatum relinquitur, quod in poteſtate eſt. Abſurdum dicent omnes, ſi quis ſuaderet, ut flammam feralem ſævire ſinerent, cujus furori Deus in decreto ſuo immutabili præſcripſerit limites, quos tranſilire nequeat: neque enim limites

præscripsit sine respectu ad diligentiam in restingvendo adhibendam. Ea omittenda non sunt, quæ sunt in potestate nostra, si Deo confidimus (§. 423.): sunt autem in potestate nostra actiones nostræ, sed nihil eorum, quæ extra nos posita sunt (*not.* §. 448.). Nostrum igitur est, ut agamus, quod possumus, cetera relinquenda sunt providentiæ divinæ, ne huic tribuamus, quod culpæ nostræ imputandum. Ne vero parum considerati velimus, ut Deus per miracula nobis provideat, quæ fieri nequeunt nisi potentia ipsius absoluta (§. 518. *Cosmol.*); probe considerandum est, Deum nobis providere per nexum rerum (§. 927. *part.* 1. *Theol. nat.*), ita ut tota rerum natura voluntatem ipsius exequatur (§. 969. *part.* 1. *Theol. nat.*), consequenter potentia sua ordinata, *quæ non* excludit causas secundas. Ne vero quis putet, miraculum non esse, si Deus causas secundas absoluta sua potentia determinet ad agendum, quid sibi velit miraculum recte trutinare debemus (§. 510. *Cosmol.*). Inter naturale & supernaturale non dari medium, alias jam monuimus (*not.* §. 510. *Cosmol.*). Qui itaque supernaturale distingvunt in ordinarium & extraordinarium, ut significatum miraculi faciant restrictiorem, non attendunt entia distingvenda esse per notas intrinsecas, minime vero per extrinsecas. Quicquid autem Deus facit, id vel immediate facit, vel mediate, seu vel sine causis secundis, vel per easdem, ideoque in hoc universo nihil fieri posse concipitur, nisi quod Deus facit vel sine causis secundis, vel per easdem. Et sive supernaturale aliud dicas ordinarium, aliud extraordinarium, ac illud miraculum dici nolis, sed nomen hoc tantummodo huic reserves; de utroque tamen eadem omnia valent, quæ de miraculis demonstravimus (§. 510. & *seqq. Cosmol.*), & non minus frustra expectabis a providentia divina, quod supernaturale ordinarium appellas, quam quod miraculum vocas. Quodsi ergo displiceat nomen miraculi, pro eo in præsenti substitue, me non repugnante, supernaturale ordinarium; de verbis nemo rerum

peri-

peritus tecum litigabit. Toleratur error in hebetioribus atque infirmis, modo non vertatur in præjudicium veritatis, quod virtuti nocet ac incautos in semitam vitiorum trahit: quod cum facile contingat, tanto majore cautione opus est. Vera de re tenenda opinio, si vel maxime in verbis dissentias, quamvis præstaret sicuti in re, ita etiam in verbis esse consensum, præsertim in casu præsente, ubi tam multi in nimiam de Deo confidentiam incidunt vocabuli illusione, quod errori suo tegendo accommodant.

§. 452.

Motivum abjiciendi nimiam confidentiam de Deo.

Qui Deo nimium confidit, jacturam facit bonorum, quorum particeps fieri poterat, & incurrit in mala, quæ evitare poterat, Deoque tribuit, quæ culpæ suæ imputare debebat. Quodsi culpam agnoscit, pœnitentia excruciat animum. Qui enim Deo nimium confidit, usum facultatum suarum & mediorum in consequendis bonis & evitandis malis negligit sibi persuadens Deum sibi citra usum facultatum suarum tantundem boni collaturum & tantundem mali aversurum, quantum decreverit (§. 1193. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum qui Deo confidit usum facultatum suarum atque mediorum in bonis consequendis & malis avertendis negligere non debeat (§. 1194. *part. 1. Jur. nat.*); fieri omnino potest, Deo per nexum rerum in hoc universo, in quo etiam continentur actiones nostræ, nobis providente (§. 927. *part. 1. Theol. nat.*), ut jacturam faciamus bonorum, quæ evitare poteramus, si usum facultatum nostrarum fecissemus, quemadmodum facere potuissemus, aut mediis usi fuissemus, quæ in potestate nostra erant. Patet itaque Deo nimium confidentem jacturam facere bonorum, quorum particeps fieri poterat, & incurrere in mala, quæ evitare poterat. *Quod erat primum.*

Enim-

Enimvero cum non agnoſcat, ſe bonum conſecutum non fuiſſe, aut malum non evaſiſſe, quod facultatum ſuarum mediorumque uſum neglexerit, ſed putet quod Deus illud ſibi conferre, hoc a ſe avertere noluerit; non negligentiæ ſuæ (§. 750. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ſed Deo hoc tribuit. Quamobrem qui Deo nimium confidit, Deo tribuit, quod culpæ ſuæ imputare debebat (§. 758. *part. 1. Phil. pract. univ.*). *Quod erat ſecundum.*

Quodſi contingat, ut agnoſcat, ſe bonum conſequi potuiſſe, vel malum evadere, ſi hoc vel iſtud feciſſet, quod ſe facere potuiſſe deprehendit, quod vel ex aliorum exemplo addiſcere poteſt, ubi cognoſcit quomodo *illi bonum* iſtud fuerint conſecuti, vel hoc malum evaſerint; ut ipſum negligentiæ ſuæ pœniteat, fieri haud quaquam aliter poteſt (§. 359. *part. 2. Eth.*). Quamobrem cum pœnitentia affectus moleſtiſſimus ſit (§. 758. *Pſych. empir.*), ideoque maximo tædio afficiat animum (§. 609. *Pſych. empir.*); ſi qui Deo nimium confidit culpam agnoſcit, cui tribuendum, cur careat bono, quod conſequi potuiſſet, vel inciderit in malum, quod evitare potuiſſet, pœnitentia excruciat animum. *Quod erat tertium.*

Patet itaque, nimiam de Deo confidentiam homini nocere & ad cauſas infelicitatis referendam eſſe. Cum Deus nolit nos negligere uſum facultatum, quas non fruſtra dedit, nec negligere media, ſine quibus finem conſequi non poſſumus (§. 1194. *part. 1. Jur. nat.*); qui neglectu hoc jacturam facit bonorum, quorum particeps fieri poterat, vel in mala incidit, quæ evitare poterat, præter voluntatem Dei faber infortunii ſui eſt. Et ex iis, quæ de nimia confidentia de Deo demonſtrata ſunt, intelligitur, quo ſenſu accipienda ſit pervulgatum iſtud, quemlibet eſſe fortunæ ſuæ fabrum, ne in præ-

præjudicium providentiæ divinæ extendatur, quemadmodum faciunt qui sibi nimium confidentes dicere non erubescunt, quod absque Deo fatorum suorum autores esse possint, aut si tam temerarii non sint, ut ipso ore hoc confiteantur, hanc tamen opinionem non advertentes mente conclusam tenent.

§. 453.

Nimia de Deo confidentia vitium est. Etenim nimia de Deo confidentia lege naturali prohibita (§. 1194. *part. 1. Jur. Nat.*), consequenter qui Deo nimium confidit, actiones suas legi naturæ conformiter minime determinat. Quoniam itaque habitus actiones suas contraria ratione dirigendi, quam lege naturali præscribitur, vitium est (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*); nimia de Deo confidentia vitium est.

An nimia de Deo confidentia vitium sit.

Qui Deo confidere vult ipsi quoque obedire debet (§. 409.) consequenter usum facere facultatum suarum atque mediorum in consequendis bonis & avertendis malis, quem facere potest (§. 1194. *part. 1. Jur. nat.*). Revera ipsi non confidit, qui contra voluntatem Dei fiduciam extendit. Quamobrem fiducia in Deo spuria est, quam nimiam de Deo confidentiam diximus. Et, si nobis cum infirmis negotium est, qui notiones distinctas vocabulis jungere non adsueti facile confunduntur, quando admonentur, ne Deo nimium confidant, quod nimiam de Deo confidentiam de gradu fiduciæ in Deo interpretantur, consultius videtur vitium hoc fiduciam spuriam aut falsam, quam nimiam de Deo confidentiam appellare. In verbis enim faciles esse debemus, præsertim si qua offendiculo sint infirmioribus, & ipsorum maxime intersit, ut rem agnoscant. Vitium vero hoc potissimum infirmorum est, quibus de providentia divina recte sentire difficile est, ut propterea quoque tolerandi sint in ipsis nonnulli errores, qui praxi officiorum erga Deum non officiunt (§. 99.)

§. 454.

De omnibus, quæ fiunt, ad Deum tanquam causam primam referendis.

Qui Deo confidere & in providentia divina acquiescere vult omnia, quæ fiunt, ad Deum tanquam causam primam referre debet. Qui enim omnia, quæ fiunt, ad Deum tauquam causam primam refert, is agnoscit causas secundas non agere nisi dependenter a Deo (§. 1120. *part. 1. Theol. nat.*), & voluntatem ejus exequi (§. 969. *part. 1. Theol. nat.*), consequenter nihil in mundo fieri, nisi Deo volente. Quamobrem omnia bona ad Deum tanquam datorem refert, nec quicquam mali accidere, nisi voluntati ipsius convenienter pro certo habet. Quoniam itaque supponimus, qui Deo confidere debet, eum agnoscere quoque debere, Deum esse sapientissimum, summe bonum in creaturas suas, omnipotentem & quicquid facit, id rectum ac justum esse, utut a nobis comprehendi nequeat (§. 1.); quicquid in mundo fit, id sapientiæ ac bonitati divinæ erga creaturas suas convenienter & recte ac juste a Deo fieri persvasus est. Enimvero qui agnoscit Deum sapientia, bonitate & potentia sua gubernare hoc universum, ipsi confidit (§. 404.), & qui agnoscit Deum omnia recte ac juste facere, in providentia ejusdem acquiescit (§. 434.), inscrutabilitate vero & incomprehensibilitate decretorum divinorum omnes dubitationes repellit, quæ mentem invadere poterant. Qui ergo Deo confidere & in providentia ipsius acquiescere vult, omnia, quæ fiunt, ad Deum tanquam causam primam referre debet.

Cum Deus hunc mundum gubernet per nexum rerum (§. 901. *part. 1. Theol. nat.*) & rebus omnibus in hoc universo provideat (§. 927. *part. 1. Theol. nat.*); Deus creaturis utitur tanquam instrumentis, aut si mavis, tanquam servis, quæ exequuntur suam voluntatem (§. 969. *part. 1. Theol. nat.*).

Ast

Aſt nexum rerum univerſalem nemo hominum perſpicere poteſt, quod per ſe patet. Quamobrem a cauſa proxima, quæ in ſenſus incurrit, ſtatim aſcendendum eſt ad Deum cauſam primam, qui hunc rerum nexum fecit. Nimirum ubi ſiſtitur inquiſitio noſtra in cauſas, a quibus dependet effectus, infinito ſaltu a cauſa proxima, vel remota ſtatim ad Deum aſcendendum, ſine quo non datur ratio ſufficiens ullius, quod in univerſo contingit (§. 90. *Coſmol.*), & in quo terminatur analyſis perfecta cauſarum, per quas determinatur actus ejus, quod contingit (§. 89. *Coſmol.*). In Moralibus itaque, quando ad fiduciam in Deo & acquieſcentiam in providentia divina, & in genere quando ad pietatem excitandi ſumus, hoc, quem diximus, modo omnia referenda ſunt ad Deum tanquam cauſam primam. Et hunc morem tenet ſcriptura ſacra, quemadmodum nemo ignorat, niſi qui eandem non legit, cum ſcopus ejus moralis ſit. Alia vero ratio eſt, ſi quis rerum naturalium ſcientiam acquirere ſtudet in Phyſica, ubi res in genere ſaltem conſiderantur, & extra nexum univerſalem, ut contenti ſimus cauſas proximas agnoviſſe, per quas hoc vel iſtud ad actum perduci poteſt, & ex ipſorum eſſentiis explicasſe, quomodo per eas hoc vel iſtud ad actum perduci queat: neque enim objectum Phyſicæ mundus ſenſibilis eſt, quatenus facta ſingularia, ſed quatenus veritates univerſales continet, ideoque in ea non quærimus rationem ſufficientem eorum, quæ hic vel nunc fiunt in univerſo, quod ſane omni homini impoſſibile eſt, ſed ſaltem rationem in genere, cur hoc vel iſtud fieri poſſit, v. gr. ut pluat, ut grando generetur in nubibus, ut ex ſemine creſcat arbor, ut cibus digeratur in ventriculo & ita porro. Et eadem de cauſa in Moralibus ea, quæ in mundo fiunt, potiſſimum referimus ad cauſas finales, ſeu ad uſum, quem res una alteri præſtat, ac inprimis quem præſtant nobis, ſive is phyſicus fuerit, ſive moralis, quatenus quod in natura fit, eo utimur tanquam motivo in regimine appetitus & facultatis averſandi: quod ut facilius a nobis præſtari poſſet,

quomodo res una servire possit alteri & inprimis nobis, tam quoad usus physicos, quam morales, in genere quoque demonstrandum esse monuimus in Teleologia (§. 85. *Disc. prælim.*), quem peculiarem Physicæ partem esse diximus, hactenus desertam, aut saltem non pro dignitate excultam a Philosophis & rejectam a *Cartesianis*, qui finium considerationem ex Physica proscripserunt, quamvis inter usus & fines rerum perperam distingventes illos minus recte ex numero finium a Deo intentorum eximant (§. 648. *& seqq. part. 1. Theol. nat.*). Hæc disertius inculcare voluimus, ut veritati suus constet honos, nec, ut ultra vulgus nobis sapere videamur, nos privemus firmissimo adversus diffidentiam in Deo & non acquiescentiam in providentia divina præsidio, neque confusione eorum, quæ discernenda sunt, incidamus in errores vel pietati, vel scientiæ adversos, aut indignas concipiamus de Scriptura sacra opiniones. Quamobrem velim, ut quæ dicta sunt probe expendantur.

§. 455.

Quinam errores in hebetioribus tolerandi.

Si quis hebetior fuerit, quam ut necessitatem essentiarum & nexum rerum universalem, sine quibus providentiæ divinæ decretum æternum & ejus in tempore executio penitus perspici nequit, capere possit; in eo tolerandi sunt errores, qui notionem essentiarum arbitrariarum, determinationes causarum secundarum ad agendum a nexu rerum independentes & decreta particularia in tempore facta supponunt, modo persvasissimus sit Deum omnia recte ac juste facere, nec quicquam cœco casu fieri. Quodsi enim quis persvasissimus sit, nil quicquam cœco casu fieri in hoc universo, consequenter nil fieri nisi Deo volente ac dirigente, & quicquid ab ipso fiat, id rectum ac justum esse, si vel maxime non capit, quomodo Deus rebus provideat, & undenam sit, ut sic potius, quam aliter provideat, sed putet pro mero arbitrio Deum dispen-

dispensare bona sua, causas secundas potentia sua immediata ad agendum determinare, prouti visum ipsi fuerit, & in tempore demum decernere, quid hic & nunc facere velit; errores tamen hi ac inde pendentes alii fiduciæ in Deo (§. 404.) & acquiescentiæ in providentia ipsius non nocent (§. 434.). Quamobrem cum opiniones de Deo erroneæ, quæ minime obstant, quo minus officia erga Deum colantur, tolerandæ sint in iis, qui hebetiores sunt, quam ut veritates abstrusas capere possint (§. 99.); si quis hebetior fuerit, quam ut necessitatem essentiarum & nexum rerum universalem, sine quibus providentiæ divinæ decretum æternum & ejus in tempore executio penitus perspici nequit, capere possit, in eo tolerandi sunt errores, qui notionem essentiarum arbitrariarum, determinationes causarum secundarum ad agendum a nexu rerum independentes & decreta particularia in tempore facta supponunt, modo persvasissimus sit Deum omnia recte ac juste facere, nec quicquam cœco casu fieri.

Probe notandum est fiduciam in Deo & acquiescentiam in providentia divina determinari per id, quod infirmus recte sentit de providentia divina, non vero per errorem, qui opinioni rectæ adhæret. Perinde nimirum est, ac si quis propositionem veram non recte demonstrat, aut in Physica phænomeni veri falsam rationem reddit. Falsa demonstratio nihil immutat in veritate propositionis, nec ratio falsa in veritate phænomeni, consequenter praxis, quæ a propositione vel phænomeno pendet, eadem manet, sive illa recte demonstretur, sive minus, & sive vera hujus ratio reddatur, sive falsa. Ponamus Geodætam falsam dare triangulorum similium demonstrationes, hisce non obstantibus recta erit praxis, quæ similitudine triangulorum innitiur. Similiter prolem generaturus faciet, quæ ad generattionem a se fieri debent, quam-

quamvis falſam foveat opinionem de modo, quo ex ſemine virili in uterum immiſſo generatur proles. Et qui vult, ut aqua ebulliat, ahenum aquæ plenum igni ſuperimponet, utut falſam concipiat rationem, quomodo ignis aquam ebullire faciat. Eodem prorſus modo ſeſe res habet, ſi Deo confidens & in providentia divina acquieſcens falſam foveat opinionem de modo, quo Deus gubernat hoc univerſum & ad actiones creaturarum concurrit, perſvaſiſſimus tamen omnia ſic fieri Deo dirigente, & quicquid Deus facit, id rectum atque juſtum eſſe. Dantur Theologi magis pii, quam docti, qui Deum gubernare hoc univerſum ſapientia, bonitate & potentia ſua, & ejus opera omnia recta & juſta eſſe confitentur, atque fiduciam in Deo & acquieſcentiam in providentia divina urgent, pro modulo tamen ingenii ſui providentiam divinam concipientes plebejos errores veritati miſcent, qui tamen in praxi horum officiorum nihil immutant. Horum errores tolerandi ſunt. Quamvis vero non eadem æquitate veritatem profitentium dogmata ferant, ſed tanquam impia damnent; quod imbecillitati judicii tribuendum, non imputandum eſt malitiæ, ne peccet in acquieſcentiam in providentia divina, qui perſpicacior eſt & cui hoc dedit Deus, ut veritatis convictus in ea acquieſcat. Ceterum cum ſupra quædam huc ſpectantia jam annotaverimus (*not.* §. 99.); ea in præſenti repetere nolumus. Etſi vero hebetioribus, quam ut ad veram providentiæ divinæ cognitionem adſpirare poſſint, errores ſui relinquendi ſint, modo ſincere Deo confidant & in providentia ipſius acquieſcant, nec iisdem abutantur, ut Deo diffidant, vel in providentia ipſius acquieſcere nolint; non tamen propterea cognitio vera contemnenda, aut ſaltem negligenda ab acutioribus, quibus Deus dedit, ut eam intimus perſpicere poſſint: quæ enim illis ſatisfacit cognitio, hiſce minime ſatisfacit, ſi ſincero animo Deo confidere & in providentia ipſius conſtanter acquieſcere debent.

CAPUT

CAPUT VIII.

De Celebratione Nominis divini & oratione.

§. 456.

Quænam cognoscenda, ut nomen divinum celebremus.

Qui *Deum celebrare vult, attributa divina earumque magnitudinem, entia in hoc universo existentia tanquam opera divina & perfectionum divinarum specula, eaque omnia, quæ Deus creaturis providens facit in hoc universo, agnoscere tenetur.* Qui enim Deum, seu nomen divinum celebrare vult, attributa divina & opera ejus prædicare debet (§. 1204. *part. 1. Jur. nat.*). Necesse igitur est, ut attributa & opera divina, consequenter non modo entia in mundo existentia, quæ omnia sunt creaturæ Dei (§. 779. 781. & *seqq. part. 1. Theol. nat.*), & ea omnia, quæ Deus creaturis providens in hoc universo facit, ipsi perspecta sint. Enimvero cum verbis extollamus ea, quæ prædicamus, consequenter nostrum de iisdem judicium significemus; celebratio nominis divini laudem divinam continet (§. 364.), & quanti faciamus attributa divina & opera Dei omnesque providentiæ actus, verbis significare tenetur nomen divinum celebraturus. Quamobrem necesse est, ut agnoscat magnitudinem perfectionum divinarum, & quomodo per creaturas nobis easdem patefaciat, consequenter quomodo eædem sint specula perfectionum divinarum, cognoscere tenetur: immo quomodo easdem loquantur omnia, quæ Deus creaturis omnibus providens (§. 925. *part. 1. Theol. nat.*) faciat in hoc universo. Patet itaque, si quis Deum celebrare vult, eum attributa divina eorumque magnitudinem, entia in hoc universo existentia tan-

tanquam opera divina & perfectionum divinarum specula, eaque omnia, quæ Deus creaturis providens facit in hoc universo agnoscere tenetur.

Si accurate inspicimus celebrationem nominis divini, duos potissimum actus continet, quorum altero commemoramus perfectiones divinas & facta, quæ easdem produnt, altero vero significamus, quanti perfectiones divinæ & facta Dei fieri debeant. Duo autem sunt opera divina magna, quæ omnem materiam celebrationis nominis divini præbent, creatio nimirum & providentia, quæ conservationem, gubernationem & concursum ad actiones creaturarum continet (§.922. *part. 1. Theol. nat.*). In iis enim subsistimus, quæ *ex principiis rationis* nobis innotescunt. Theologi ex *lumine revelationis* addunt opus redemtionis, & celebrationem nominis divini amplificant. Sed nos in philosophia morali agimus, quod nostrum est: agant ipsi in Theologia morali, quod suum est. Non convenit Philosopho falcem in alienam segetem immittere. Ubi sistit philosophus, ibi incipit Theologus ea superaddens, quæ Philosopho impervia sunt. Et sic fides scientiæ jungitur, non vero fides & scientia invicem ita permiscentur, ut a se invicem distingvi nequeant, nec philosophia omnem habere possit usum, quem habere debet. Sed redeamus ad id, quod nostrum est. Quando opus creationis expendimus, Deum spectamus tanquam factorem & dominum omnium eorum, quæ in mundo existunt, & tanquam autorem & dominum totius naturæ, ac datorem omnis boni, ideoque entia quævis, quæ in mundo sunt, tanquam opera perfectionem factoris sui manifestantia, seu perfectionum divinarum specula, & tanquam res ipsius proprias, naturam vero universam & nos ipsos tanquam servos ejusdem, qui voluntatem ipsius exsequi debent juxta leges præscriptas. Quando autem expendimus providentiam divinam, Deum spectamus tanquam conservatorem & gubernatorem hujus universi, con-

consequenter non modo perpendimus, quod providentia divina sese extendat ad omnia, quantumcunque vilia & abjecta nobis videantur (§. 925. *part. 1. Theol. nat.*), quod fortuna quoque eidem subsit (§. 932. *part. 1. Theol. nat.*), nec respectu Dei quicquam casu fiat (§. 462. *part. 2. Theol. nat.*) sed & inprimis res referimus ad se invicem atque ad nos, ut appareat, quomodo unumquodque inserviat usibus alterius & præsertim nobis: quo inprimis faceret Teleologia, si in formam scientiæ fuisset redacta, cujus aliquod specimen dedimus in duobus Tractatibus idiomate patrio conscriptis, quorum alter agit de finibus rerum naturalium, alter vero de usu partium corporis humani atque brutorum & plantarum. Vide quæ de modo considerandi Deum & ea, quæ præter ipsum existunt, in celebratione nominis divini alias jam demonstravimus (§. 1207. *part. 1. Jur. nat.*): qua de causa etiam omisimus citationes locorum ex Theologia naturali, in qua demonstrantur, quæ in modo considerandi Deum in celebratione ipsius attendenda esse diximus. Hinc vero apparet, etiamsi in solo opere creationis & providentiæ divinæ subsistamus, amplissimam esse Deum celebrandi materiam.

§. 457.

Unde materia celebrationis nominis divini petenda.

Quoniam qui Deum celebrare vult, attributa divina eorumque magnitudinem, ertia in hoc universo existentia tanquam opera divina & perfectionum divinarium specula, eaque omnia, quæ Deus creaturis providens facit in hoc universo agnoscere tenetur (§. 456.), in systemate autem Theologiæ naturalis abunde demonstravimus, tum quænam Deo competant attributa, & quanta eadem sint, tum quæ de creatione mundi & providentia divina tenenda, & quænam ad opus utrumque referenda sint, & supra in capite primo ostendimus, quomodo ea omnia consideratione hujus universi confirmentur, & quomodo sint consi-

derandæ creaturæ, ut nobis fiant perfectionum divinarum specula, qualia quod in se sint demonstravimus (§. 799. & *seqq. part. 1. Theol. nat.*); *qui veritates in Theologia naturali demonstratas cognoscere & Deum consideratione hujus universi, quemadmodum supra docuimus, agnoscere studet, ei non deerit amplissima laudis divinæ & celebrationis nominis divini materia, haurienda ni*mirum *ex libro naturæ ratione prælucente.*

Vidimus in antecedentibus, quomodo ea, quæ in systemate demonstravimus, faciant ad praxin officiorum erga Deum, nec ad meras speculationes referenda esse, quæ subtilia, nec ad captum vulgi composita videntur. Si quis autem ea cognoverit, is quoque videbit, quod in laudem & *celebrationem* Numinis impendi possint. Non autem *fini huic sufficiunt*, quæ via demonstrationis de Deo nobis innotescunt; sed libro quoque naturæ insenescere debemus, qui legendus ratione prælucente & tot ac tanta continet, ut ei pervolvendo nulla ætas sufficiat. Hæc ut satis intelligantur, uberius declaranda sunt. Primo itaque tenendum est, quid & qualis sit liber naturæ. Equidem nemo est, qui nescat, *Librum naturæ* vocari mundum hunc adspectabilem, quatenus ex iis, quæ in illo existunt atque contingunt, Deum agnoscimus; hoc tamen non sufficit, ut de eodem pro dignitate statuamus. Qui enim putant, mundum per metaphoram dici librum naturæ, quia contemplatione eorum, quæ sunt & fiunt in mundo, in cognitionem de Deo deducimur, quemadmodum lectione librorum acquirimus cognitionem eorum, quæ in iis scripta sunt, nimis vulgariter de eo cogitant. Ut profundius intelligatur, quo sensu mundus, qui existit, sit liber naturæ, cujus autor Deus est, modus considerandus est, quo *Sarasa* in Arte semper gaudendi part. 1. Tract. 5. §. 2. creationem & conservationem explicat. Nimirum ideæ rerum, quatenus sunt ab æterno in intellectu divino, divinæ cogitationes sunt, Deus ipse sunt, non creaturæ, sicut idea solis, quam habemus,

mus, cogitatio noſtra eſt. Quemadmodum vero dum τὸ Sol ore pronuncio verbum efformo, per quod conceptum interiorem, quem de Sole habeo, extra me pono & in lucem profero, ut loqui nihil aliud ſit, quam in lucem edere, quod in mente concipimus; ita quoque Deus, dum conceptum ſuum extra mentem ſuam ponit, & in lucem profert, creaturam efformat mentem ſuum clare eloquens. Et ſic omnis creatura eſt verbum Dei. Quamadmodum vero verbum non durat diutius, quam dum loquor, cum totum ſuum eſſe dependeat ab ore loquentis; ita quoque creaturæ omnes, quæ ſunt verbum Dei loquentis omni momento ut ſint dependent ab actuali loquela Dei. Hinc igitur patet, librum naturæ continere verbum Dei voce viva ad nos loquentis. Sed progrediendum ulterius, quo nobis viam monſtrat notio *Saraſæ* de creatione & conſervatione creaturarum, quam Scripturæ ſacræ conformem probat, & nos ad declarandum, quid ſit Liber naturæ tranſtulimus, ut libri hujus ab aliis libris differentia & cum iisdem convenientia clarius eluceſcat. Ea intercedit differentia inter Librum naturæ & libros alios, quam obſervamus inter imagines naturæ in camera obſcura & imagines ab artifice pictas in tabula. Imagines in camera obſcura res repræſentant cum motu, quo huc illucve aguntur, omnibusque mutationibus ceteris, quas ſubeunt, veluti viventes, cum ceteræ imagines eas repræſentent in quiete absque ulla ſui mutatione, veluti mortuas. Ita etiam verba Dei, quæ ſunt creaturæ, ſunt verba veluti viva, quæ continuas variationes ſubeunt, cum verba in libris ceteris conſtent ex literis immotis. Reſpondent etiam imaginibus in camera obſcura verba Dei loquentis quoad ſubſiſtentiam & conſervationem. Sicut enim hæc continuo creationis actu ſuſtentantur & conſervantur; ita etiam continua luminis modificati actione imagines ſuſtentantur & conſervantur in camera obſcura. Sunt autem perinde verba Dei inimitabilia, ac imagines in camera obſcura, quas nulla ars pictoris imitari valet. Ipſa igitur natura præbet nobis exemplum loquelæ divinæ tanquam repreſentaminis

rei alterius in imaginibus cameræ obscuræ, quæ sunt repræsentamina rerum. Sunt enim utique verba Dei in libro naturæ perinde signa rerum aliarum, quemadmodum verba in libris aliis. Nimirum quemadmodum verba in libris arte humana scriptis sunt signa rerum, quas nos docere intendit autor; ita quoque verba in Libro naturæ signa sunt perfectionum divinarum, quas ex creaturis tanquam operibus ipsius colligimus. Quæ jam a nobis dicta sunt, attentionem lectoris merentur, ne quod vulgo fieri solet, abjecte sentiat de libro naturæ in quo Deus nos docet, quæ de ipso nosse debemus. Deum enim consideratione rerum in hoc universo agnoscentes viva voce loquenti aures præbent. In hoc quoque differentia consistit inter librum naturæ & libros ceteros, *quod in illo sit vox viva, in his mortua*. Quodsi jam id *a Deo nobis* revelari dicitur, quod Deus ad nos loquitur; nonne recte dicitur librum naturæ continere revelationem de Deo & voluntate ipsius. Ast restat, ut adhuc dicamus, quomodo materia laudis divinæ ratione prælucente ex libro naturæ sit haurienda. Nimirum quod via demonstrationis cognoscimus, id rationi conforme est (§. 486. *Psych. empir.*), consequenter si in hauriendo materia laudis divinæ ex libro naturæ utamur veritatibus ex systemate cognitis, ratione prælucente hoc facimus. Ex systemate acquirimus notiones distinctas perfectionum divinarum & magnitudinis earundem & agnoscimus, quomodo creaturæ singulæ sint earundem specula, seu eas repræsentent, & quomodo Deus rebus omnibus ipsique homini provideat. Hisce igitur perspicillis si utamur, consideratio rerum & eventuum in universo per facta Dei nos docet, Deo convenire ista attributa, quæ ratio eidem tribuit, & tanta esse, quanta eadem facit, Deumque hoc modo providere rebus, quem ratio nobis insinuavit. Quamobrem patet rationem esse interpretem libri naturæ & nos ex eodem in agnitione Dei tanto magis proficere, quanto magis ratio beneficio systematis exculta fuerit.

§. 458.

§. 458.

Quoniam materiam laudis divinæ ex libro naturæ haufimus, confiderando res & eventus in hoc univerfo (§. 457.), nihil vero tam vile atque abjectum videri poteft, quod non fit creatura Dei (§. 779. *part. 1. Theol. nat.*), perfectionum divinarum fpeculum (§. 785. *part. 1. Theol. nat.*), & fubfit providentiæ divinæ (§. 925. *part. 1. Theol. nat.*), nec quicquam fit naturaliter nifi fecundum providentiam divinam (§. 930. *part. 1. Theol. nat.*), & ipfa experientia docet, fi minima infecta contemplemur, Deum maximum effe in minimis; *qui nomen divinum celebrare vult, minima quævis contemplari debet, quæ funt in hoc univerfo.* *De confideratione minimorum in hoc univerfo.*

Nobis abjecta & vilia videntur, quæ nullum præbent ufum, aut prorfus damnum dant, cum omnia ad nos referre foleamus & ex ufu, quem nobis præftant, pretium iisdem ftatuamus, præconcepta illa opinione imbuti, quafi omnia propter hominem facta & folus homo propter Deum. Enimvero minimum quodlibet infectum non minus eft verbum Dei, quo fefe homini revelat, quam animal maximum, aut vaftiffimum mundi corpus, & fingulari prorfus ratione fapientiam & potentiam Dei, ut de ceteris attributis jam non dicamus, nos docet. Neque Deus fine ratione per minima quoque perfectiones fuas infinitas & inexhauftas revelat. Ecquis enim eft, qui nefciat, nobis magis admirationi effe, quæ in minimis obfervamus, quam quæ in maximis? Ut igitur rebus in hoc univerfo verum pretium ftatuamus, eas fpectare debemus tanquam verbum Dei ad nos loquentis & de fumma perfectione ac voluntate fua nos inftruentis. Quamobrem optime de humano genere meritus eft naturæ fcrutator folertisfimus & fagaciffimus *Dn. de Reaumur*, qui hiftoriam infectorum exactam nobis dedit, & *Joannes Swammerdam*, Medicus Amftelodamenfis, opus fuum de infectis poft mor-

tem ipsius a Medico celeberrimo *Hermanno Boerhave* in lucem editum Bibliorum naturæ titulo non inepte insignivit: sit ita quod saltem pars sit Libri naturæ verbum Dei se revelantis continentis, aut si mavis enarratio nonnullorm, quæ in libro naturæ continentur. Scripsit *Plinius* Historiam mundi, sed quæ ex inventis recentioribus emendari & augeri merebatur. Quamobrem utilissiam operam sumeret, qui Plinium modernum conscriberet opera & facta naturæ vera recensens, non hypothesibus philosophorum ad historiam naturæ minime pertinentibus volumen implens, ut magnitudo crescat. Cum creaturæ sint verbum Dei (*not.* §. 457.), historia naturalis vera est verbum Dei in scripturam relatum: hypotheses vero philosophorum sunt opiniones commentatorum cum illo non confundendæ. Quoniam verbum Dei sanctum haberi debet, cui nihil addendum, nihil demendum; omni animi sollicitudine sibi cavere deberent historiæ naturalis scriptores, ne falsa immiscerent veris.

§. 459.

Materia celebrationis nominis divini a se & hominibus aliis petenda.

Qui nomen Dei celebrare vult, inquirere debet in bona, quæ tam natura habet, quam quomodocunque acquisivit, & quænam mala Deus a se averterit, vel a quibus se liberaverit, immo etiam quænam bona contulerit aliis, quænam ab illis averterit. Inprimis etiam inquirendum, quomodo mala in bonum finem direxerit. Homo enim Deum celerare debet ob bona sibi aliisque collata (§. 1209. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque etiam ob mala in bonum finem directa (§. 679. 680. *part. 1. Theol. nat.*), & ob aversionem malorum atque liberationem ab iisdem (§. 1210. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum quicquid boni homo natura habet, & quicquid quomodocunque acquirit, consequenter etiam quod malum quoddam absit (§. 756. *part. 1. Jur. nat.*), qui nomen Dei celebrare vult, inquirere debet in bona, quæ tam natura habet, quam quomodocunque acqui-

quisivit, & quænam mala a se averterit, vel a quibus se liberaverit, immo etiam quænam bona contulerit aliis, quænam mala ab aliis averterit, a quibusnam ipsos liberaverit, inprimis etiam quomodo mala in bonum finem dixerit.

Quilibet homo, quatenus creatura est (§. 782. *part. 1. Theol. nat.*) & Deus ipsi providet (§. 925. *part. 1. Theol. nat.*), non minus verbum Dei est, quam ceteræ creaturæ (*not.* §. 457.), sese ipsi revelantis, ut ideo quoque Deum ex seipso cognoscere debeat (§. 1135. *part. 1. Jur. nat.*). Quando nos consideramus, vocem Dei ad nos loquentis audimus, modo ad eam animum attendere velimus, ut ipsum ex nobis agnoscamus. Nunquam nobis deerit Deum celebrandi materia ob ea, quæ nos attingunt. Neque absonum videri debet, quod Deum etiam celebrare debemus ob bona, quæ aliis contulit, et mala, quæ ab aliis avertit, vel a quibus alios liberat. Convenit enim hoc acquiescentiæ in providentia divina, quæ omnem invidiam arcet (§. 438.), atque amori universali omnium hominum, quo imbutus aliena felicitate perinde delectatur ac propria (§. 616. 619. *part. 1. Jur. nat.*). Quibus itaque paradoxum videtur inquirere in bona aliena tam positiva, quam privativa, animo celebrandi Deum; hi abunde produnt, quantum adhuc absint ab acquiescentia in Deo & amore, quo hominem quemcunque complecti debent tanquam seipsum. Deus quoque aliis hominibus bona confert, ipsisque malis, ut bonitatem ejus inde agnoscamus: quam cum verbis extollere debeamus Deum celebraturi (§. 1204. *part. 1. Jur. nat.*), materiam celebrationis nominis divini bona quoque, quæ alii natura habent, vel alio quocunque modo ipsis obtingunt, præbent. Non jam dico de attributis divinis aliis, quæ inde pro diversitate circumstantiarum elucent. Quando vero loquimur de bonis quomodocunque acquisitis, per se patet, excludenda esse bona injuste parta, cum Deus malum morale velle neque-

nequeat (§. 581. *part. 1. Theol. nat.*), nec concurrat ad actiones malas hominum, quatenus malæ sunt (§. 883. *part. 1. Theol. nat.*). Quoniam tamen salva sapientia (§. 726. *part. 1. Theol. nat.*) & bonitate sua (§ 725. *part. 1. Theol. nat.*) id permittit (§. 505. 525. *part. 1. Theol. nat.*) & omnes ejus actiones rectæ sunt (§. 1059. *part. 1. Theol. nat.*); hinc quoque Deum celebrandi materia peti potest, modo mali moralis permissionem intime perspiciamus, ad animum revocantes ea omnia, quæ de eadem in Theologia naturali passim demonstrata sunt. Quicquid enim in mundo a Deo dependet, materiam laudis divinæ nobis suppeditat, modo ejus a Deo dependentiam rite ac sufficienter agnoscamus.

§. 460.

De consideratione quomodo res una inserviat alteri & dependentia unius ab altero in existendo.

Qui Deum celebrare vult, observare inprimis tenetur, quomodo in hoc universo unum inserviat usibus alterius: & quomodo existentia unius dependeat ab existentia alterius. Quodsi enim observemus, quomodo in hoc universo unum inserviat usibus alterius, & quomodo existentia unius dependeat ab existentia alterius, sapientiam (§. 34.) & bonitatem divinam agnoscimus (§. 41. 43. 47.), ut de ceteris perfectionibus nihil dicam, quæ porro hinc elucescunt, prouti facile intelligitur ab eo, qui quæ supra ostendimus de Deo consideratione rerum in hoc universo agnoscendo, ad animum revocat. Quamobrem cum Deum celebraturus attributa divina eorumque magnitudinem, consideratione inprimis rerum in hoc universo agnoscere debeat (§. 456. 457.); qui Deum celebrare vult, observare inprimis tenetur, quomodo in hoc universo unum inserviat usibus alterius & quomodo existentia unius dependeat ab existentia alterius.

Quoniam hæc ex instituto docenda forent in Teleologia (§. 85. *Disc. prælim.*); ad celebrationem nominis divini haud parum

rum conferret, qui hunc philosophiæ naturalis partem excoleret. Et quamvis longe plurima in eam referenda essent, quæ obvia & vulgaria sunt; non tamen ideo operam luderet, qui hunc laborem in se susciperet: neque enim dignitas doctrinæ æstimanda est ex sublimitate, sed ex utilitate. Quænam vero major utilitas concipi potest, quam quæ in promovenda laude divina consistit & ascensum mentis a rebus maxime obviis in Deum juvat, præsertim cum inde quoque pendeant cetera erga Deum officia, de quibus in anterioribus dictum est, & quæ maximum ad felicitatem veram adjumentum afferunt. Omnes felices esse volunt; sed quæ ad eam consequendam maxime faciunt non condonanda oscitantia negligunt. Faciunt ea, quæ propositio præsens inculcat, ut Deus nobis placeat: id quod non parum confert ad amorem Dei concitandum & conservandum (§. 645. *Psych. empir.*), & ad excitandum studium placendi Deo (§.652.542. *Psych. empir.*), ut nos eidem obedientes præbeamus. Quanti vero hoc fieri debeat, ex iis intelligitur, quæ de amore & dilectione Dei atque obedientia eidem exhibenda in anterioribus demonstravimus.

§. 461.

An Celebratio nominis divini virtus sit.

Celebratio nominis divini virtus est. Etenim celebratio nominis divini lege naturali præcepta (§. 1205. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter qui nomen divinum celebrat, actiones suas legi naturali conformiter dirigit. Quoniam itaque habitus actiones suas legi naturali conformiter dirigendi virtus est (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*); celebratio nominis divini virtus est.

Celebrationem nominis divini esse virtutem, probe notandum est, ut ad eam applicentur, quæ de virtute in genere demonstrata fuerunt (§. 323. & *seqq. part. 1. Phil. pract. univ.*): id quod plurimum facit ad praxin hujus virtutis. Ita cum

virtus omnis nonnisi crebro exercitio acquiratur, conservetur & perficiatur (§. 323. 324. *part. 1. Phil. pract. univ.*); in celebrando quoque nomine divino continui esse debemus, præsertim cum indies occurrant, quæ materiam celebrandi Deum suppeditant, modo animum ad ea attendere velimus. Deus enim, qui creaturas omnes conservat (§. 843. *part. 1. Theol. nat.*), ita ut sine conservatione ipsius annihilarentur (§. 859. *part. 1. Theol. nat.*) & ad singulas actiones creaturarum atque naturæ concurrit (§. 874. *part. 1. Theol. nat.*), mundumque gubernans (§. 900. *part. 1. Theol. nat.*) ad certum finem dirigit (§. 899. *part. 1. Theol. nat.*), semper actuosus est, & in celebrando nomine divino effectus naturæ Deo tanquam causæ primæ tribuendi (§. 1206. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 462.

Quomodo Deus recte celebretur.

Quoniam celebratio nominis divini virtus est (§. 461.), ad virtutem vero requiritur constans & perpetua voluntas non committendi actiones nisi legi naturæ conformes (§. 328. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *Deus non saltem ore, sed toto quoque animo celebrandus, omnium facultatum usum in celebrationem Numinis impendendo, ideoque celebratio nominis divini ex cognitione viva eorum, quæ verbis extollimus, proficisci debet* (§. 244. *part. 2. Phil. pract. univ.*).

Nil Deo placere potest, nisi quatenus perfectum est (§. 207. *part. 2. Theol. nat.*), consequenter nec placent actiones hominum, nisi quatenus rectæ sunt, ut in iis nihil desideretur ex parte intellectus, voluntatis ac noluntatis, atque facultatis locomotivæ (§. 79. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Ac ideo in actionibus moralibus animum potissimum respicit Deus. Ipsi ergo placere nequit, si saltem ore nomen ipsius celebremus, animus vero procul ab eo absit. Homines delectantur laude sibi ab aliis tributa, vel quod animum laudantis introspicere nequeunt, vel quod abunde contenti sunt, ut laudentur, quocunque tandem animo id fiat; ast longe aliter sentiendum

endum de Deo, qui corda hominum, quemadmodum vulgo dicitur, ſeu animos eorum ſcrutatur, ut ipſi pateant omnes latebræ atque receſſus in iisdem, & procul abeſt a temeritate hominum faſtuoſorum, qui vanis laudibus delectantur.

§. 463.

De formulis celebrandi Deum ab alio præſcriptis.

Cum celebratio nominis divini proficiſci debeat ex cognitione viva eorum, quæ verbis extollimus (§. 462.); *ſi quis in celebrando Deo utitur formulis ab alio præſcriptis, is non modo intelligere debet, quid formulis iſtis loquendi ſignificetur, verum etiam convictus eſſe, ſeu perſuaſiſſimus veritatis eorum, quæ iisdem ſignificantur.*

Non ſufficit habere animum laudandi Deum ſibique perſvadere, verba, quæ proferuntur, facere ad laudem Dei. Niſi enim intelligas, quid per ea ſignificetur, erunt ſine mente ſoni, nec in ſe ſpectata differunt a ſono, quem edit inſtrumentum muſicum. Homo laudans Deum verbis ab alio acceptis non ſe habere debet per modum inſtrumenti, quo utitur alius ad celebrandum Deum; ſed verba fieri debent ipſius propria, ut ipſe celebret Deum: aliter autem ipſius propria fieri nequeunt, niſi accedant notiones, quas ſignificare debent, cum ſine notionibus non ſint verba, ſed ſaltem ſoni nudi, neque enim ſignum concipitur ſine ſignato (§. 952. 953. *Ontol.*). Quodſi non fueris convictus, aut perſvaſiſſimus veritatis eorum, quæ verbis ſignificantur; echo aliorum es, ſi vel maxime habeas animum Deum celebrandi, putans eo modo celebrari Deum, quo celebrant alii. Sicuti nemo laudari poteſt, niſi ab intelligente, cui ſcilicet perfectio laudati perſpecta eſt, factaque, quibus eam prodidit, nota ſunt (§. 542. *part. 1. Jur. nat.*); ita quoque nemo Deum in veritate celebrare poteſt, niſi qui certus eſt, quæ de Deo prædicat vera eſſe. Quantum hic vulgo peccetur, nemo eſt qui neſciat, modo attentionem ſuam deſiderati non patiatur in iis, quæ obſervat.

Quot, quæso, sunt, qui nuda recitatione formularum præscriptarum laudem Dei absolvi sibi persuadent, & quamvis urgeant præsentiam animi, attentionem tamen non extendunt ultra verborum sonum, contenti vel protulisse verba ex Scriptura sacra deprompta, vel excogitasse loquendi formulas, quæ nescio quid sublime spirare videntur, admirationem suscitantes, quod non intelligantur? Plura huc spectantia dicemus inferius, quando de formulis precum acturi sumus.

§. 464.

De amore Dei, reverentia adversus eundem & acquiescentia in providentia divina in celebrationem Numinis influente.

In celebrationem nominis divini influit amor Dei, reverentia adversus eundem & acquiescentia in providentia divina. Celebratio enim nominis divini proficisci debet ex cognitione viva eorum, quæ verbis extolluntur (§. 462.). Enimvero qui nomen Dei celebrat, attributa divina & opera prædicat (§. 1204. *part. 1. Jur. nat.*), inprimis etiam bona in se collata tam positiva (§. 1209. *part. 1. Jur. nat.*), quam privativa (§. 1210. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum ex cognitione viva perfectionum divinarum & summitatis earundem (§. 223.) & repræsentatione beneficiorum divinorum concitetur amor Dei (§. 228.); amor Dei in celebrationem nominis divini influit. *Quod erat primum.*

Qui Deum celebrat, attributa divina & opera prædicat (§. 1204. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque verbis extollit. Enimvero qui attributa & opera divina verbis extollit, quanti Deum faciat actu externo declarat, consequenter reverentiam ipsi exhibet (§. 1182. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem reverentia adversus Deum in celebrationem nominis divini influit. *Quod erat secundum.*

Denique qui nomen Dei celebrat, opera ejus prædicat (§. 1204. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter omnes effe-

ctus

ctus naturæ Deo tribuens tanquam causæ primæ (§. 1206. *part. 1. Jur. nat.*) & Deum sibi tanquam gubernatorem hujus universi repræsentans (§. 1207. *part. 1. Jur. nat.*), quæ fiunt Deo dirigente in hoc universo approbat. Quoniam itaque agnoscit, quicquid Deus facit in conservatione & gubernatione hujus universi, id rectum & justum esse (§. 1072. *part. 1. Theol. nat.*), atque id ipsum ore profitetur, qui vero rectitudinem actionum divinarum agnoscit, in providentia Dei acquiescit (§. 434.); in celebrationem nominis divini acquiescentia in providentia divina influit. *Quod erat tertium.*

Quando in philosophia morali de celebratione nominis divini agitur, Deum non tantum ore, sed toto animo (§. 462.), ideoque in veritate celebrari supponimus. Atque tum fieri nequit, ut amor Dei, reverentia adversus eundem & acquiescentia in providentia ipsius a celebratione Numinis separetur. Quando enim Deum celebramus, ea nobis repræsentamus, quibus amor Dei, reverentia adversus eundem & acquiescentia in providentia ipsius concitatur. Quodsi ergo quis hoc in seipso nondum experiatur, id certo indicio est, quod Deum nondum in veritate celebret, sed saltem consvetudinem Deum ore celebrandi contraxerit, aut minimum multi adhuc in celebratione notentur defectus. Supponit celebratio nominis divini cognitionem Dei vivam (§. 462.), ex qua nascuntur officia erga Deum (§. 1.). Qui ergo vacuum ab iis virtutibus, quibus exercitium officiorum erga Deum continetur, adhuc possidet animum; Deum quoque in veritate nondum celebrare potest, & defectus, quibus laborant virtutes istæ, in celebrationem Numinis redundant. Clarius hæc omnia elucescunt, si perpendantur ea, quæ de singulis officiis erga Deum demonstrata sunt, & cum his conferantur, quæ de celebratione nominis divini demonstrantur. Quoniam enim officia erga Deum omnia ex agnitione Dei viva resultant, fieri quoque

haud aliter poteſt, quam ut omnia ſimul excitentur, ſi certam habere ſtudemus Dei cognitionem & quæ de Deo cognoſcimus probe perpendimus. Et quamvis fieri non poſſit, ut eorum omnium, quæ perceptiones noſtras ingrediuntur, omniumque commotionum appetitus, quæ hinc oriuntur, ſigillatim ſimus conſcii; hoc tamen non obſtante in ſtatum celebrantis Deum influunt tacite, ut confuſe percepto inſint. Atque hinc pro gradu virtutum theologicarum a gradu agnitionis vivæ Numinis pendente variat ſtatus celebrantium Deum in veritate, & qui hoc in ſeipſo experiri voluerit, dum in virtutibus iſtis proficit, attendat animum ad ſenſum internum, quo ſtatum animi appercipit, dum Deum celebrat. Status animi variatur virtutum iſtarum incremento, ac *inde porro* dependet variatio ſtatus Deum celebrantis. *Pertinent hæc* ad experientiam moralem, quæ ſingulare acumen requirit, quod nobis naturale non eſt, ſed acquirendum. Quod vero idem non acquiramus, culpa noſtra contingit, quod ad ſtatum animi internum non attendere ſolemus, multo minus inquirimus in rationem, cur talis ſit & undenam veniat quæ in eodem notatur diverſitas. Plurimum tamen refert, ne in eo nos negligentes præbeamus, cum, quando dulcedinem continuo creſcentem experimur, ardor proficiendi continuo majora capiat incrementa. Atque ideo condonandum hominibus magis piis, quam doctis, ſi Deum celebrantes erumpant in verba, quibus pro modulo ingenii ſui *ſignificare* intendunt ſtatum animi confuſe percepti, quem alteri intelligibili modo explicare nequeunt, ita ut ipſi videantur ſine mente ſonus, cum ſtatus iſtius nullam habeat notionem. Aſt acutioribus convenit, ut ſtatum animi Deum in veritate celebrantium diſtincte explicent & verbis magis perſpicuis in eodem diſcernenda exprimant, ad Deum in veritate celebrandum alios incitaturi. Neceſſe autem eſt, ut, ſi hoc facere velint, ipſimet Deum in veritate celebrare ſtudeant, cum in Moralibus & pſychologicis ab illis nunquam ſeparandis ad intelligendum

dum dogmata magnum momentum habeat experientia domestica (§. 264. *part. 2. Phil. pract. univ.*).

§. 465.

Quoniam in celebrationem nominis divini influit amor Dei, reverentia adversus eundem & acquiescentia in providentia divina (§. 464.), amor vero Dei plurimum confert ad felicitatem hominis (§. 251.), ut Deo fruatur (§. 253.) & notionem veræ voluptatis acquirat (§. 254.), reverentia adversus eundem animum submissum exigit (§. 383.) & qui in providentia ipsius acquiescit, ejus animus non perturbatur (§. 437.), sed semper tranquillus ac lætus est (§. 442.); *qui Deum indies celebrat felicitate sua atque Deo fruitur, veramque voluptatem in pretio habet, & animus ejus erga Deum submissus, in se imperturbatus, tranquillus atque lætus efficitur*, cumque celebratione Numinis amor Dei, reverentia adversus ipsum & acquiescentia in providentia divina continuo resuscitentur, habitus vero acquisitus continuo usu conservetur & perficiatur (§. 431. *Psych. empir.*), *qui Deum indies celebrat, in amore Dei, reverentia adversus ipsum & acquiescentia in providentia ipsius continuo proficit.* *De effectu celebrationis nominis divini.*

Quam dulce sit celebrare nomen Domini experti confitentur, qui Deum in veritate celebrare didicerunt. Dulcedinem hanc creat amor Dei, qui per animum Deum celebrantis diffunditur, eandem singulari quodam modo temperat submissio animi, quam reverentia adversus Deum excitat, ut ejus gustus sit acceptior, & acquiescentia in providentia divina auget, tum quatenus arcet perturbationem animi, quæ eam imminuere poterat, tum quatenus animum tranquillum reddit & gaudio perfundit. Ipsa hæc dulcedo motivum est celebrandi Deum, quod a gustu ejusdem vim majorem acquirit. Quatenus vero

vero Deum indies celebrans in amore Dei, reverentia adversus ipsum & aquiescentia in providentia ipsius continuo proficit, celebratio harum virtutum conservandarum & perficiendarum medium est. Simul quoque hinc apparet, magis nostra referre, quam Dei interesse, ut nomen ejus indesinenter celebremus. Immo si quis ea considerat, quæ de amore Dei, reverentia adversus ipsum atque acquiescentia in providentia divina demonstravimus, materiam quoque laudis divinæ unde petenda sit hinc addiscet.

§. 466.

Quando gratiarum actio ad celebrationem nominis divini accedat.

Qui nomen Dei celebrat in veritate ob bona sibi aliisque collata, vel mala a se versa, gratias quoque eidem agat necesse est. Qui enim nomen Dei in veritate celebrat ob bona sibi collata & mala aversa, cum ea omnia bonitati divinæ unice tribuenda esse (§. 698. 734. & *seqq. part. 1. Theol. nat.*), & quia tanquam omnium dominus de omnibus pro lubitu suo disponere potest (§. 966. 959. *part. 1. Theol. nat.*), nihil eorum sibi deberi agnoscat, tam bonorum collationem, quam malorum aversionem beneficiis divinis accenset (§. 17. 19. 21. *part. 4. Jur. nat.*). Quamobrem cum beneficiorum agnitione gratitudo concitetur (§. 377. *part. 2. Eth.*), hæc autem tendat ad bonum bono referendum & gratias agendum (§. 381. *part. 2. Eth.*), sed homo nil habeat, quod Deo dare possit præter voluntatem suam, eidem nimirum obedientem se præbendo (§. 179.); ob beneficia accepta Deum celebrans animum quoque Deo obediendi, consequenter officia a nobis debita præstandi (§. 173.) significat. Quoniam itaque Deo gratias agit, qui ob bona sibi collata & mala a se aversa nomen Dei celebrans una significat voluntatem præstandi officia debita (§. 1211. *part. 1. Jur. nat.*); qui nomen Dei in

in veritate ob bona sibi collata vel mala a se aversa celebrat, eidem quoque gratias agat necesse est. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam Deum quoque celebrare debemus ob bona aliis collata (§. 1209. *part. 1. Jur. nat.*) & mala ab ipsis depulsa (1210. *part. 1. Jur. nat.*); quemadmodum se, ita etiam alios hoc nomine obligatos habere debere animum Deo præstandi officia debita agnoscit. Cum vero ipse ad hoc nihil conferre possit, in votis tamen subsistit, ut etiam alii beneficia divina agnoscant & eorum agnitione compellantur ad officia debita præstandum: quæ vota ubi accedunt ad celebrationem nominis divini ob beneficia aliis præstita, pro aliis Deo gratias agit. *Quo erat alterum.*

Beneficia divina prædicare nondum est gratias agere pro beneficiis acceptis. Sola enim prædicatione tantum significatur beneficia nobis accepta esse & ubi aliis exhibita fuerint pretium iisdem statuitur. Quodsi pro beneficio accepto gratias agimus, nos benefactori devinctos esse declaramus ad officia, quæ a nobis proficisci possunt, vicissim præstanda. Immo idem declarare solemus, si benefactori pro beneficio in alium collato gratias agimus. Nemo est qui hoc nesciat. Nec obstat, quod jam naturaliter ad quævis officia, quæ in potestate nostra sunt, benefactori obligati simus: accedit enim hinc obligatio nova, quæ priorem non tollit, sed cum eadem copulata eandem fortiorem efficit. Non difficulter itaque hæc etiam applicantur ad gratiarum actionem, quam Deo debemus (§. 1212. *part. 1. Jur. nat.*). Differunt etiam respectu Dei celebratio nominis divini ob bona in nos & alios collata & mala a nobis atque aliis depulsa, a gratiarum actione, quamvis hæc sine ista subsistere nequit. Immo idem patet ex modo facta Dei considerandi. In nuda enim celebratione ea, quæ Deus facit, considerantur tanquam nobis, vel aliis bona, in gratiarum actione tanquam beneficia, quatenus scilicet spectantur tanquam gratis accepta: hac enim consideratione demum concitatur graditudo, quæ animum

præstandi officia debita, quæ Deus a nobis exigit, gignit, *ita* ut turpius judicetur Deo tam benigno obedire nolle. Cum obligemur ad faciendum, quod Deus vult, quatenus Deus nobis præbet motiva faciendi (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*); nec insolens est, quod etiam beneficiis suis nos obliget ad actiones nostras voluntati suæ conformandas. Immo nec absonum est, si dicamus, nos quoque pro beneficiis, quæ aliis præstitit, ad obediendum ipsi obligari. Nonne enim inde agnoscimus bonitatem Dei, & nonne bonitas Dei in se spectata motivum esse potest actiones nostras voluntati divinæ conformandi?

§. 467.

Quod Deo gratias agens obedientiam spondeat.

Qui Deo gratias agit, obedientiam ipsi spondet. Qui enim Deo gratias agit, significat voluntatem præstandi officia debita (§. 1211. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter actiones suas juxta legem naturæ (§. 225. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque voluntati divinæ conformiter determinandi (§. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque Deo obedit, qui prompte facit, quod Deus vult (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*); qui Deo gratias agit, obedientiam ipsi spondet.

Sine sponsione obedientiæ non concipitur gratiarum actio. Gratias agens animum gratum declarat (§. 44. *part. 4. Jur. nat*). Animus gratus consistit in voluntate faciendi, quod Deo placet, seu quod Deus vult ut faciamus, cum præter voluntatem suam non habeat homo, quod Deo dare possit (§. 179. *h.* & §. 31. *part. 4. Jur. nat.*). Deo igitur gratias agere nihil aliud est quam declarare voluntatem suam faciendi, quod Deus vult. Quoniam vero animum, quem declaramus, habere quoque debemus, quod nemo in dubium vocare ausit; declaratio hæc utique continet obedientiæ sponsionem. Nemini hoc videbitur dubium, nisi qui formulas agendi gratias ab aliis præscriptas saltem recitare didicit, non non vero edoctus est, quid sibi velint verba, quando dicit: Ago tibi, Deus, gratias pro beneficiis a te acceptis. Non est, quod

quod excipias, gratiarum actionem saltem esse declarationem agnitionis beneficii. Hæc enim pertinet ad laudem divinam, quæ in ea terminatur, non vero sufficit ad gratiarum actionem (*not.* §. 466.). Vide, quæ alias jam annotavimus (*not.* §. 1211. *part.* 1. *Jur. nat.*).

§. 468.

Quoniam qui Deo gratias agit obedientiam ipsi spondet (§. 467.); *si qui Deo gratias agit, ipsi obedientem sese non præbet, fidem Deo datam fallit* (§. 758. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quoniam igitur Deo obedire jam obligamur, etsi fidem ipsi non dederimus (§. 1165. *part.* 1. *Jur. nat.*); *gratiarum actio parere debet sollicitudinem animi, ne quid faciamus, quod voluntati Numinis adversum*, consequenter cum in hac sollicitudine consistat timor Dei filialis (§. 1177. *part.* 1. *Jur. nat.*), *gratiarum actio in timorem filialem influit*, eum nimirum alendo.

Quod inobedientia fides data fallatur & influxus gratiarum actionis in timorem Dei.

Cum Deo in dies gratias agere debeamus (§. 1212. *part.* 1. *Jur. nat.*), gratiarum actio conservat memoriam fidei de obedientia Deo data & stimulus est ad timorem filialem, quem excitat, conservat & auget. Officia erga Deum in se mutuo influunt, & præstationem mutuo influxu facilitant. Influxum hunc facile perspicit, qui, quæ de singulis demonstramus, expendit. Eum autem perspectum habere debet, qui facilitatem præstandi officia expertus, undenam ea sit cognoscere vult: id quod Philosophi est (§. 6. *Disc. prælim.*). Ast ubi in apricum productus, omnibus utilis evadit, qui Deum sincero animo colere volunt, quemadmodum debent, & utiliter urgetur ab iis, qui aliorum moribus formandis præsunt. Agnoscitur quoque hinc turpitudo inobedientiæ ejus, qui Deo gratias agere non erubescit, cum nondum habet propositum firmum obediendi. Sit enim ita, quod habeat propositum eo momento, quo gratias agit; propositum tamen momentaneum a firmo procul adhuc abest. Et quamvis jam in se turpe sit non obedire Deo; turpitudo tamen augetur, si

fides toties data fallitur, immo si fallitur, quando vix data.

§. 469.

De studio placendi Deo.

Gratiarum actio promovet studium placendi Deo. Qui enim Deo gratias agit, nomen ejus celebrat ob bona sibi aliisque collata, vel mala aversa & sublata (§. 1211. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter ob beneficia sibi vel aliis præstita (§. 21. *part. 4. Jur. nat.*). Enimvero in celebrationem nominis divini influit amor Dei (§. 464.). Quamobrem cum hic tendat ad studium placendi Deo (§. 234.); gratiarum actio promovet studium placendi Deo.

Ostenditur etiam hoc modo. Qui Deo *gratias agit*, obedientiam ipsi spondet (§. 467.), consequenter nisi fidem datam fallere velit (§. 758. *part. 3 Jur. nat.*), ut Deo sese obedientem præbeat studere debet. Enimvero cum Deo placere studeamus, si operam damus, ut nos eidem obedientes præbeamus (§. 237.); gratiarum actio stimulus est ad studium placendi Deo, ideoque id promovet.

Fieri non potest, quin studium Deo placendi incendatur gratiarum actione, si ea fiat sincero animo, non vero tantummodo ore gratias agamus, aut ignorantes, quid sibi velit gratiarum actio, aut ad verborum, quæ ore proferuntur, significatum animum non attendentes, ut de hypocritis jam nihil dicamus, cum quibus nobis in præsenti nullum est negotium. Quamobrem si quis putet, se Deo gratias agere, non tamen sibi conscium esse voluntatis placendi Deo, nedum sentire, quod gratiarum actione stimuletur ad studium placendi Deo; agnoscat necesse est, se nondum in veritate Deo gratias agere, &, si vel maxime habeat animum gratias Deo agendi, gratiarum tamen actionem deficere a rectitudine sua. Ignorantia & incogitantia, quæ in defectu attentionis consistit (§. 748. *part. Phil. pract. univ.*), veritati præjudium non facit.

§. 470.

§. 470.

Quoniam gratiarum actio promovet studium placendi Deo (§. 469.), qui vero studet placere Deo, seu facere ea, quæ Deo placent, Deum diligit, & habitus diligendi Deum charitas est (§. 241.); *gratiarum actio charitatem promovet.* *De charitate gratiarum actione promota.*

Charitas promovetur, si habitus diligendi Deum continuo perficitur. Quamobrem cum gratiarum actione stimulemur ad studium placendi Deo, ideoque ea faciamus, quæ Deo placent, consequenter eum diligamus, habitus autem omnis continuo usu perficiatur (§. 431. *Psych. empir.*); gratiarum actione charitas promoveatur necesse est. Reddit ea hanc nobis continuo magis magisque familiarem, ut lubentissime absque ulla repugnantia faciamus, quod Deo placet, gratiarum actione influente in dilectionem, quamvis de eo non cogitemus.

§. 471.

Similiter quia gratiarum actio promovet studium placendi Deo (§. 469.), Deo autem placere aliter non possumus, quam si nos obedientes præbemus (§. 237.), consequenter si faciamus, quæ voluntati ipsius conveniunt (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*), seu legi naturæ actiones nostras conformare studeamus (§. 278. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque officia prompte præstemus (§. 225. *part. 1. Phil. pract. univ.*), gratitudo vero erga Deum virtus est, qua ob bona nobis collata vel mala depulsa præstatione officiorum prompta eidem placere studemus (§. 1213. *part. 1. Jur. nat.*); *gratiarum actio gratitudinem quoque erga Deum promovet.* *De gratitudine erga Deum perversam eandem promota.*

Probe notandum est, nos hic non contendere, quod gratiarum actione concitetur gratitudo, ita ut ea sit medium gratitudinem consequendi, & qui gratus erga Deum esse velit, necesse habeat, ut ante Deo gratias agere discat. Aliud enim

 est

est gratitudinem erga Deum acquirere, aliud eandem promovere, seu acquisitam perficere. Ad gratitudinem jam dispositus esse debet animus, quando gratias agimus, cum gratiarum actio non concipiatur sine significatione voluntatis præstandi officia debita (§. 1211. *part. 1. Jur. nat.*). Ast cum gratiarum actio memoriam grati animi conservet, & quod eundem Deo promiserimus memores simus (§. 467.); ut actu grati simus erga Deum, ea nobis adjumento est, sicque ad eos actus concurrit, quibus gratitudo tanquam habitus perficitur. In actionibus hominum & habitibus moralibus acute singula discernenda sunt, si omnia penitus cognoscere velimus, quæ in praxi attenda sunt. Qui contra suum propositum agere non vult, ejus semper memor esse debet (§. 432. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Ea vero memoria retinemus, quorum ideam sæpius in nobis reproducimus (§. 181. *Psych. empir.*). Ecquis vero est, qui nesciat, non simplici vice per diem nos gratias agere, saltem agere debere, ut nonnisi culpa nostra omittatur gratiarum actio, veluti mane, dum evigilamus, vespere, dum cubitum imus & tam post cœnam, quam prandium, ut taceam casus emergentes, in quibus gratiæ Deo sunt agendæ?

§. 472.

Medium gratitudinis erga Deum & gratiarum actionis. *Qui gratus erga Deum esse vult ipsique non ore saltem, sed toto animo gratias agere; bona, quæ natura habet, vel quomodocunque consecutus est, & quæ ipsi eveniunt, mala, quibus caret, aut quæ ab ipso depulsa sunt, sibi repræsentare, Deum horum omnium autorem agnoscere & eadem beneficiis divinis accensere debet.* Qui enim erga Deum gratus est prompta officiorum præstatione eidem placere studet, ob bona a Deo collata, vel mala depulsa (§. 1213. *part. 1. Theol. nat.*) & qui Deo gratias agit ob bona sibi collata vel mala a se depulsa eum celebrat & voluntatem propterea præstandi officia significat (§. 1211. *part. 1. Jur. nat.*) Quamobrem cum per se pateat

pateat, Deum homini nihil debere, quia nulla fingi potest ratio, cur quid debeat, nec nos quicquam habeamus, quod Deo retribuere valeamus; ideo & gratis confert bona, & gratis mala depellit (§. 18. *part. 4. Jur. nat.*), consequenter & bonorum collatio, & malorum depulsio beneficium divinum est (§. 21. *part. 4. Jur. nat.*). Quicquid vero homo natura habet boni, & quicquid quomodocunque acquirit, id omne Deo datori acceptum referre debet (§. 1208. *part. 1. Jur. nat.*). Quodsi ergo gratus erga Deum esse velit, nec saltem ore, sed toto animo gratias agere; necesse est, ut bona, quæ natura habet, vel quomodocunque consecutus est, & quæ ipsi eveniunt, sibi repræsentet, una cum malis, quibus caret, aut quæ ab ipso depulsa sunt, & ut agnoscat, quod bonorum sit particeps, a malis liber, id Deo unice esse tribuendum, quodque hæc omnia beneficiorum loco habenda sint.

Beneficia divina, quæ partim in bonorum collatione, partim in malorum depulsione consistunt, motiva sunt & gratitudinis erga Deum, & gratiarum actionis, ita ut sine istis nec velle possit homo se Deo gratum præbere, nec gratias agere. Beneficiorum consideratione in appetitu sensitivo excitatur affectus (§. 377. *part. 2. Eth.*), qui in amore benefactoris consistit (§. 789. *Psych. empir.*). Affectus iste tendit ad bonum bono referendum & gratias agendum (§. 381. *part. 2. Eth.*), & sic consideratione beneficiorum commovetur voluntas ad vicissim benefaciendum benefactori, &, dum deest occasio, desunt vires, hanc suam voluntatem eidem declarandum. Quamobrem cum homo non habeat, quod Deo dare possit, nisi voluntatem suam, dum non eam, sed divinam in agendo sequitur; ideo beneficiorum divinorum consideratione gratias agens hanc suam voluntatem declarat (§. 1211. *part. 1. Jur. nat.*) & gratum se exhibens studet, ut prompta officiorum, hoc

hoc est actionum voluntati divinæ conformium præstatione Deo placeat (§. 1213. *part. 1. Jur. nat.*). Manifestum itaque est, quod, qui Deo gratias agere & gratum habere animum erga ipsum vult, beneficia divina ponderare debeat.

§. 473.

Quomodo Deum agnoscamus tanquam omnis boni datorem erga nos summe bonum.

Si Deum tanquam omnis boni datorem erga nos summe bonum nobis repræsentare velimus; perpendendum est, nos & essentiam (§. 94. part. 2. Theol. nat.), & existentiam a Deo habere (§. 223. part. 1. Theol. nat.), Deum nobis in hac rerum serie hunc tribuisse locum, quem ut haberemus possibile erat (§. 429.), vires agendi largiri (§. 876. part. 1. Theol. nat.), neque hunc mundum, neque rem ullam in eo (§. 557. part. 1. Theol. nat.), potuisse facere aliter, quam fecit (§. 376. part. 2. Theol. nat.), eundem nobis providere per nexum rerum in hoc universo (§. 927. part. 1. Theol. nat.) & quæcunque naturaliter fiunt, secundum providentiam divinam fieri (§. 930. part. 1. Theol. nat.), causis secundis dependenter a Deo & voluntati ipsius conformiter agentibus (§. 969. 1120. part. 1. Theol. nat.). Quodsi enim perpendamus, nos & essentiam, & existentiam a Deo habere, cum ratio omnis eorum, quæ nobis natura insunt, & quicquid a nobis acquisitu in se possibile est, in essentia contineatur (§. 168. *Ontol.*), inde agnoscimus, quod Deo acceptum ferre debeamus, quicquid boni nobis natura inest, & cur impossibile non fuerit, ut acquireremus, quicquid boni studio & opera nostra acquirimus. Quodsi perpendamus, Deum nobis hunc in serie locum tribuisse, quem habemus, & vires agendi largiri, cum a circumstantiis, in quibus constituti sumus, dependeat, ut ea acquirere valeamus, quæ per essentiam acquisitu possibilia sunt; inde porro agnoscimus, quod Deo acceptum ferre debeamus, quicquid boni studio & opera nostra acquirimus. Quodsi

deni-

denique perpendamus, quæcunque naturaliter fiunt, secundum providentiamdivinam fieri, causis secundis dependenter a Deo & voluntati ipsius conformiter agentibus; inde agnoscimus, quod, quicquid boni nobis evenit, sive absque omni nostro studio atque labore, sive ad quod actuandum opera & industria nostra non sufficiebat, id Deo acceptum ferre debeamus. Enimvero quicquid boni habemus, id aut natura habemus, aut studio & labore nostro consequimur, aut eo solo obtinere non poteramus, aut denique absque ulla nostra cura, industria & opera accipimus. Patet itaque nos Deum agnoscere tanquam omnis boni datorem, si perpendamus, nos & essentiam & existentiam a Deo habere, Deum nobis in hac rerum serie hunc tribuisse locum, quem habemus, & vires agendi largiri, eundem nobis per nexum rerum in hoc universo providere, & quæcunque naturaliter fiunt, secundum providentiam divinam fieri, causis secundis dependenter a Deo & voluntati ipsius conformiter agentibus. *Quod erat unum.*

Quodsi jam porro perpendamus, Deum hunc mundum & rem quamlibet in eo non potuisse aliter facere, quam fecit, nec alium tribuere in serie rerum locum, quam quem obtinuimus, nihil in mundo actum consequi posse, nisi cujus causa in serie rerum, ex qua constat, continetur (§. 97. *Cosmol.*); hinc agnoscimus, Deum nobis tantundem boni conferre, quantum salva ipsius sapientia, qua existentiam hujus mundi decrevit, fieri potest, quemadmodum quoque jam in systemate Theologiæ naturalis demonstravimus (§. 698. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem cum summe bonus sit erga nos, qui tantundem boni in nos confert, quantum physice ac moraliter possibile est (§. 697. *part. 1. Theol.nat.*), Deum vero tanquam datorem omnis boni nobis repræsentemus,

temus, si ea perpendamus, quæ in parte prima demonstrationis sumsimus, *per demonstrat. n. 1.* si ea præterea perpendamus, quæ in hac altera demonstrationis parte sumimus, Deum nobis repræsentamus tanquam datorem omnis boni erga nos summe bonum. *Quod erat alterum.*

Videmus utique, si quis penitus cognoscere velit, Deum esse datorem omnis boni erga se summe bonum, ita ut plenarie convictus agnoscat, se nihil habere, quod non a Deo acceperit, & tantam esse Dei erga se bonitatem, ut eadem non esse contentum absurdum, immo impium sit, necesse omnino esse, ut, quæ de Deo demonstravimus in Theologia naturali, ipsi sint penitus perspecta, nec sine sensu *certitudinis* subeant memoriam ipsius. Quamvis vero hoc *nimis arduum* videatur, ut a quovis postulari nequeat, cum tamen omnium intersit, ut agnoscant, se nihil prorsus boni habere, quod non acceperint a Deo, & absurdum esse, si bona majora importune appetamus, nec iis quæ Deus nobis confert, contenti simus; non tamen propterea existimandum est, minime consuli posse infirmitati hebetiorum, quam ut tot demonstrationum concatenationes capere possint. Scientiæ enim defectus suppletur, si veritates universales, quæ hominibus demonstrationem capere nescientibus scitu necessaria sunt, ad sensum communem reducantur (§. 422. *part. 1. Eth.*), & veritates morales ad sensum communem reducendæ sunt (§. 246. *part. 1. Eth.*): quod quomodo fieri debeat, ex iis intelligitur, quæ alibi de hac reductione demonstravimus & annotavimus (§. 242. *& seqq. part. 1. Eth.*). Per se autem patet, eas ad sensum communem reduci non posse, antequam cognoscantur, & ex systemate, in quo demonstrantur, hauriendas esse, ne de certitudine earum ambigi possit. Has nos patefacimus per demonstrationes; reductionem ad sensum communem aliis relinquimus. Ceterum si quis propositionis præsentis demonstrationem probe perpendit, eum non latebit ratio, cur

tot

tot homines non agnoſcant ſe nihil boni habere, quod non acceperint a Deo, & ſibi perſuadeant, quaſi Deus ſibi minus bonus ſit, quam aliis, quibus bona majora confert, aut a quibus mala avertit, quibus nos urgemur.

§. 474.

Quomodo beneficia divina agnoſcantur.

Qui beneficia Dei agnoſcere vult, is perpendere debet omnia bona animi, corporis & fortunæ, quorum particeps factus eſt, & quomodo ea conſecutus fuerit, num mera fortuna, num opera & induſtria ſua, num utroque concurrente, utrum immediate, an mediantibus certis malis phyſicis, vel moralibus, & quomodo malis iſtis uti potuerit ad ſui emendationem, vel in bono perſeverationem, & porro conſiderare debet mala, quibus obnoxii ſunt alii, a quibus vero ipſe liber eſt, & quibus obnoxius fieri poterat ſub circumſtantiis aliis, quam præſentibus, quænam mala imminentia averſa fuerint, & a quibusnam, quibus urgebatur, liberatus fuerit. Quoniam enim Deum agnoſcere tenemur tanquam boni omnis datorem, qualecunque tandem fuerit, ſive id natura habeat, ſive quomodocunque acquirat (§. 1208. *part. 1. Jur. nat.*), abſentia vero mali etiam bonorum numero accenſenda (§. 754. *part. 1. Jur. nat.*), & bona omnia, quorum participes fieri poſſumus, bona vel animi, vel corporis, vel fortunæ ſunt (§. 556. *Pſych. empir.*); qui beneficia Dei agnoſcere vult, omnia bona animi, corporis & fortunæ, quorum particeps factus eſt, perpendere debet, omnia quoque mala, a quibus liber eſt, vel liberatus fuit. Quoniam vero etiam in modo, quo bona conſecuti ſumus, inſunt beneficia divina, quatenus actus eorum dependet a circumſtantiis, in quibus a Deo coſtituti ſumus (§. 737. *part. 1. Theol. nat.*), quatenus nobis certum in ſerie locum tribuit (§. 429.), & ab uſu facultatum, virium & rerum noſtrarum, quas Deo acceptas referre tenemur (§.

1208. *part. 1. Jur. nat.)*; ideo quoque beneficia Dei agniturus perpendere debet modum, quo bona, quorum particeps factus, consecutus est. Quamobrem cum constet, bona alia nobis natura inesse, alia vero acquiri opera & industria nostra, alia nobis obtingere sola rerum naturalium operatione, alia denique rebus naturalibus aut hominibus aliis ad facta nostra concurrentibus; ut beneficia Dei, qualia sint, penitus perspiciamus, hæc omnia probe perpendenda sunt. Et quoniam Deus mala dirigit ad bonum finem (§. 680. *part. 1. Theol. nat.*), & hæc directio bonitati divinæ tribuenda (§. 733. *part. 1. Theol. nat.)*, nec minus bonitatis divinæ est, si Deus mala physica homini immittit, *ut adversus* malum morale præmuniatur, ideoque etiam ut in bono persistat, vel ut a malo desistat (734. *part. 1. Theol. nat.*); necesse quoque est, ut beneficia divina agniturus perpendat, quomodo bonorum particeps factus minime fuisset, nisi mala quædam præcessissent, & quomodo mala, quibus oneratus fuit, vel quæ evenerunt, uti potuerit tanquam motivis ad sui emendationem, vel perseverantiam in bono. Denique cum bonitati quoque divinæ acceptum ferendum sit, si homo in iis ponitur circumstantiis, quibus & mala physica, & moralia, quibus sub aliis obnoxius fieri poterat, avertuntur (§. 736. *part. 1. Theol. nat.)*; beneficia divina agniturus considerare debet mala, quibus obnoxii sunt alii & a quibus ipse liber est, tum etiam quibus poterat fieri obnoxius, si alius esset rerum suarum status. Patet itaque, si quis beneficia Dei agnoscere voluerit, eum ea omnia perpendere debere, quæ in propositione præsente urgentur.

Multa sunt beneficia, quæ singulis momentis a Deo accipimus, sed quæ non agnoscimus, propterea quod animum ad ea non attendimus, atque ignoramus, quænam in numerum bene-

beneficiorum divinorum referenda sint. Quamobrem cum tam gratitudo erga Deum, quam gratiarum actio & celebratio nominis divini requirat, ut beneficia divina agnoscamus (§. 1211. 1213. *part. 1. Jur. nat.*); ideo nobis ostendendum erat, quomodo beneficia divina agnoscere possimus. Reclusimus jam fontes bonitatis divinæ, unde manant beneficia divina, in systemate Theologiæ naturalis (§. 733. *& seqq. part. 1. Theol. nat.*): inde igitur in præsenti haurimus, quæ sitim beneficia divina sciendi cupidi restingvere possunt. Non tamen inconsultum est, ut quilibet fontes istos adeat, ut inde porro ipse hauriat, quæ ad restingvendum sitim suam necessaria judicaverit. Legenda quoque sunt, quæ supra de bonitate divina optime nobis providentis dicta sunt (§. 413. *& seqq.*). Ita nullus dubito fore, ut beneficiorum divinorum multitudinem agnoscamus, & in eorundem numerum referamus, quæ vulgo pro beneficiis divinis non habentur: id quod amorem Dei plurimum inflammabit (§. 228.), & ardorem celebrandi Deum accendet ac studium ipsi placendi ardentius faciet, quemadmodum ex anterioribus haud difficulter colligitur. Multa hominibus videntur mala, de quibus conqueruntur, sed quæ ipsis apprime bona sunt, ut de iis gauderent, si ea cognoscerent; plurimis vero a Deo mactantur beneficiis, quæ ignorant. Discant igitur, quomodo beneficia divina agnoscantur. Id vevero per se patet, nos hic supponere, quod bona vera ab apparentibus discernere valeamus: id quod ex alibi passim traditis satis notum est.

§. 475.

An gratitudo erga Deum virtus peculiaris sit.

Gratitudo erga Deum peculiaris virtus est & ad eam gratiarum actio pertinet. Cum enim gratitudo lege naturali præcipiatur (§. 1214. *part. 1. Jur. nat.*), habitus autem actiones suas legi naturæ conformiter dirigendi virtus sit (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*); gratitudo erga Deum virtus est. *Quod erat primum.*

Enimvero qui erga Deum gratus eſt, prompta officiorum præſtatione eidem placere ſtudet ob bona collata, vel mala depulſa (§. 1213. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter præſtatio iſta ſpectatur tanquam actus, quo voluntas enixa bonum bono referendi declaratur, ſiquidem in poteſtate noſtra foret, Deo benefactori bonum bono referre ipſique offertur voluntas noſtra non quemadmodum nobis, ſed quemadmodum Deo videtur determinanda, quam ſolam Deo dare poſſumus (§. 179.). Quamvis itaque etiam Deo obediens promte facit quæ Deus vult (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter officia debita præſtat (§. 225. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & qui Deum diligit, ea facere ſtudet, quæ ipſi placent (§. 241.), conſequenter eadem officia promte præſtat (§. 237.); quoniam tamen in obedientia actio ſpectatur tanquam officium Deo debitum (§. 173.), in charitate tanquam factum, quod ipſi placet (§. 141.), in gratitudine tanquam ſignum enixæ voluntatis bonum bono referendi *per demonſtrata*; gratitudo tum ab obedientia, tum a charitate diſtingvitur. Quamobrem ea peculiaris virtus eſt. *Quod erat ſecundum.*

Aſt cum gratiarum actione quoque ſignificetur voluntas præſtandi officia debita ob bona collata & mala depulſa, ſeu beneficia a Deo accepta (§. 1211. *part 1. Jur. nat.* & §. 473. *h.*); gratiarum actio ad gratitudinem pertinet (§. 1213. *part. 1. Jur. nat.*). *Quod erat tertium.*

Quoniam officia erga Deum omnia præſtamus conſideratione eorum, quæ de Deo cognoſcimus (§. 1.), virtutes quoque, qui ſunt habitus ea præſtandi (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ſibi invicem admodum cognatæ ſunt, quatenus eorundem conſideratione concitantur. Enimvero cum hæc ipſa diverſimode conſiderari poſſint, pro diverſo reſpectu diverſas quo-

que gignunt virtutes: respectus enim iste variat motivum, quo voluntas determinatur, quemadmodum ex demonstratione partis alterius propositionis præsentis patet. Hoc tamen non obstante eadem actio ex diverso habitu simul fluere potest, cum in determinanda voluntate eadem spectari possit tanquam debita, tanquam Deo placens & tanquam signum enixæ voluntatis bonum bono referendi, siquidem in nostra foret potestate. Neque vero est, ut tibi persvadeas, cum actio sit debita, non posse eam hac intentione committi, ut Deo placeas, aut ut ostendas, te Deo velle lubentissime vicissim dare, quod habes, quia tibi benefecit, siquidem haberes, quod dare posses. Dubium enim, quod te angit, protinus evanescit, si consideres servum beneficia domini agnoscentem. Servus debet domino operas perpetuas, quas dominus ab ipso exigit pro alimentis, quæ ipsi dat, immo ut det necesse est, si velit servum sibi præstare operas (§. 1080. *part. 7. Jur. nat.*). Quodsi benignus in ipsum sit & beneficus; servus beneficiorum agnitione ad amorem domini commovetur (§. 645. *Psych. empir.*) & ad gratitudinem (§. 377. *part. 2. Eth.*). Amor eum impellit ad faciendum, quod domino placet (§. 299. *part. 2. Eth.*), gratitudo ad bonum bono referendum & gratias agendum (§. 381. *part. 2. Eth.*). Quoniam vero quicquid servus per operas suas acquirit, quas dominus pro lubitu ab eo exigere potest (§. 1108. *part. 4. Jur. nat.*), id domini est (§. 1107. *part. 7. Jur. nat.*); ideo nihil habet, quod domino retribuere possit. Quis vero in dubium vocaverit, benignitatem domini ipsi benefacientis eum impellere posse, immo debere ad operas debitas diligenter ac prompte præstandas, tum ut significet gratum in dominum animum, tum ut eidem placeat. Præstat igitur servus operas, quas se debere agnoscit, non solum ea intentione, ut faciat, quod facere debet, sed etiam ut domino placeat, & ut se gratum eidem præbeat. Sumus nos servi Dei in eodem prorsus quamvis latius extenso significatu (§. 967. 968. *part. 1. Theol. nat.*), cum servitus extendatur ad omnes

omnes actiones nostras (§. 970. *part. 1. Theol. nat.*), non vero saltem, quemadmodum illorum, qui hominibus serviunt, ad certas actiones, domino scilicet utiles (§. 1096. *part. 7. Jur. nat.*). Quamobrem quæ de servo valent respectu domini, intelliguntur etiam de homine respectu Dei. Docet ipsa ratio, servum præstare debere operas prompte ac diligenter, etiamsi dominus nil det nisi alimenta necessaria, immo si vel ipse desit officio suo (§. 631. *part. 1. Jur. nat.*). Si dominus benignus est in servum, rationi maxime conveniens est, ut ipsum amet & eidem placere studeat. Quamobrem cum norit, propter operarum præstationem placere domino, jam non solum eas prompte præstat, ut satisfaciat officio suo, sed etiam ut placeat domino. Nec minus rationi conforme est, ut erga benefactores grati simus. Quodsi ego servus agnoscit, se *nihil habere*, quo gratum animum domino sibi benefacienti declarare possit, quam si quas debet operas prompte præstat; nec a ratione abhorret, ut operæ debitæ prompte præstentur declarandi animi grati causa. Differentia igitur, quam inter obedientiam, charitatem & gratitudinem assignavimus, rationi minime convenit.

§. 476.

De inobedientia ingratitudinis genetrice.

Qui inobediens est, ingratus quoque erga Deum est. Qui enim inobediens est, is facere non vult, quod Deus vult ut faciat (§. 1168. *part 1. Jur. nat.*), quamvis norit Deum velle ut faciat, & se obligatum esse ad obediendum (§. 197.). Quamobrem cum inobedientia vitium sit (§. 196.), in vitio autem adsit voluntas constans committendi actionem legi naturæ, ideoque voluntati divinæ contrariam (§. 329. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*); nullis quoque motivis se adduci patitur, ut non sua stet voluntate, sed voluntate Dei (§. 1062. *part. 1. Theol. nat.*). Quoniam igitur frustra ipsi repræsentas beneficia Dei, quæ vel agnoscere non vult, vel quæ ipsi non sufficiunt ad immutandum voluntatem, mul-

multo minus autem sponte sua ponderat beneficia divina, ut in appetitum influant, ingratus vero erga Deum est, qui bonitatem divinam agnoscere non vult, aut ea non obstante actiones suas pro suo arbitratu, quam juxta voluntatem Numinis determinare mavult (§. 1215. *part. 1. Jur. nat.*); qui inobediens est, ingratus erga Deum est.

Supponit ingratitudo inobedientiam. Ratio enim aliquâ adesse debet, cur beneficia divina agnoscere nolimus, aut, si vel maxime ea in dubium vocare non possimus, hoc tamen non obstante iisdem permoveri nequeamus, ut actiones nostras ad voluntatem Dei componamus. Actiones autem suas ad voluntatem Numinis componere non vult, qui vivere vult, prout sibi videtur. Quamobrem qui fugere debet ingratitudinem, sibi cavere debet ab inobedientia, & qui ingratum ab ingratitudine revocare vult, inobedientiam ante corrigere tenetur. Beneficiis tanquam motivis demum locum concedet, qui habet animum obediendi Deō. Servus contumax & refractarius domino obedire non vult, nec beneficiis commovetur ad diligentem operarum præstationem, sed plagis adigendus. Vitia difficulter emendantur, nec quæ virtutem alunt ad vitium depellendum sufficiuntes. Voluntas corrupta difficilius emendatur, quam nondum corrupta bona efficitur (§. 154. *part. 2. Eth.*), & qui vitio uni deditus est, incidit quoque in alterum cum eodem connexum. Qui novit, quantum valeant latebræ & recessus in animis hominum, difficultatem istam intimius perspicit, & agnoscit quam sero medicina paretur, nisi principiis obstemus. Quamobrem in praxi morali probe observanda sunt, quæ de voluntate perficienda in parte secunda Ethicæ docuimus.

§. 477.

Quale vitium sit ingratitudo. *Ingratitudo erga Deum vitium est turpissimum.* Ingratitudo erga Deum lege naturali prohibita est (§. 1216. *par. 1. Jur. nat.*).

nat.). Quoniam itaque habitus actiones suas ratione contraria determinandi, quam lege naturæ præscribitur, vitium est (§. 322 *part. 1. Phil. pract. univ.*); ingratitudo erga Deum vitium est. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam homo erga Deum ingratus ne quidem beneficiis divinis permoveri potest ut faciat quod Deus vult (§. 1215. *part. i. Jur. nat.*), consequenter ipsi obediat (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*), ad quod tamen jam ante qua homo obligatus est (§. 1165. *part. 1. Jur. nat.* & §. 136. *part. 1. Phil. pract. univ.*), etiamsi non supponatur, Deum nos beneficiis cumulare; ingratitudo hominem maxime dedecet (§. 195. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Turpe vero cum habeatur quærere quod se dedecet, cum nemo non concedat; ingratitudo erga Deum vitium turpissimum est. *Quod erat alterum.*

Ingratitudinem erga homines detestantur omnes boni, etsi multæ dentur rationes ejus, quæ in ingratitudine erga Deum locum minime habent: multo magis igitur detestanda est ingratitudo erga Deum, ex cujus parte nulla est ratio, quæ ad ingratitudinem hominem provocare possit. Ingratitudo tanto turpior habetur, quo majora sunt beneficia & quo plura, quæ benefactor in beneficiarium contulit. Nemo autem hominum tot ac tantis beneficiis nos cumulare potest, quot & quanta Deus singulis non dicam diebus, sed momentis in nos confert (§. 474.). Ingratitudo ergo in Deum omnium turpissima, cujus maxime pudere debebat hominem. Crassa vero ignorantia eorum, quæ de Deo cognosci poterant & debebant, in causa est, ut ejus omnium minime homines pudeat, & quando ignorantia non obstat, nimia oscitantia pudorem arcet, quod animum non attendat ad ea, quæ de Deo cognoverunt, nec beneficia divina ponderant, quemadmodum debebant. Ast quid juvat Dei cognitio, nisi

Dei & eorum, quæ de Deo cognoſcis, ſemper memor fueris? Poteramus quoque urgere abſurditatem ingratitudinis erga Deum. Cum enim ingratus nolit actiones ſuas componere ad voluntatem Numinis, ea facit, quæ ipſum infelicem reddunt (§. 202.), & quibus fundamentum felicitatis ſuæ ſubvertit (§. 396. *& ſeqq. part. 1. Phil. pract. univ.*). Non vero alia de cauſa ingratus erga Deum eſt, quam quod putet ſe tunc eſſe felicem, ſi ſuo arbitratu determinat actiones ſuas, ut ideo ingratus eſſe velit, quia felix eſſe cupit. Velim hæc prope perpendant, qui rationis uſum omnem nondum ejurarunt, ut ingratitudinem erga Deum deteſtentur & fugiant.

§. 478.

Quænam perpendere debeat Deum invocaturus.

Qui Deum invocare vult, perpendere debet, tam boni præſentis conſervationem & futuri adeptionem, quam mali depulſionem a providentia divina unice dependere. Cum appetitus hominis naturaliter feratur in bonum (§. 904. *Pſych. empir.*); ſi animum attendimus ad bona præſentia, fieri haud aliter poteſt, quam ut ea conſervari velimus, perpendentes varios dari caſus, in quibus eorum jacturam facere poſſumus; ſi vero mentem convertimus in futura, fieri nequit quin velimus, ut etiam in poſterum bonorum reddamur participes. Similiter quia averſamur per naturam humanam malum (§. 907. *Pſych. empir.*), ut a malis liberemur, futura a nobis avertantur deſideramus (§. 1217. *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero ſi porro perpendimus Deum eſſe datorem omnis boni (§. 1208. *part. 1. Jur. nat.*), & quicquid naturaliter fit, ſecundum providentiam divinam fieri (930. *part. 1. Theol. nat.*), qua Deus nobis tantundem boni confert (§. 933. *part. 1. Theol. nat.*) & tantundem mali a nobis arcet, quantum ſalva ſapientia ipſius fieri poteſt (§. 934. *part. 1. Theol. nat.*); ut Deus bona præſentia conſervet, futura nobis conferat, a

malo præsenti nos liberet, futurum avertat, quin desideremus (§. 1217. *part. 1. Jur. nat.)* fieri non potest. Quamobrem cum desiderium hoc invocatio Numinis sit (§. 1219. *part. 1. Jur. nat.*); qui Deum invocare vult, perpendere debet, tam boni præsentis conservationem & futuri adeptionem, quam mali depulsionem a providentia divina unice dependere.

Invocationem Numinis ab oratione, sive precibus distinximus, ita ut illa referatur ad actus internos, hæc vero ad actus externos & simul comprehendat gratiarum actionem (§. 1219. 1222. *part. 1. Jur. nat.*). Preces supponunt invocationem Numinis, siquidem moraliter veræ esse debent (§ 150. *part. 3. Jur. nat.*), nec nudus garritus (§. 1225. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem qui preces peragere vult, Deum rite invocare discat necesse est, ideoque nobis ante omnia ostendendum erat, quomodo per usum facultatum animæ invocatio Numinis sit possibilis.

§. 479.

De voluntate Deum invocantis in divinam resolvenda.

Qui Deum invocat, non suo stare debet judicio de bonis conservandis & conferendis atque malis depellendis, sed omnia voluntati Dei relinquere. Etenim nos totos resque nostras omnes providentiæ divinæ committere debemus (§. 1185. *part. 1. Jur. nat.*), & pro certo habere, quicquid a Deo fit vel permittitur in hoc universo, id recte ab eo fieri, huicque judicio convenienter appetitum & aversationem moderari (§. 1200. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter de bonorum præsentium conservatione & futurorum collatione atque malorum depulsione non nostro stare judicio, sed omnia voluntati Dei relinquere, qui sapientia & bonitate sua gubernat hoc universum (§. 902. 903. *part. 1. Theol. nat.*), quemadmodum ab

ab æterno decrevit (§. 525. 504. *part. 1. Theol. nat.*), & qui rectius judicat, quæ nobis bona sunt, quam nos dijudicare possumus (§. 413.). Quamobrem cum Deum invocans desideret, ut bona præsentia conservet, futura conferat, malum vero depellat, aut in finem bonum dirigat (§. 1219. *part. 1. Jur. nat.*); qui Deum invocat de bonis conservandis & conferendis atque malis depellendis non suo stare debet judicio, sed omnia voluntati Dei relinquere.

Quæ Deus sapientissime ac benignissime decrevit, in gratiam nullius mutat (§. 509. *part. 1. Theol. nat.*), nec ipsum quod decrevit, unquam pœnitet (§. 510. *part. 1. Theol. nat.*), nec locum habent in hoc universo decreta ulla temporaria (§. 505. *part. 1. Theol. nat.*). Temere igitur homo staret judicio suo, nisi omnia voluntati divinæ committere vellet. Absurdum vero etiam foret desiderare, ut Deus voluntatem suam voluntati nostræ conformet, cum omnia justa & recta sint, quæ Deus fecit in prima rerum creatione, & quæ adhuc facit in earum conservatione ac gubernatione (§. 1072. *part. 1. Jur. nat.*) & Deus rectius judicet, quæ nobis bona sunt, quam nos dijudicare valemus, ipsique competat jus nobis imponendi personam, quam gerere in mundo debemus (§. 413.), immo nec impossibile sit, ut agnoscamus, quam fallax sit jujudicium nostrum, si putemus Deum nobis non bene providere, nec statu nostro contenti simus (§. 415. *& seqq.*) Patet itaque, quam ardua supponantur, si quis Deum rite invocare voluerit.

§. 480.

De fiducia in Deum & acquiescentia in providentia divina

Quoniam qui Deum invocat non suo stare debet judicio de bonorum conservatione & adeptione malorumque depulsione, sed omnia voluntati Dei relinquere (§. 479.), qui vero se totum resque suas providentiæ divinæ committit,

in Numinis invocationem influente. tit, Deo confidit (§. 1186. *part. 1. Jur. nat.*) & qui pro certo habet, quicquid a Deo fit, vel permittitur in hoc universo, id recte ab eo fieri, huicque judicio convenienter appetitum & aversationem moderatur, in providentia divina acquiescit (§. 1199. *part. 1. Jur. nat.*); *fiducia in Deum & acquiescentia divina in Numinis invocationem influit*, seu, *qui Deum invocare vult, ipsi confidere & in providentia divina acquiescere tenetur.*

Invocatio Numinis versatur circa bona conferenda & mala depellenda (§. 1219. *part. 1. Jur. nat.*), quæ etiam objectum fiduciæ in Deo sunt (§. 1186. *part. 1. Jur. nat.*), in quam influit acquiescentia in providentia divina (§. 439.) *Deum invocare*, ipsi confidere, in providentia ejusdem acquiescere officia erga Deum sunt, quæ urget lex naturæ (§. 1187. 1201. 1220. *part. 1. Jur. nat.*). Ea igitur sibi invicem contrariari nequeunt, sed una eorundem concordia est, concentus unus. Quamobrem qui Deum invocat, nihil committere debet, quod fiduciæ in Deo & acquiescentiæ in providentia divina adversatur.

§. 481.

De influxu amoris ac timoris Dei in invocationem. Quoniam Deum invocaturus ipsi confidere & in providentia ipsius acquiescere debet (§. 480.), qui vero Deo confidere, consequenter etiam in providentia ipsius acquiescere vult (§. 439.), Deum quoque amare ac timere debet (§. 410.); *Qui Deum invocare vult, eum quoque amare ac timere debet.*

Invocatio Numinis supponit agnitionem non modo bonitatis, sapientiæ & sanctitatis divinæ, verum etiam ceterarum perfectionum divinarum: id quod abunde patet per ea, quæ in anterioribus demonstrata sunt. Deum amare idem est ac perfectione ipsius summa delectari (§. 1171. *part. 1. Jur. nat.*),

Fieri

Fieri ergo nequit, ut Deum in veritate invocet, qui habet animum amore Dei vacuum. Ab amore autem Dei timor filialis inseparabilis (§. 317.). Cum invocatio Numinis lege naturali præcepta sit (§. 1220. *part. 1. Jur. nat.*) & Deus velit, ut ipsum invocemus (§. 1221. *part. 1. Jur. nat.*); timor quoque filialis parit sollicitudinem animi, ne Deum invocantes quicquam committamus, quod voluntati ipsius adversum (§. 1177. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 482.

Quod invocationem & gratiarum actionem pro aliis exigat amor erga alios.

Amor erga alios exigit, ut Deum quoque pro aliis invocemus & ipsi gratias agamus. Cum enim alios amare debeamus tanquam nosmet ipsos (§. 619. *part. 1. Jur. nat.*), animus quoque noster dispositus esse debet ad voluptatem percipiendam ex aliena felicitate, quemadmodum ex propria (§. 633. *Psych. empir.*), consequenter non minus velle debemus, ut Deus in alios bona conferat, quam in nos, & mala depellat ab aliis, quam a nobis, Deumque celebrare non minus ob bona aliis collata, quam nobis, & ob mala ab aliis depulsa, quam a nobis, cumque quicquid boni aliis obtingit, id tanquam proprium spectemus, Deum quoque pro bonis in alios collatis promptam officiorum debitorum præstationem spondere debemus. Quoniam itaque Deum invocat, qui desiderat, ut bona præsentia conservet, futura conferat & mala depellat (§. 1219. *part. 1. Jur. nat.*) & gratias eidem agit qui nomen divinum celebrat ob bona nobis aliisque collata, vel mala aversa ac sublata, cum significatione voluntatis præstandi officia debita (§. 1211. *part. 1. Jur. nat.*); amor erga alios exigit, ut Deum quoque pro aliis invocemus & gratias eidem agamus.

Diximus modo, officiorum, quæ urget lex naturæ, unam esse concordiam (*not.* §. 480.), ita ut sororio vinculo inter se connectan-

nectantur. Præcipitur ea lege tam amor hominis cujuscunque (§. 619. *part. 1. Jur. nat.*), quam invocatio Numinis (§. 1220. *part. 1. Jur. nat.*), & gratiarum actio (§. 1212. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem tam invocatio Numinis, quam gratiarum actio amorem aliorum excludere nequit. Immo si quis hominem quemcunque alium amat tanquam seipsum, quemadmodum urget lex naturæ (§. 619. *part. 1. Jur. nat.*); nec fieri poterit, ut Deum saltem pro se invocet atque gratias agat, non vero etiam pro aliis & promiscue pro hominibus omnibus. Ita Deo amorem, qui sincerus esse debet, declarat, ac sese ipsi obedientem præbet. Qui sui saltem rationem habet, alios parum curat, nisi adsint rationes singulares, cur ipsis cupiat; vacuum amore omnium hominum universali adhuc habet animum.

§. 483.

De sermone expresso & tacito.

Sermo expressus dicitur, qui verbis clara voce prolatis, ut ab adstantibus percipi possint, constat. *Tacitus* autem vocatur *sermo*, si demissa voce verba proferimus, ut ab adstantibus percipi nequeant, vel in conatu per organa loquelæ formandi verba subsistimus.

Nemo est, qui nesciat, quando loquimur nos non modo verba clara voce proferre posse, sed etiam demissa. Etenim clara voce loquimur, si aliis loquimur; submissa autem, quando loquimur nobis, veluti dum ore profero verba, quæ jam scribo. Quod vero etiam clauso ore, voce summissa per nares protrusa, loqui possimus nobis ipsis conatum tantummodo verba formandi adhibentes, quilibet in se experiri potest. Sermo itaque tacitus duobus modis fieri potest, & mox patebit, si orationem penitus perspicere velimus, ejus differentiam, quam hic exponimus, probe attendendam esse.

§. 484.

Quomodo uterque se habeat respectu Dei.

Quoniam in sermone tacito verba saltem proferuntur voce demissa, aut in conatu loquendi saltem subsistimus (§. 283.)

283.), Deus autem omnia, quæ fiunt, cognoſcit (§. 251. *part. 1. Theol. nat.)*, dum fiunt (§. 939. *part. 1. Theol. nat.*); *Deus non minus cognoſcit ſermonem tacitum, quam expreſſum*, ſeu *ſi Deo loquimur, ſermo tacitus expreſſo æquivalet.*

Sermo, quo eloquimur verba cogitationes noſtras ſignificantia, a voluntate noſtra dependet. Deus, qui novit omnes cogitationes noſtras, novit quoque omnia verba, quæ ore vel proferimus, vel proferre conamur. Qui novit, Deum eſſe omni ſcium (§. 302. *part. 1. Theol. nat.*); is de eo minime dubitare poteſt (§. 301. *part. 1. Theol. nat.*).

§. 485.

Devotio & ardor precantis quid ſit.

Per *Devotionem* intelligimus attentionem ad ea, quæ cogitamus & loquimur ad Deum precantes: per *Ardorem* vero *precandi* animum affectibus inter precandum commotum.

Quando preces fundimus, aut attentionem ad ea, quæ cogitamus & loquimur, afferimus, aut animum ad ea non attendimus. Nemo dicet eum devote precari ad Deum, qui ſaltem ore profert verba precantis, de rebus vero prorſus aliis cogitat, aut non intelligit, quid verba ſibi velint, aut de veritate eorum, quæ iisdem ſignificantur, minime convictus, aut perſvaſus eſt: tum enim ſermo ejus nonniſi garritus eſt (§. 1225. *part. 1. Jur. nat.*). Quodſi ergo quis non modo attendit ad verba, quæ ore profert, verum etiam ad ſignificatum eorundem, mentem avocans ab omnibus aliis cogitationibus, eum devote ad Deum precari ut dicamus, nemo facile refragabitur, qui perpendit per devotionem denotari mentis ſtatum per actus internos animæ diſcernendum, conſequenter per actus, qui referuntur ad facultatem cognoſcendi, cum devotionem diſtingvere velimus ab ardore precantis, qui refertur ad ſtatum animi per actus appetitus & averſationis diſcernendum. Ardorem animi in genere definivimus per actum

voluntatis cupiditate & noluntatis fuga vehemente stipatum (§. 218. *part. 2. Phil. pract. univ.*) & in ardorem agendi influere ostendimus affectus jucundos, quibus pro datis circumstantiis agentis locus est, molestos vero, qui pro iisdem obtinent, ardorem non agendi (§. 243. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quamobrem in specie ardorem precantis definimus per animum affectibus inter precandum commotum. Distingvimus itaque statum internum precantisquoad facultatem cognoscendi a statu quoad facultatem appetendi & aversandi.

§. 486.

De statu animæ precantis ad Deum. *Qui ad Deum precatur, animum attendat ad ea, quæ cogitat & loquitur, necesse est, & ubi attentionem in se desiderari non patitur, animus commovebitur affectibus consideratione illorum concitatis.* Qui enim ad Deum precatur internum animæ statum in invocatione Numinis ac gratiarum actione verbis exprimit (§. 1222. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem necesse est, ut nobis probe conscii simus non modo verborum, quæ ore proferimus, verum etiam eorum, quæ iisdem significantur; ne, quando precamur, demus sine mente sonum. Quoniam itaque animum ad ea, quæ cogitamus & loquimur, tum attendimus (§. 237. *Psych. empir.*); si ad Deum precamur, animum attendamus necesse est ad ea, quæ cogitamus & loquimur. *Quod erat unum.*

Quando ad Deum precamur, ea, quæ Deum invocantes eidemque gratias agentes cogitamus, verbis ore prolatis significamus (§. 1222. *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero quando Deum invocamus, ut Deus bona præsentia conservet, futura conferat, mala depellat, aut in bonum finem dirigat desideramus (§. 1219. *part. 1. Jur. nat.*), & quando gratias agimus, nomen divinum celebrantes ob bona nobis collata, vel mala aversa ac sublata voluntatem præstan-

ſtandi officia debita ſignificamus (§. 1211. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum conſideratione bonorum a Deo acceptorum & malorum a nobis depulſorum concitetur amor (§. 228.) atque gratitudo (§. 377. *part.* 2. *Eth.*), & præterea conſideratione malorum depulſorum hilaritas (§. 416. *part.* 2. *Eth.*), bonorum vero futurorum tam poſitivorum, quam privativorum, quatenus ſpectantur tanquam obtentu posſibilia, cupiditas (§. 387. *part.* 2. *Eth.*), quatenus tanquam a Deo certo obtinenda, cum non noſtro, ſed Dei judicio ſtemus (§. 479.), fiducia (§. 384. *part.* 2. *Eth.*), ut jam non inquiramus in affectus alios, qui pro ſubſtrata materia concitari poſſunt; ſi animum ſatis attendimus ad ea, quæ precantes ad Deum cogitamus & eloquimur, fieri haud quaquam poteſt, quin variis affectibus inter precandum commoveatur animus. *Quod erat alterum.*

Preces ad Deum fundere poſſumus vel ſine omni attentione, aut ſaltem non ſufficiente, vel cum attentione ſufficiente. Illæ veræ non ſunt, ſed ſpeciem ſaltem precum mentiuntur. Neque enim invocatio Numinis & gratiarum actio mentalis rite ſeſe habet, aut prorſus deeſt. Preces autem ſine invocatione Numinis & gratiarum actione mentali ſunt inſtar corporis ſine anima, qualia *Carteſiani* concipiunt corpora brutorum, quæ pro ſolis machinis habent: aſt invocatio Numinis & gratiarum actio mentalis requirit verba, quorum ſignificatus notus eſt precanti, & attentionem, vi cujus nobis per eundem, etſi confuſe percepti memoriam ſaltem habeamus, eadem efficiuntur intelligibilia, & ſenſus certitudinis rerum per ea denotatarum præſens ſiſtitur. Pendent hæc ab receſſibus in animis noſtris, quatenus nimirum ſtatus præteriti influunt in præſentem (§. 72. *part.* 1. *Eth.*). Cum in Moralibus virtutes definiantur, quales eſſe debent, non quales diverſis defectibus laborantes in hoc, vel iſto ſubjecto dantur, quæ ex definitio-

 nibus

nibus necessaria consequentia deducuntur, virtutibus tribuenda sunt (§.349. *Log.*). Nisi hoc notetur, facile contingit, ut experientia iis, quæ demonstrata sunt, repugnare videatur, cum qui veram virtutis formam cognitam atque perspectam habet inde colligat defectum rectitudinis. Quodsi attentio rite sese habet, sive verba spectes, sive eorundem significatum, sive sensum certitudinis; sua veluti sponte concitantur in appetitu sensitivo & aversatione sensitiva affectus, qui in voluntatem & noluntatem influentes ardorem precantis efficiunt, nisi tacite influant, quæ considerationem eorum, quibus affectus concitandus, labefactant eidemque vim suam detrahunt. Sed ista impedimenta in demonstrationibus seponimus, & eadem seponenda sunt, quando virtutes in se spectantur, quales esse debent, quemadmodum Mathematicus de motuum *regulis* agens non attendit resistentiam medii. Atque hæc ratio est, cur experientia moralis ardua sit atque difficilis, & multam requirat circumspectionem, ne eam cum demonstratione committas.

§. 487.

An devotio & ardor precandi ad orationem requiratur.

Quoniam qui ad Deum precatur, animum attendat ad ea, quæ cogitat & loquitur, necesse est, & animus commovetur affectibus consideratione illorum concitatis (§. 286.), si vero precans ad ea, quæ cogitat & loquitur, attentionem affert & animus affectibus inter precandum commovetur, devote atque ardenter precatur (§. 485.); *oratio sine devotione & ardore precandi non concipitur*, seu *ad precationem devotio & ardor precandi requiritur*, ut ea sine his esse nequeat.

Ne qua oriatur dubitatio, quasi quod hic asseritur experientiæ parum conveniat, aut ne videatur nimis rigida doctrina nostra; ea repetenda sunt, quæ modo annotavimus (*not.* §. 286.).

§. 286.). In doctrina tenemus rigorem, quem ratio præscribit, ut constet, ad quid adspirare debeamus. Ast quando de praxi hominum virtutem colentium ferendum judicium rationem infirmitatis habemus & in imputandis defectibus rectitudinis non obliviscimur eorum, quæ excusationem merentur, aut minimum condonationem. Ita nimirum litamus æquitati sine dispendio veritatis. Rigorem autem nosse non parum interest, ne scilicet videamur attigisse scopum, ad quem contendimus, a quo tamen procul adhuc distamus. Hac enim falsa persvasione impeditur profectus in bono, cujus experimentum quomodo capiamus rigor intime perspectus nos docet. Velim hæc in genere notentur de iis omnibus, in quibus obligatio in nimium extendi videtur. Demonstramus, quid fieri debeat, non vero definimus, quantum valeant hominis vires, quæ cum admodum varient pro diversitate subjectorum & eorum statu, temerarium foret id definire velle, quod in genere definiri nequit. Docet abunde experientia, quam pueriles præcox istiusmodi ausus pariat querelas, & profectui in bono valde inimicas, & non raro in ipsum Deum injurias.

§. 488.

Oratio respectu Dei ad invocationem Numinis & gratiarum actionem mentalem accedat necesse est. Etenim in colendo Deo omnem facere debemus facultatum nostrarum usum, & dare operam ut plenus sit usus omnium consensus, nullus vero dissensus (§. 1162. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum in Numinis invocationem (§. 1219. *part. 1. Jur. nat.*) & gratiarum actionem mentalem, quæ in cogitationibus subsistit, tantummodo impendatur usus facultatum animæ, nimirum facultatum cognoscendi & appetendi atque aversandi; invocatio & gratiarum actio ad cultum divinum minime sufficit. Quoniam itaque etiam in utramque impendendus est *An oratio respectu Dei sit necessaria.*

 usus

usus facultatis locomotivæ (§. 66. *part. 1. Phil. pract. univ.*), id vero aliter fieri non potest, nisi ubi verbis ora prolatis significamus, quæ Deum invocantes eidemque gratias agentes cogitamus, insuper jam habitis actionibus externis, quæ ad alia officia ad invocationem Numinis & gratiarum actionem acccedentia pertinent, ast sermo, quo ea, quæ Deum invocantes eidemque gratias agentes, cogitamus, verbis ore prolatis significamus, oratio est (§. 1222. *part. 1. Jur. nat.*); respectu ipsius Dei ad invocationem Numinis & gratiarum actionem mentalem accedat necesse est.

Ostendimus jam alias, orationem lege naturali præceptam esse (§. 1223. *part. 1. Jur. nat.*), ibidemque refutavimus *strictim* opinionem illorum, qui orationem, quatenus contradistingvitur invocationi Numinis & gratiarum actioni mentali, superfluam esse contendunt (*not. §. cit.*). Ast hic expressius demonstrandum erat, eam respectu Dei ad invocationem ipsius & gratiarum actionem mentalem accedere debere, ideoque perperam pro superflua haberi. Neque enim hic sufficit animum saltem attendere ad omniscientiam Dei, verum etiam ad dominium divinum & ad relationem, quam habet homo ad Deum tanquam creatura ad creatorem, qui ob certum finem hoc universum condidit. Tum enim demum intelligitur, quod totus homo cum qua animam, tum qua corpus, Deum colere debeat, ideoque etiam necesse sit, ut ad invocationem & gratiarum actionem accedat oratio. Omnes nimirum facultates, quas Deus homini concessit, in cultum ipsius semper sunt impendendi. Et sic demum cultus divinus sua gaudet rectitudine (*§. 79. part. 1. Phil. pract. univ.*), ad quam nos obligat lex naturæ (*§. 789. part. Phil. pract. univ.*).

§. 489.

Quomodo oratio pro-

Respectu precantis oratio ad invocationem Numinis & gratiarum acti-

actionem mentalem accedat necesse est ad juvandam & conservandam devotionem & ad conservandum & magis inflammandum ardorem precandi. Quoniam sensus attentiomen impediunt (§. 238. *Psych. empir.*) & imagnatio a sensu excitata in attentione impedienda vires suas cum sensu conjungit (§. 242. *Psych. empir.*); animum ad beneficia divina in invocatione Numinis & gratiarum actione ponderanda conservare difficile est, objectis sensibilibus in organa sensoria agentibus & phantasmatis vi imaginationis occasione sensationum suscitatis (§. 104. *Psych. empir.*), eum a beneficiis divinis ad objecta alia avocantibus, aut, si hoc impediri debet, conservationem attentionis saltem difficilem reddentibus. Enimvero quando verbis eloquimur ea, quæ cogitamus, non modo auditu percipimus verba, verum etiam motus organorum vocis aliosque, quos affectus pro conditione eorum, quæ cogitamus, excitant. Et, si vel maxime saltem loquendi conatum adhibemus, non solum hunc conatum sentimus, sed ipsa veluti verba audimus: id quod quivis in se facile experiri potest. Dum igitur non sine attentione loqui consuevimus, sensus a rebus aliis avocatur, & sic animus ad ea, de quibus cogitamus, attentus conservatur. Cumque imaginatio quiescat, nisi a sensu excitetur (§. *cit.*); nec ullum ab ea imminet periculum attentioni ad ea, quæ cogitamus & loquimur. Quoniam itaque devotio consistit in attentione ad ea, quæ cogitamus & loquimur ad Deum precantes (§. 485.), quando vero ad Deum precamur, seu oramus, ea, quæ ipsum invocantes eidemque gratias agentes cogitamus, verbis ore prolatis significamus (§. 1222. *part. 1. Jur. nat.*); oratio ad invocationem Numinis & gratiarum actionem mentalem accedens, quemadmodum accedere debet (§. 486.), devotionem juvat & ad eam conservandam concurrit,

moveat devotionem & ardorem precandi.

currit, sicque respectu precantis ut accedat necesse est (§. 487.). *Quod erat unum.*

Quando Deum invocamus, animus commovetur affectu amoris (§. 481.), & fiduciæ in Deum (§. 480.), & quando gratias agimus, beneficia divina ponderando (§. 472.) affectus gratitudinis concitatur (§. 377. *part. 2. Eth.*) & amor in Deum inflammatur (§. 649. *Psych. empir.*), immo pro diversitate eorum, de quibus ad Deum precantes verba facimus, alii concitantur affectus, quos facile agnoscet, qui modum concitandi affectus singulos cognitum atque perspectum habet. Quamobrem cum in oratione verbis prolatis significemus, quæ Deum invocantes *eidemque* gratias agentes cogitamus, (§. 1222. *part. 1. Jur. nat.*); animus affectibus commotus influit in ipsam vocem & verborum pronunciationem, ut, quia affectus quilibet conjunctus est cum motu extraordinario sangvinis (§. 611. *Psych. empir.*), cor novum quendam impetum acquirat sanguinem affectui conformiter impellendi, sicque in eo statu conservetur qui affectui convenit, immo affectus ipse magis magisque intendatur: id quod quilibet in se experiri potest, qui ad affectuum conservationem & incrementum animum attendere suevit, etiam extra statum precantis, ut hisce uberius demonstrandis immorari non teneamur. Enimvero in animo affectibus inter precandum commoto ardor precandi consistit (§. 485.). Oratio itaque ad invocationem Numinis & gratiarum actionem mentalem accedens ardorem precandi conservat & magis inflammat. Quoniam igitur ad precationem ardor precandi requiritur (§. 487.), ad invocationem Numinis & gratiarum actionem ut accedat oratio respectu precantis necesse est. *Quod erat alterum.*

Si

Si ea perpendamus, quæ in propositione præsente demonstrantur, quanta sit differentia, si in cultum Numinis omnium facultatum usum impendamus, & usus omnium facultatum consentiat, & si hoc minime fiat clarissime perspiciemus. Immo in genere hinc parebit, quod actio recta, in quam usus omnium facultatum impenditur (§. 79. *part. 1. Phil. pract. univ.*), aliam longe formam induat, quam si defectu quodam adhuc laboret, sive non usui, sive abusui facultatis unius, vel alterius debito. Ardor precandi a devotione dependet (§. 285. 286.). Quamobrem si operam demus, ut devote ad Deum precemur, sua veluti sponte sequetur, ut etiam ardenter precemur. Animi nimirum commotio concitatur consideratione eorum, de quibus in oratione verba facimus. Quando vero devote oramus, omnem ad ea attentionem afferimus, quam offerre possumus, vi demostrationis partis prioris. Abunde igitur patet, orationem respectu nostri necessario accedere debere ad invocationem Numinis & gratiarum actionem mentalem, si vel maxime respectu Dei necesse non foret: cujus tamen contrarium jam ostendimus (§. 288.).

§. 490.

Invocatio Numinis & gratiarum actio mentalis seria sine oratione non concipitur.

Per ipsam naturam humanam ad invocationem Numinis & gratiarum actionem mentalem seriam oratio accedit. Etenim si Deum serio invocamus & eidem gratias agimus, beneficia divina tam collata, quam conferenda nobis represfentamus (§. 1211. 1219. *part. 1. Jur. nat.*). Constat autem nos tum cogitare verba, quibus illa significantur, &, si seria fuerit invocatio & gratiarum actio mentalis, nos quoque habere sensum certitudinis eorum, quæ cogitamus. Quamobrem cum ideæ vocabulorum singulorum vi imaginationis productæ sint phantasmata (§. 92. 93. *Psych. empir.*), singulis in cerebro respondent ideæ vocabulorum materiales (§. 206. *Psych.* rat.

rat.), ex quibus vi structuræ systematis nervosi & structuræ totius corporis nascuntur motus in organis loquelæ, quibus formantur verba, quæ ore proferuntur, nisi conatum formandi reprimimus. Itaque vel clara voce eloquimur verba singula, aut saltem conatum eloquendi adhibemus. Enimverò oratio sermo est, quo ea, quæ Deum invocantes eidemque gratias agentes cogitamus, verbis ore prolatis significamus (§. 1222. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam itaque respectu Dei perinde est, sive sermo fuerit expressus, sive tacitus (§. 483. 484.), consequenter ad orationem non præcise requiritur expressus; ad invocationem Numinis & gratiarum actionem mentalem seriam per ipsam *naturam humanam* oratio accedit.

Propositionem hanc ideo addere libuit, ut appareat inanem esse disceptationem, utrum ad invocationem & gratiarum actionem mentalem accedere debeat oratio, nec ne, cum hæc ab illa sit inseparabilis per ipsam naturam humanam, si seria fuerit: id quod luculentius adhuc apparet, si consideremus, invocationem Numinis & gratiarum actionem seriam concipi non posse sine devotione & precandi ardore (§. 485. *& seqq.*), cum seria non sit, nisi quando convicti vel persvasissimi sumus veritatis eorum, quæ cogitamus. Invocatio Numinis & gratiarum actio sermo mentalis est, cum anima formans ideas immateriales vocabulorum, quales auditu percipiuntur, intra se loquatur, quæ voce eloqui potest homo, usu organorum loquelæ accedente, ut sermoni mentali societur oralis. Notandum nimirum est, nos in demonstratione, quando loquimur de ideis immaterialibus vocabulorum, non tanquam signa, sed tanquam entia absoluta vocabula considerare, qualia auditu percipiuntur, etsi Deum invocans & gratias eidem agens ad significatum attendat necesse est, ne maneant repræsentationes sine mente sonorum, sed ut intelligat, quid per ea

ea denotetur, & sic illarum complexio evadat sermo mentalis. Qui in Psychologia rationali versatus est, hæc omnia satis intelliget: quæ vero per naturam humanam fiunt, hanc cognitam atque perspectam esse supponunt. Eandem ignorantibus satisfaciunt abunde, quæ de necessitate orationis respectu Dei atque nostri demonstrata sunt, & respectu aliorum in sequente propositione adduntur.

§. 491.

De necessitate orationis respectu aliorum.

Oratio respectu aliorum necessaria est, si in aliorum præsentia Deum invocamus & eidem gratias agimus. Etenim exemplo nostro alios docere debemus, quomodo Deum invocare eidemque gratias agere debeant, & ut hoc faciant, eos incitare (§. 639. *part. 1. Jur. nat.*). Per se patet, neminem cogitationes nostras nosse posse, nisi verbis ore prolatis significentur. Quamobrem si nostro exemplo Deum invocantes eidemque gratias agentes aliis prodesse velimus, necesse est, ut, quæ mente volvimus, ea quoque verbis ore prolatis significemus, seu quæ cogitamus eloquamur. Enimvero sermo, quibus ea, quæ cogitamus Deum invocantes eidemque gratias agentes, verbis ore prolatis significamus, oratio est (§. 1222. *part. 1. Jur. nat.*). Oratio igitur respectu aliorum necessaria est, si in aliorum præsentia Deum invocamus & eidem gratias agimus.

Si devote atque ardenter ad Deum precamur, quemadmodum fieri debet (§. 487.), magna vis exempli est. Affectus nimirum non modo verba suggerunt, quibus præsentem animi statum significamus orantes (§. 799. *part. 2 Phil. pract. univ.*), verum etiam vocem immutant, ut non solum attentio aliorum excitetur, sed & animus similiter commoveatur; nisi singularia adsint impedimenta, quæ in præsenti seponimus, ubi saltem docemus, quid ex oratione in se spe-

ctata fluat. Quoniam vero adeo manifestum est, nos exemplo nostro prodesse posse aliis orando, ut in dubium revocari minime queat, utut in potestate nostra non sit alios compellere ad eidem sese præbendum; hisce quoque diutius immorari necesse non est.

§. 492.

De recto affectuum usu orationis fructu.

Oratio nobis insinuat rectum affectuum usum. Quando enim oramus beneficia Dei nobis repræsentamus (§. 1222. 1211. 1219. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter amor erga Deum concitatur (§. 228.) & in Numinis invocationem fiducia quoque in Deo (§. 480.) atque timor filialis influit (§. 481.), immo in gratiarum actionem cupiditas præstandi *officia debita* (§. 1211. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem fieri deinceps nequit, quin de beneficiis divinis & actionibus nostris cogitantes resuscitetur amor in Deum, fiducia, timor filialis, cupiditas præstandi officia debita, una cum aliis affectibus, qui pro diversitate status nostri & actionum nostrarum orando concitabantur (§. 104. *Psych. empir.*). Quamobrem cum rectus usus affectuum in eo consistat, ut rationi subjiciantur (§ 289. *part. 1. Jur. nat.*), sicque cum appetitu & aversatione rationali, seu voluntate atque noluntate ad eundem finem tendant; quin oratio nobis insinuet rectum affectuum usum, dubitandum non est.

Difficillimum omnino est appetitum sensitivum & aversationem sensitivam ad consensum cum rationali reducere, sicque affectus, qui sedem suam in appetitu sensitivo & aversatione sensitiva habent (§. 603. *Psych. empir.*), regimini intellectus, a quo dependet voluntatis & noluntatis determinatio (§. 88. *part. 1. Phil. pract. univ.*), subjicere. Quamobrem cum arduum hoc studium facilitet devota & ardens oratio, *vi propositionis præsentis*; precum utilitas hinc elucescit. In his autem si nul-

lus

lus notari debet rectitudinis defectus, habitus præstandi officia erga Deum acquirere debemus: id quod in dubium vocare nequit, qui, quæ de officiis erga Deum satis prolixe jam demonstravimus, cognovit. Nullum officium erga Deum rite præstari potest sine agnitione Dei (§. 1.). Quamobrem patet, quanti intersit, ut Deum agnoscere studeamus, & quantum generi humano noceant, qui agnitionem Dei labefactare non erubescunt. Ad culturam virtutis omnino requiritur, ut appetitus sensitivus & aversatio sensitiva cum rationali ad consensum reducatur, cum sic tollatur maximum impedimentum (§. 528. 529. 540. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quodsi ergo quis felicitatis cupidus est, quæ sine virtute non acquiritur, nec ab ea sejungi potest (§. 400. *part. Phil. pract. univ.*); ei propositio præsens fortissimum precandi motivum præbet.

§. 493.

Quoniam ad Deum precantes vel eum invocamus, ut bona præsentia conservet, futura conferat, vel mala ventura avertat, periculum imminentis depellat, aut a præsenti nos liberet, vel denique pro bonis acceptis & malis depulsis eidem gratias agimus, neque Deum tantummodo invocamus eidemque gratias agimus nostri causa, sed etiam aliorum causa (§. 1211. 1212. 1210. 1219. 1222. *part. 1. Jur. nat.*); ideo in quatuor species distingvitur oratio. Dicitur autem *Supplicatio* oratio, qua Deus invocatur, ut malum absens avertat, aut a præsenti nos liberet: *Precatio* oratio, qua Deum invocamus, ut bonum præsens conservet, in futurum bona nobis conferat; *Gratiarum actio* oratio, qua Deo gratias agimus ob bona nobis collata, vel mala a nobis depulsa; & *Interpellatio* oratio, qua Deum invocamus, ut aliis bona sua conservet & in futurum conferat, mala vero ab iis avertat, aut a præsentibus eos liberet, & pro bonis ipsis colla- *Orationis species.*

tis, vel malis ab iisdem depulsis gratias agimus. *Celebratio nominis divini* ficuti ad gratiarum actionem accedit (§. 1211. *part. 1. Jur. nat.*), ita etiam ad quamlibet aliam operationem accedere poteſt: *per ſe* autem *peculiarem orationis ſpeciem non conſtituit, ſed in ea Laus divina conſiſtit* (§. 1204. *part. 1. Jur. nat.* & §. 364. *b.*)

Monuimus jam alias (*not.* §. 1222. *part. 1. Jur. nat.*); Apoſtolum orationem diſtinguere in has quatuor ſpecies, 1. Tim. II. V. & *Caſtalionem* caſtæ Latinitatis autorem in ſua verſione easdem quatuor iſtis nominibus inſignire, quas retinere viſum fuit. Vulgatus interpres *obſecrationes*, *orationes*, *poſtulationes & gratiarum actiones* vocat: ſed nomina hæc inſtituto præſenti non æque conveniunt ac illa, quibus uſus eſt *Caſtalio.* Species orationis aliter diſtingvi nequeunt, quam per objecta, circa quæ verſatur. Patet autem ex iis, quæ dicuntur in paragrapho præſenti, quatuor iſtas ſpecies omnem materiam orationis exhaurire.

§. 494.

Formulæ precum ſive orationis & earum neceſſitas.

Formulæ precum ſive orationis ſunt orationes ab aliis compoſitæ, quibus inſtruimur, quomodo ad Deum ſit precandum. Cum non omnes norint per ſe, quomodo ad Deum precandum ſit, nec omnibus ſuccurrant, quæ in qualibet ſpecie orationis, præſertim in caſibus ſpecialibus, ſint attendenda, quod a poſteriori ſatis conſtſtat; *formulæ precum tam generales, quam ſpeciales a peritis condendæ ſunt in gratiam imperitorum* (§. 609. *part. 1. Jur. nat.*).

Periti hic dicuntur, qui norunt, quænam in ſingulis orationis ſpeciebus tam in genere, quam in ſpecie conſideranda ſint & quibusnam verbis aut verborum complexionibus ea exprimenda ſint: unde ſimul patet, quinam imperiti vocentur.

tur. Quamvis enim quis sit artis suæ, quam profitetur, satis peritus; non tamen propterea peritus est artis precandi, sive res spectes, quæ sunt orationis objectum, sive verba, quibus mentem suam exprimere debet ardenter ad Deum precaturus. Quemadmodum vero in omni praxi morali ad docendum alios non satis aptus censetur nisi qui ipse sedulam eidem operam navavit, ut nihil loquatur nisi expertus, quod jam olim discipulis suis inculcavit *Confucius*, quantum valeat experientia domestica in Moralibus probe expertus; ita etiam qui formulas precandi aliis præscribere vult, non modo nosse debet, quæ de oratione a nobis demonstrata sunt, verum etiam ardenter ad Deum precari ut ipse didicerit necesse est, consequenter habitu præstandi officia Deo debita instructus esse debet.

§. 495.

Quoniam formulæ precum nos instruere debent, quomodo ad Deum sit precandum, consequenter non modo in memoriam revocare ea, de quibus ad Deum precantes cogitare debemus, sed etiam suppeditare verba ad mentem nostram ita exprimendam apta, ut ardorem precandi promoveant (§. 489.); *Qui formulas precum componit, verbis uti debet notæ significationis & verborum complexionibus ad concitandos affectus statui precantis convenientes aptis*, consequenter *abstinendum est a phrasibus, quibus nullam notionem jungere potest qui ad Deum precatur, seu verbis quæ non intelliguntur.* *De selectu verborum in formulis precum.*

Selectum hunc verborum & phrasium docet Grammatica & Rhetorica rationalis. Multiplici autem ratione in eo peccari solet a formularum precandi conditoribus, præsertim pietatis promposæ cultoribus (*not.* §. 152.). Non desunt qui sibi persuadent, si centones ex dictis scripturæ consarcinent, ut continuo cum scripturam loqui videantur, quamvis ipsimet verba non intelligant, aut iisdem pro lubitu sensum affingant, aut præ-

præter intentionem autorum ſacrorum ad alia prorſus trahant, quam ipſis docere propoſitum fuit, formulas precum eſſe omni numero abſolutas, aut prorſus divinas. Quaſi vero verba ſcripturæ materialiter conſideratæ ſint verbum Dei, non vero quatenus ſignificant, quod autor iisdem ſignificare voluit. Quodſi notio ex ipſius intentione ipſis reſpondens non accedat, ſunt ſine mente ſonus & tanquam litera mortua nullam vim in animum exerunt; ſi vero alius ſenſus iisdem affingatur, verba ſcripturæ non amplius manent, ſed verba tua fiunt, quoniam tu ſignificatum iisdem impoſuiſti & ex ſono vocabulum effeciſti. Merus autem garritus eſt, ſi ad Deum precans loquaris, quæ non intelligis (§. 1225. *part. 1. Jur. nat.*), ipſa lege naturæ in orando prohibitus (§. 1226. *part. 1. Jur. nat.*). Pietatis pompoſæ cultores, *qui præ aliis* pii videri volunt, loquendi formulas inuſitatas fingunt a rebus ſenſibilibus ſibi notis deſumtas, quibus nulla notio reſpondet, ſi demas eam, qua res, a quibus nomina mutuantur, ſignificantur. Dedimus exemplum in ſuperioribus (*not.* §. 152.). Peccant vero in eo etiam alii, qui, quæ ignorant, per res ſibi notas explicare intendunt garientes de eo, de quo ſermo eſſe debet, dum de re prorſus diverſa multa loquuntur.

§. 496.

De materia formulis precum conveniente. Similiter quia formulæ precum alios inſtruere debent, quomodo ad Deum ſit precandum, ſingulis autem orationum ſpeciebus ſua conveniunt objecta, quæ ſibi repræſentare debet ad Deum precans (§. 494.); *Qui formulas precum componere vult, perpendere debet, ad quamnam precum ſpeciem formula ſit referenda, & ponderare ea, de quibus in illa ſpecie verba ad Deum ſint facienda*, cumque celebratio nominis divini ad quamlibet orationem accedere poſſit ac debeat (§. 493.), *quænam laudi divinæ in ſingulis conveniant, trutinare.*

Qui

Qui ad ea animum attendit, quæ de celebratione nominis divini, de invocatione Dei & gratiarum actione, itemque de oratione demonstravimus, materiam singulis orationum formulis convenientem facile agnoscet. Quamvis enim nonnisi in genere de eadem agamus; generalia tamen nos ducunt ad ea, quæ in casibus specialibus sunt observanda, cum ex adverso generali notitia destitutus ad specialia non sufficientem afferat attentionem, ut facillime negligantur, quæ inprimis perpendenda erant. Quod si vero ea omnia, quæ in antecedentibus demonstrata sunt, rite expendantur, manifestum erit, eum qui formulas precandi aliis præscribere vult, notitia Dei & operum divinorum, voluntatis quoque divinæ de iis, quæ a nobis fieri vult, instructum esse debere.

§. 497.

De diversis precum speciebus in eadem formula conjungendis.

In eadem formula diversæ precum species conjungi possunt & in dato casu conjungi debent. Etenim precum species differunt, prouti bona considerantur vel tanquam collata, vel tanquam conferenda, & mala vel tanquam præterita, vel tandem quam præsentia, vel tanquam futura, sive hæc jam immineant, sive saltem eventu possibilia spectentur, & utraque sive respectu nostri, sive respectu aliorum (§. 493.). Ecquis vero dubitet, nos posse simul & Deo gratias agere, & eum invocare, ut bona in posterum conferat, ac præsentia conservet, aut eum invocare ut malum, quod metuimus, aut fugimus, avertat, & bona, quibus fruimur, conservet, atque in posterum quoque eorum nos participes faciat, vel ut gratias agamus pro bonis nobis collatis & celebrantes bonitatem, sapientiam atque potentiam divinam precemur, ut a malo præsenti liberemur, vel imminens, aut quod metui poterat, a nobis avertatur, & ita porro? In eadem igitur formula diversæ precum species conjungi possunt. *Quod erat unum.*

Dari autem casus, in quibus diversæ precum species conjungi debent, unusquisque per se facile animadvertit, qui ad casus obvios animum advertit. Ita in communi periculo, cum Deum etiam pro aliis invocare debeamus (§. 482.), precatio cum interpellatione conjungenda (§. 493.). Similiter si invocatio fuerit generalis, supplicatio, precatio & interpellatio conjungendæ, immo gratiarum quoque actio accedat pro casu emergente necesse est (§. *cit.*). *Quod erat alterum.*

Species precum non distingvuntur eo fine, quasi semper a se invicem sint disjungendæ; sed ut in casibus specialibus intelligatur, quomodo rite sit precandum, & in aliis, *ubi plures* species, vel etiam omnes sunt conjungendæ, non ignoretur, quomodo ea, de quibus ad Deum verba facimus, recto sint ordine disponenda: id quod observandum, si devote atque ardenter precari velimus. Plurimum nimirum confert ad conservandum devotionem & ardorem; si sequentia facile ad se trahant attentionem ab antecedentibus & affectus præcedentes disponant animum ad concipiendum sequentem (§. 485.).

§. 498.

Utilitas formularum precandi.

Formulæ precum in memoriam precanti revocant ea, de quibus cogitandum, si Deum invocare eidemque gratias agere velimus; attentionem ad preces conservant, devotionem & ipsum quoque ardorem precandi promovent. Constat si rerum absentium meminisse debemus, vi imaginationis non reproduci earum perceptionem nisi vi ejus, quod in præsenti sensu percipimus (§. 104. *Psych. empir.*), ut a sensatione originem ducant omnes mutationes animæ (§. 64. *Psych. rat.*). Quamobrem cum non semper sensationes præsentes tales sint, ut vi legis imaginationis ea precanti in memoriam revocare possint, ad quæ ani-

animum attendere debet (§. 117. *Psych. empir.*), immo non omnibus satis cognita sint ea, de quibus ad Deum precans cogitare debet, formulæ autem precum nos instruunt, quomodo ad Deum precari debeamus (§. 494.), consequenter ea recensent, de quibus ad Deum precans cogitare debet; eædem in memoriam precanti revocant ea, de quibus cogitandum, si Deum invocare ac eidem gratias agere velis (§. 228. *Psych. empir.*). *Quod erat primum.*

Enimvero dum formulam precandi legimus sive voce clara, sive demissa, non modo verba auditu percipimus, quatenus pronunciantur, verum etiam visu, quatenus legentes scripta intuemur. Quamobrem cum visus ab objectis aliis avertatur & cum auditu ad perceptionem rei ejusdem concurrat, quo etiam facit perceptio motuum organorum loquelæ, quamvis non clara satis sit; fieri non potest, quin perceptiones eorum, de quibus ad Deum precantes cogitare debemus, nobis sint clariores, quam ceteræ, quæ forsitan ab objectis sensibilibus in alia corporis organa agentibus suscitantur, nec imaginationi sit locus rerum a præsenti scopo alienarum producendi perceptiones (§. 117. *Psych. empir.*). Quamobrem cum attentio in eo consistat, quod perceptio una in totali contenta ceteris sit clarior (§. 237. *Psych. empir.*), sensatio vero fortior impedit, quo minus ad debiliorem simus attenti (§. 238. *Psych. empir.*), & attentio facilius conservetur, si actus imaginationis impediantur (§. 241. *Psych. empir.*); formulæ precum quatenus scriptæ leguntur, attentionem ad preces conservant. Et ubi attentionem conservare consueveris, deinceps quoque si verba saltem ore proferuntur, immo si tacitus saltem fuerit sermo, attentio ad preces conservatur (§. 922. 923. *Psych. empir.*). *Quod erat secundum.*

In attentione ad ea, de quibus ad Deum precantes cogitamus, devotio consistit (§. 485.). Quamobrem cum formulæ precum attentionem hanc conservent, ut conservatio tandem in consvetudinem abeat, *per demonstrata n. 2;* eædem devotionem promovent. *Quod erat tertium.*

Denique si quis attentionem ad ea, quæ ad Deum precans cogitat & loquitur, in se desiderari non patitur, animus commovetur affectibus consideratione illorum concitatis (§. 486.). Quamobrem cum formulæ precum attentionem istam conservent *per demonstrata n. 2.* ac præterea ipsa verborum in formulis occurrentium emphasi affectus convenientes concitentur (§. 495.), in animo autem *affectibus* commoto ardor precandi consistat (§. 485.); formulæ precum ardorem quoque precandi promovent. *Quo erat quartum.*

Ne quis putet, nos formulis precum tribuere vim, quam experientia ipsis controversam facit; notandum est, nos supponere, ut formulæ precum ita conscriptæ sint, quemadmodum conscribi debent (§. 495. 496.), & ut iisdem utatur ad Deum precaturus, quemadmodum uti debet. In Moralibus enim supponimus omnium actuum rectitudinem, ad quam nos obligat lex naturæ (§. 189. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodsi formulæ precum rectæ sint, ad attentionem conservandam, sicque ad devotionem & ardorem precandi promovendum aptæ sunt. Per illarum ideo rectitudinem possibile est, ut attentio ad ea, de quibus preces fundens cogitare debet, conservetur & devotio cum ardore precandi promoveatur. Enimvero si quod possibile est ad actum deducendum, ex parte precantis accedat rectus formularum usus. Quamobrem si contingat formulas precum vim istam non exerere, quam ipsis tribuimus; aut eædem deficiunt a rectitudine, aut deficit rectus earundem usus, aut in casu emergente objiciuntur impedimenta, quo minus fiant, quæ hisce absentibus facta fuis-

fuissent. Quodsi ergo quis experimentum in se capere voluerit, quod difficile esse in Moralibus jam supra notavimus, quæ hic dicuntur, ea probe perpendere debet. Inprimis autem notandum est, quod animum recte precandi habere debeat, ad rectam vero precationem dispositus animus esse nequeat, nisi ad officia erga Deum præstanda satis fuerit præparatus.

§. 499.

Quomodo formulis precum sit utendum.

Qui formulis precum uti vult, operam dare tenetur, ut ea intelligat, quæ in genere dicuntur, ad se & statum suum & ad alios, pro quibus ad Deum precatur, applicet & ad emphasin verborum animum attendat. Etenim formulæ precum nos instruere debent, quomodo ad Deum precari debeamus (§. 494.), consequenter nobis suggerere ea, de quibus cogitandum, si Deum invocare, vel gratias ipsi agere velimus (§. 1222. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum verba sint sine mente sonus, nisi eidem jungantur notiones, quarum sunt signa (§. 36. *Log.*); si verba in formulis precum adhibita nobis suggerere debent ea, de quibus cogitandum, quando Deum invocare atque gratias agere volumus, necesse est cum iis, easdem notiones jungamus, quas cum iis conjunxit formulæ autor. Enimvero si hoc fiat, verba ipsius intelligimus (§. 117. *Log.*). Quamobrem cum ad Deum precans garrire (§. 1226. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque verba inania profere non debeat (§. 1225. *part. 1. Jur. nat.*); qui formulis precum utivult, operam dare tenetur, ut eas intelligat. *Quod erat primum.*

Per se patet, formulæ autorem de bonis a Deo conservandis, collatis & conferendis, itidemque de malis præteritis, præsentibus & futuris, sive jamjam imminenti-

 bus

bus, sive eventu possibilibus, quæ sunt materia precum (§. 493.), nonnisi in genere loqui posse, non vero præcise respicere ad personam vel statum orantis, aut ejus, pro quo fit interpellatio. Quamobrem cum qui ad Deum precatur loquatur de bonis vel malis, quæ se aut statum suum, vel alios eorumque statum respiciunt, & ad Deum loquentes vera loqui debeamus, quod nemine invito sumitur; ideo necesse est, ut quæ in formulis precum in genere dicuntur, ea precans ad se & statum suum, vel ad alios, pro quibus ad Deum precatur, applicet. *Quod erat secundum.*

Denique cum emphasis verborum faciat ad concitandos affectus, quod a posteriori notum sumitur, in animo autem affectibus commoto ardor precandi consistat (§. 485.) ad orationem requisitus (§. 487.); qui formulis precum uti vult ad emphasin verborum animum attendere debet. *Quod erat tertium.*

Promovetur quoque ardor precandi, si quæ in genere dicuntur ad nos applicantur, vel ad eos, pro quibus Deum interpellamus. Ista enim applicatione veritatis eorum convincimur, de quibus Deum invocamus & pro quibus gratias agimus. Affectus autem, quos ardor exigit (§. 485.), non concitantur, nisi quatenus certa sunt, aut videntur, quorum consideratione concitantur, cum alias non influant in appetitum & facultatem aversandi: id quod ex omnibus iis manifestum est, quæ de concitandis affectibus demonstravimus in parte secunda Ethicæ, & unusquisque in seipso experitur, qui animum ad affectus attendit, quando in se oriuntur. Garritus vero non modo est formularum recitatio, si verba, quæ proferuntur, non intelliguntur, sed etiam si recitans de veritate eorum, quæ iisdem significantur, quoad se convictus non est. Vide, quæ alias jam annotavimus (*not.* §. 1225. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 500.

§. 500.

Quoniam qui *formulis precum* utitur, operam dare tenetur, ut ea intelligat, quæ in genere dicuntur, ad se & statum suum atque alios, pro quibus Deum interpellat, applicare & ad verborum emphasin attendere debet (§. 499.); iisdem *abutitur qui in nuda recitatione subsistit.* *De abusu formularum precandi.*

Non orat, qui formulam precandi saltem recitat, sed garrit (§. 1225. *part. 1 Jur. nat.*). Ponamus enim, cubitum iturum dicere: Tu, Deus, mihi per hunc diem multa bona contulisti; ast ignorare, quænam & qualia sint ista bona: eum ex animi sententia loqui ecquis dixerit? Aut igitur ad verba ista subsistere & in mentem sibi revocare debet bona, quibus Deus per d em præteritam se cumulavit, aut eadem referre ad statum præteritum, in quo beneficia Dei expendit. Quamobrem antequam ad preces fundendas accedat, beneficia divina ponderare debet, pro quibus Deo gratias agere decrevit, aut verbis generalibus formulæ substituere debet recensionem beneficiorum sibi a Deo exhibitorum. Facile hinc intelligitur, quomodo sit procedendum, ut formulis precandi recte utamur ad Deum in veritate precaturi, non vero garrituri. Probe autem notandum est quod diximus de relatione verborum, quæ formula precandi suggerit, ad statum præteritum, ne videamur a precantibus exigere, quæ fieri nequeunt. Notandum quoque præterea est, nos haud raro verbis generalibus contentos esse posse, quatenus per status præteritos intelligibilia efficiuntur etiam respectu nostri, vel quatenus futura a Deo flagitamus, ita ut omnia voluntati ipsius relinquamus. Multa autem hic dici poterant, sicuti de aliis quibuscunque, de quibus agimus, si ad particularia descenderemus; sed instituti nostri ratio exigit, ut in generalibus subsistamus, cum tantas ambages non permittat. Nec tantis ambagibus opus est, cum, qui generalia didicerit & ad praxin transferre studet, particularia per se addiscat.

§. 501.

§. 501.

Fructus precum. *Preces obedientiam erga Deum & pietatem promovent, & permansionem in proposito actiones legi naturæ convenienter determinandi roborant.* Quando enim preces fundimus, Deum invocamus ipsique gratias agimus (§. 1222. *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero Deum invocare nequit, nisi qui eundem amat & timet (§. 481.), & in timorem Dei gratiarum actio quoque influit (§. 468.). Quamobrem cum Deo lubentissime obediat, qui ipsum timet (§. 325.) & in gratiarum actione obedientiam Deo spondeamus (§. 467.); preces obedientiam erga Deum promovent. *Quod erat primum.*

Qui Deo obedit, pius est (§. 175.). Quoniam itaque preces obedientiam erga Deum promovent *per demonstrata n. 1.* pietatem quoque promovent. *Quod erat secundum.*

Qui Deo obedit, voluntatem suam Deo dat (§. 179.), ita ut noluntas Dei sit ipsi loco voluntatis propriæ (§. 971. *part. 1. Theol. nat.*), nec actiones liberas suo arbitratu determinet, sed quemadmodum vult Deus (§. 970. *part. 1. Theol. nat.*), consequenter legi naturæ convenienter (§. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum preces fundens Deum invocet eidemque gratias agat (§. 1222. *part. 1. Jur. nat.*), Deum vero qui invocat etiam timeat (§. 481.), consequenter ad obedientiam Deo debitam impellatur (§. 326.), & qui gratias agit obedientiam Deo spondeat (§. 467.); ad Deum precans propositum habere debet actiones suas legi naturæ convenienter determinandi (§. 503. *part. 1. Theol. nat.*). Quoniam itaque precando memoria hujus propositi continuo renovatur ideoque eidem mandatur (§. 179. *Psych. empir.*), qui vero contra propositum agere non

non vult, ejus ſemper memor eſſe debet (§. 434 *part. 2. Phil. pract. univ.*) & ut memor ſit, conſuetudinem contrahere ad conſpectum objecti cujuscunque appetibilis, vel quoties agendi occaſio offertur, de actionis cum lege naturæ convenientia vel disconvenientia cogitandi (§. 433. *part. 2. Phil. pract. univ.*); preces permanſionem in propoſito actiones legi naturæ convenienter determinandi roborant. *Quod erat tertium.*

Poteramus eadem deducere immediate ex ipſis definitionibus invocationis Numinis & gratiarum actionis &, quæ ad utramque accedit (§. 493.), celebrationis nominis divini, cum omnes iſti actus verſentur circa beneficia & perfectiones divinas (§. 1204. 1211 1219. *part. 1. Jur. nat.*), quorum conſideratione obedientia, pietas & propoſitum actiones ſuas legi naturæ convenienter determinandi ſuſcitatur, quemadmodum ex ſupra demonſtratis intelligitur: id quod in eorum gratiam monemus, qui extra ſyſtema fructus precum aliis commendare & ad veritatem perſuadere volunt. Etenim extra ſyſtema recurrendum haud raro eſt ad principia remota, cum in ſyſtemate ſubſiſtere poſſimus in proximis, vel ſaltem propioribus. Qui vero in ſyſtemate verſatus eſt, perpendendo demonſtrationes principiorum, facile videt, ad quænam remotiora ſit recurrendum. Quodſi quis objiciat, ſe fructus precum, quos in præſenti oſtendimus, percipere non poſſe; hinc agnoſcat, ſe nondum in veritate ad Deum precari didiciſſe, ſed orationem ſuam a rectitudine adhuc deficere. Quales autem ſint hi defectus, in eos inquirendo agnoſcet, qui dependentiam officiorum erga Deum a cognitione viva ejusdem & a ſe invicem in antecedentibus ſufficienter demonſtratam cognitam atque perſpectam habet.

§. 502.

Status precantis ad felicitatem hominis pertinet. Cum enim ad Deum precans beneficia divina ſibi repræſentet una cum *De ſtatu precantis.*

perfectionibus divinis (§. 493.), ex perfectionibus autem divinis atque nostris voluptas percipiatur (§. 511. *Psych. empir.*), quæ tanto major est, quo major fuerit perfectio (§. 516. *Psych. empir.*), & quo certius agnoscitur (§. 517. *Psych. empir.*), status autem, in quo voluptas vera perdurat, felicitas est (§. 636. *Psych. empir.*); status precantis ad felicitatem hominis pertinet.

Magna felicitatis, qua frui poterant, parte se privant, qui preces negligunt. Quibus precatio adhuc molesta accidit, devote atque ardenter ad Deum precari nondum didicerunt: id quod defectui officiorum erga Deum & per consequens agnitionis vivæ Dei (§. 1.), tribuendum. Omnia *officia erga Deum* sunt fons felicitatis nostræ, cum *animum voluptate* vera, ideoque constante (§. 515. *Psych. empir.*) perfundant. Nemo autem sibi persuadeat, se rite ad Deum precari posse, si ab officiis erga Deum adhuc alienus est. Quo magis proficimus in officiis hisce, eo major quoque erit devotio & ardor precandi, ipsa etiam precum rectitudo. Habemus itaque motivum fortissimum ad Deum precandi, cum ipsi natura nobis insinuet felicitatis cupidinem (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*).

§. 505.

Qualem animum efficiunt preces. *Preces animum reddunt quietum & imperturbatum.* Qui enim ad Deum precatur, eum invocat, eidem gratias agit & nomen divinum celebrat (§. 493.). Quamobrem cum Deum invocans ipsi confidere & in providentia ipsius acquiescere debeat (§. 480.), qui vero Deo confidit & in providentia ipsius acquiescit, ejus animus semper tranquillus & lætus sit (§. 442.) & qui Deo gratias agit, beneficia divina agnoscens (§. 472.) sorte sua contentus sit, celebratio autem nominis divini animum imperturbatum & quietum effi-

efficiat (§. 465.); preces animum quietum & imperturbatum reddunt.

Status animi quieti & imperturbati rectius sentitur, quam verbis declaratur. Et qui eundem expertus est, non minus eundem sibi optabit, quam tranquillitatem maris optant navigantes. Quamobrem si iteratis precibus status iste continuo renovetur, tandem fit perennis, & officia erga Deum, quibus indesinenter vacamus, & quæ altas in animo egerunt radices, adversus procellas irruentes eundem tutum præstant.

§. 504.

Preces reverentiam erga Deum exigunt. Precantes enim sermonem cum Deo conferimus (§. 1222. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum Deum revereri debeamus (§. 1183. *part. 1. Jur. nat.*); preces reverentiam adversus Deum exigunt. *De reverentia adversus Deum ad precandum requisita.*

Maxime curandum est, ut, quando cum Deo sermonem conferimus, eum revereamur. Ecquis enim est qui nesciat, quam reverenter colloquamur cum iis, qui dignitate nos præcellunt, immo etiam cum aliis quibuscunque, quos suspicere videri volumus? Officium ergo, quod hominibus præstamus, ecquis denegabit Deo, quem maximi facere, idque actibus externis quibuscunque significare debemus (§. 1181. *part. 1. Jur. nat.*).

CAPUT IX.

De Religione naturali.

§. 505.

Religio naturalis consistit in præstatione officiorum erga Deum & determinatione voluntatis ad officia erga nos & alios per motiva ab attributis divinis desumta cum animo obediendi Deo. *Religio naturalis in quo consistat.* Religio enim naturalis est modus colendi Deum, qui ex

principiis rationis demonstratur (§. 512. *part. 2. Theol. nat.*). Ad cultum vero divinum requiruntur officia erga Deum, quæ lege naturali præscribuntur, nimirum agnitio Dei viva, pietas, obedientia Deo debita, amor Dei, timor filialis, magnificatio, fiducia, acquiescentia in providentia divina, gratitudo, celebratio nominis divini, invocatio & gratiarum actio mentalis (§. 1234. *part. 1. Jur. nat.*), reverentia adversus Deum & oratio (§. 1235. *part. 1. Jur. nat.*). Ad eundem quoque referendæ sunt actiones ceteræ omnes, legi naturæ conformes, consequenter officia erga nos & alios (§. 226. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quatenus determinantur per motiva ab attributis divinis desumta & animo sese Deo *præbendi* obedientem eduntur (§. 1238. *part. 1. Jur. nat.*). Religio igitur naturalis consistit in præstatione officiorum erga Deum & in determinatione voluntatis ad officia erga nos & alios per motiva ab attributis divinis desumta cum animo obediendi Deo.

Ostendimus in anterioribus, quænam a nobis observanda sint, ut Deo præstemus officia, quæ ipsi debentur, & pietas, quæ in illorum numero est, exigit ut actiones nostras liberas determinemus per motiva ab attributis divinis & providentia divina desumta (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quod quomodo fieri debeat in particulari demonstrabimus in partibus Ethicæ sequentibus, in quibus praxin officiorum erga nos & erga alios tradituri sumus. Obedientia vero Deo præstanda requirit, ut omnes nostras actiones spectemus tanquam officium Deo debitum (§. 173.), consequenter ut edantur animo obediendi Deo. Religio igitur naturalis in tertia hac Ethicæ parte a nobis sufficienter explicatur. Supponitur tamen officia ex Jure naturæ nobis esse cognita & Deum ex systemate Theologiæ naturalis atque Libro naturæ. Quemadmodum religio revelata redit ad credenda & agenda, quorum illa traduntur

tur in Theologia dogmatica, hæc in morali; ita religio naturalis itidem continet ſcienda & agenda, quorum illa in Theologia naturali, hæc in Jure naturæ & Philoſophia morali traduntur. Ea autem differentia eſt, quod religio naturalis dogmata ſua de ſciendis & agendis deducat ex principiis rationis, religio autem revelata dogmata de credendis & agendis hauriat ex revelatione divina.

§. 506.

De immutabilitate religionis naturalis.

Quoniam religio naturalis conſiſtit in præſtatione officiorum erga Deum & ceterorum cum animo obediendi Deo, atque determinatione voluntatis ad eadem per motiva ab attributis divinis deſumta (§. 505.), officia autem hæc (§. 225. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ſicuti & determinatio voluntatis ad agendum per motiva ab attributis divinis deſumta lege naturali præſcribuntur (§. 251. *part. 1. Phil. pract. univ.*), eademque lex etiam urget, ut actiones omnes edantur animo obediendi Deo (§. 1165. *part. 1. Jur. nat.* & §. 173. *h.*); *religio naturalis ipſa lege naturæ præcipitur*, conſequenter cum lex naturæ ſit prorſus immutabilis (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*), *Religio naturalis prorſus immutabilis eſt.*

Fieri itaque nequit, ut per religionem revelatam naturalis tollatur, aut quicquam in ea mutetur; ſed tota potius in hac ſubſiſtit, nec quod ſuperadditur illi contradicere poteſt.

§. 507.

De univerſalitate & inviolabilitate religionis naturalis.

Quoniam religio naturalis lege naturæ præcipitur (§. 506.), lex autem naturæ ponitur, poſita eſſentia & natura hominis (§. 136. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque omnes homines obligat; *religio naturalis omnium hominum eſt, quam nemo violare, aut polluere, multo minus tollere debet.*

Etsi itaque detur religio revelata vera, in ea tamen subsistit religio naturalis integra. Religio igitur revelata superaddere quidem potest, quæ rationi sibi relictæ sunt impervia; non tamen, quæ eidem contradicunt, ita ut, quæ urget revelata, faciant ad promovendam naturalem, non vero ad eam tollendam, aut in nonnullis immutandam, quæ ipsa urget. Non tamen inde sequitur, religionem naturalem esse unicam verum religionem, & per consequens omnem, quæ pro revelata venditatur, tanquam spuriam esse rejiciendam. Quamvis enim ea faciat ad falsas religiones detegendum, quæ perperam pro revelatis venditantur, aut pro lubitu ab hominibus confictæ sunt, & ad pollutum in apricum producendum; non tamen hinc inferri potest, religioni naturali nihil a Deo superaddi posse. Vide, quæ de criteriis revelationis divinæ *demonstravimus* (§. 451. *& seqq. part. 1. Theol. nat.*), ne nobis spuria imponi patiamur. Cum nostrum non sit nisi ea tradere, quæ ad religionem naturalem pertinent; nec nostrum est veritatem religionis christianæ defendere, sed eorum, qui inter nos Theologi audiunt.

§. 508.

Quomodo religio naturalis sit addiscenda.

Quicquid de cultu divino ex principiis rationis demonstratur, ad religionem naturalem pertinet. Etenim ea, quæ de cultu divino demonstrantur ex principiis rationis ad modum rationi convenienter colendi Deum pertinent. Quamobrem cum religio naturalis consistat in modo colendi Deum, qui ex principiis rationis demonstrari potest (§. 512. *part. 2. Theol. nat.*); quicquid de cultu divino ex principiis rationis demonstrari potest, ad religionem naturalem pertinet.

Quando agendum de religione, cultus divinus explicandus est, eaque demonstranda sunt, quæ ad eundem pertinent. Ostendimus jam, in quonam cultus Dei internus & externus consistat, quatenus lege naturali præcipitur (§. 1230. *& seqq. part.*

part. 1. Jur. nat.). Quamobrem qui religionem naturalem cognoscere vult, ea addiscere debet. Quemadmodum itaque theoriam officiorum erga Deum in Jure naturæ demonstravimus & in Ethica non tractantur, nisi quæ ad praxin spectant; ita quoque theoria religionis naturalis continetur in Jure naturæ, quæ vero ad praxin referuntur, in Ethica tradenda sunt. Ast cum religio naturalis consistat in præstatione officiorum erga Deum & in determinatione voluntatis ad officia erga nos & alios per motiva ab attributis divinis desumta cum animo obediendi Deo (§. 505.), praxin autem officiorum erga Deum & præsertim pietatis, quæ in omnia officia ergaa nos & alios influit, in anterioribus explicaverimus, de influxu autem pietatis in officia erga nos & alios suo loco in specie acturi simus, de praxi cultus divini pauca saltem superaddenda, ubi de religione naturali agitur.

§. 509.

Cultus privatus dicitur, quo unusquisque solus per se colit Deum. Quamobrem cum Deus in omnibus actionibus colendus sit (§. 1124. *part. 1. Jur. nat.*), & ad cultum Dei pertineant omnia officia erga Deum (§. 1234. *part. 1. Jur. nat.*), quæ ad nullum certum tempus restringi per se patet; *cultus privatus ad certum tempus non restringitur*, seu *lege naturæ nullum determinatur tempus cultui divino impendendum*, consequenter *si quo tempore cessandum sit ab omni labore alio, ut Deum rite colere discas, aut possis*, veluti ut Deum agnoscas, aut preces ad eum fundas, *id unusquisque pro lubitu determinare potest.* *Cultus privatus.*

Cultus igitur privatus nullos supponit dies festos, sed quilibet pro lubitu, sicuti sibi visum fuerit, tempus cultui divino impendendum determinare potest, prouti nimirum commodum sibi visum fuerit & alia negotia permittunt. Religionis naturalis est, ut hominis tota vita sit cultus divinus continuus (§. 1253. *part. 1. Jur. nat.*), quatenus nimirum Deus colendus in omnibus actionibus (§. 1124. *part. 1. Jur. nat.*).

Cul-

Cultui itaque privato nullum certum tempus ratio assignat. Vult Deus ut ipsi obediamus (§. 1165. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque etiam satisfaciamus officio, quod status noster exigit, in quo ipso providente constituti sumus (§.430.). Quamobrem privatus cultus, quatenus eidem soli impendendum est aliquod tempus, ad certum tempus restrictus non est.

§. 510.

De ceremoniis in cultu privato.

Quoniam cultu privato unusquisque solus per se Deum colit (§. 509.), natura autem unicuique homini competit jus in usum suum ceremonias cultus divini instituendi (§. 1250. *part. 1. Jur. nat.*); *in cultu privato quilibet ceremonias pro lubitu instituere potest, prouti ad eum promovendum commodæ sibi videntur* (§. 447. *part. 2. Phil. pract. univ.*).

Obligati sumus ad ceremonias aptas in cultu divino privato instituendas (§. 1249. *part. 1. Jur. nat.*); sed jus ex obligatione nascitur eas, prout commodum visum fuerit, instituendi.

§. 511.

Cultus Dei publicus & domesticus.

Si plures in eodem loco cohabitantes conjunctim Deum colunt, *Cultus divinus publicus* dicitur. Differt ab eodem *domesticus*, etsi in multis cum eo conveniat, si paterfamilias cum suis Deum conjunctim colit. *Cultus tam publicus, quam domesticus legi naturæ convenit* (§. 1241. 1242. *part. 1. Jur. nat.*).

Ad cultum publicum requiritur locus publicus, in quo cultus divini celebrandi causa convenitur, destinatum tempus conventibus hisce impendendum, ordo, quo omnia peragenda sunt. De his disponere in statu civili ejus est, cui jus circa sacra competit (§. 458. & *seqq. part. 8. Jur. nat.*); si familiæ supponantur segreges, quæ sine imperio civili vivunt, standum est eo, de quo fuerit conventum. In cultu domestico eorundem dederminatio pendet a voluntate patrisfamilias.

lias. Non vero hic progredimur ultra ea, quæ ad religionem naturalem pertinent, sepositis iis, quæ ex religione revelata deducuntur. Hic enim saltem quæritur, quid fieri debeat, ut exercitium religionis naturalis vigeat. Neque vero existimandum est, quasi tractatio hæc inutilis sit, ubi religio revelata usu recepta. Cum enim per eandem non tollatur naturalis, fieri quoque non potest, quin multa, quæ de exercitio religionis naturalis ex principiis rationis demonstrantur, ad exercitium quoque religionis revelatæ applicari possint, quamvis etiam fieri possit, ut in gratiam hujus quædam non modo sint addenda, quædam etiam immutanda. Sed horum discussionem tanquam a foro nostro alienorum Theologis relinquimus. Habent vero ea, quæ de cultu divino publico respectu religionis naturalis demonstrantur, hunc usum, ut ad defendendum cultum Dei publicum, qualem exigit religio revelata, adversus irreligionarios nostri seculi adhiberi possint.

§. 512.

Quænam ad cultum privatum, quænam ad publicum & domesticum requirantur.

Ad cultum Dei privatum requiritur præstatio omnium officiorum erga Deum, sive ad cultum internum, sive externum spectent; ad publicum vero & domesticum sermo, quo præsentes de Deo & officiis ipsi præstandis, atque officiis erga se & alios propter Deum observandis instruuntur, orationes & cantationes, reverentia adversus Deum & ceremoniarum ordinatarum observantia. Religio enim naturalis consistit in præstatione officiorum erga Deum & determinatione voluntatis ad officia erga nos & alios per motiva ab attributis divinis desumta cum animo obediendi Deo (§.505.). Quamobrem cum non minus cultus internus, quam externus lege naturæ præcipiatur (§. 1231, *part. 1. Jur. nat.*), qui Deum rite colere vult, non modo satisfacere debet officiis, quæ pertinent ad cultum Dei externum, verum etiam ad internum. Quoniam itaque cultus Dei privatus est, quo quis so-

solus Deum colit (§.509.), determinatio autem voluntatis suæ ab unoquoque pendet; ideo ad cultum Dei privatum requiritur præstatio omnium officiorum erga Deum, sive ad cultum internum, sive externum spectent. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam determinatio voluntatis alterius non est in potestate tua, quod per se patet; si plures Dei colendi causa conveniant, nemo præsentium efficere potest, ut alius simul præsens quoque satisfaciat officiis ad cultum internum spectantibus, sed hoc unicuique relinquendum. Quamobrem cum in cultu publico & domestico plures conjunctim Deum colere debeant (§. 511.), satisfaciendum saltem est officiis, quæ ad cultum Dei externum *spectant*, quamvis interni causa celebretur externus, & quilibet naturaliter obligetur, ne internum ab externo separet (§. 1231. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum ad cultum Dei externum pertineat docere alios, quinam sit Deus, quænam sit ipsius de actionibus nostris determinandis voluntas, quomodo sit colendus, & eos adhortari, ut Deum colant, quæque his gemina sunt (§. 1241. *part. 1. Jur. nat.*), ad eundem quoque reverentia erga Deum, celebratio nominis divini & oratio (§. 1237. *part. 1. Jur. Jur. nat.*), itidemque hymnorum cantus (§. 1248. *part. 1. Jur. nat.*) & ceremoniarum observantia pertineat (§. 1249. *part. 1. Jur. nat.*); ad cultum publicum & domesticum requiritur sermo, quo præsentes de Deo & officiis ipsi præstandis, & officiis erga se atque alios propter Deum observandis instruuntur, requiruntur etiam orationes & cantationes, reverentia adversus Deum & ceremoniarum ordinatarum observantia.

Non confundendæ sunt duæ quæstiones, quæ inter se differunt, ne in perversam sententiam trahatur propositio præsens. Alia nimirum quæstio est, num qui Deum colere vult, acquie-

acquiescere debeat in cultu externo, an vero cum interno conjungendus etiam sit necessario internus: alia vero, num cultus publicus qua talis absolvatur istiusmodi actibus, qui tantummodo spectant ad cultum externum. Quæstio prior utique neganda; posterior vero affirmanda. Perversa omnino opinio est, quæ plerorumque animos occupavit, quasi Deum satis colant, si cultui publico intersint & ea faciant, quæ ad cultum externum spectant, de interno parum solliciti, nec in privato, nisi eundem prorsus negligant, ultra externum progrediantur. Cultus externus sine interno pro cultu divino non habendus, sicuti corpus sine anima homo non est. Quamobrem etiam Deum minime colit, qui cultui publico interest, ast in solo externo acquiescit. Enimvero quæ in cultu publico fiunt, cum nonnisi in actibus externis consistere possint, neque enim suis cogitationibus unus prodesse potest alteri, ad cultum nonnisi externum spectant & cultus publicus, itidemque domesticus in externo per se terminatur.

§. 513.

Quoniam in cultu publico præsentes instruuntur de Deo & officiis ipsi præstandis, atque officiis erga se & alios propter Deum observandis (§. 512.); *qui cultui divino intersunt, addiscunt ea, quæ ad Deum rite colendum & recte vivendum scitu necessaria sunt, aut quæ jam norunt in memoriam ipsis revocantur atque inculcantur*, consequenter cum eorum semper memores esse debeamus, si Deum rite colere & ad voluntatem ipsius omnes nostras actiones componere velimus, *cultus divinus internus & recte vivendi studium promovetur.* Immo cum ad cultum publicum etiam requirantur orationes & cantationes una cum reverentia adversus Deum, & unus alteri exemplo esse possit, quomodo devote & ardenter ad Deum precari atque eundem revereri debeamus, & cantus inprimis hy- *De utilitate cultus publici.*

mnorum attentionem excitant & conservant, affectus concitant & ea, de quibus agunt, facilius atque tenacius memoriæ infigunt, & hoc etiam in aliis cantum audientibus præstant (§. 1245. *part.* 1. *Jur. nat.*); *qui cultui divino intersunt, eorum animus, nisi ipsimet sibi desint, ad devotionem & ardorem precandi* (§. 485.), *immo & ardorem recte agendi Deumque in omnibus actionibus colendi disponitur* (§. 218. 243. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), *sicque propositum Deum in omnibus actionibus colendi & recte agendi tenax & constans efficitur* (§. 224. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*).

Non dubito fore multos, qui existimaturi sunt, nos de cultu divino publico prædicare utilitatem, quam *inde sperari* non posse quotidiana experientia loquatur. Sed hi erunt, qui de cultu divino publico statuunt ex eo, quod fit, non quod fieri debet. In philosophia morali supponimus eum esse, qualis esse debet, ita ut a rectitudine sua non deficiat, sed tam docentes & sacra administrantes, quam audientes & orantes atque cantantes officio suo satisfaciant. Utriusque igitur partis vitio accidit, ut cultus publicus ea utilitate destituatur, quam habere poterat ac debebat. Habent sermones sacri suam rectitudinem, habent etiam orationes & hymni, habent actus quicunque alii ad cultum divinum publicum requisiti, & unusquisque præsentium, dum agit quod suum est, ut recte agat curæ habere debet. Ab hac rectitudine pendet utilitas cultus publici, ac idem quoque intelligitur de domestico. Quid igitur mirum videtur, si deficiente rectitudine deficiat quoque utilitas? Ceterum ipsa hæc utilitas cultum divinum publicum commendat & ut in eo omnia recte peragantur nos incitare debet.

§. 514.

Quænam in Concione ad Sermo, quo in cultu divino publico de Deo & voluntate ipsius instruuntur præsentes, *Concio* dicitur. *Concionem* igi-

igitur *ad populum habiturus, quæ de Deo scitu necessaria docere & officia inde resultantia inculcare debet.* Ut omnia recte intelligantur, *notiones eorum distinctas menti præsentium insinuare* (§. 89. 117. *Log.*), *aut veritatis eos convincere, aut ea, quæ dicuntur, saltem ad veritatem persvadere & errores, qui assensum morari poterant, refutare tenetur* (§. 982. 1017. *Log.*), *utendumque est hebetiorum causa reductione veritatum universalium ad sensum communem* (§. 422. *part. 1. Eth.*). Cumque ad officia colenda sint incitandi & præparandi, ut iisdem satisfacere studeant, non vero saltem nosse sufficiat, quid sit faciendum, quid non faciendum, *proponenda quoque sunt motiva actionum committendarum & omittendarum, media item atque signa rectitudinis actionum, exponenda sunt impedimenta & modus, quo tolluntur, demonstrandus* (§. 10. *part. 1. Eth.*). Denique cum ad persvadendum & animum commovendum atque attentionem conservandam faciat ars oratoria, quæ hunc sibi finem propositum habet, & cujus vim experimur; *qui concionem ad populum habet, oratorio more scite verba facere debet.* *Populum habenda requirantur.*

Paucis hic indicavimus, quales esse debeant conciones in cultu Dei publico. Quamvis vero in religione naturali gradum sistamus, consequenter etiam cultum divinum &, quæ in eo habentur, conciones non ultra eam extendamus; facile tamen videmus, eadem quoque ad conciones Christianorum applicari posse, immo deberi. Etenim in his quoque agitur de credendis & agendis, retinentur ea, quæ ad religionem naturalem pertinent, & superadduntur, que revelata sibi propria habet. Usus, quos Apostolus prædicat de scriptura divinitus inspirata, seu verbo Deo revelato 2. Tim. III. 16. valent etiam de verbo Dei, quod continetur in Libro naturæ (*not.* §. 457.) & quod nobis a Deo per rationem revelatur via demonstrationis (*not.* §. 290. *part. 1. Theol. nat.*). Diversus modus, quo verbum Dei nobis manifestatur, non variat

utilitatem ejus, cum ſemper maneat unius ejusdemque Dei verbum de ſe ac voluntate ſua nos inſtruentis. Et ſi quis ea perpendit, quæ de concionibus ad propagandam religionem naturalem requiſitis diximus, facile animadvertet, in iisdem uſus iſtos attendi, utut opus non ſit, ut ſemper ommnium ſimul in eadem concione ratio habeatur. Sed de his & aliis particularibus in præſenti diſertius dicere noſtrum non eſt, cum non tradamus methodum concionandi, ſed ſaltem in genere obſervemus, quænam ad concionem rectam requirantur, unde methodus concionandi deduci poterat. Quodſi quidam fuerint, qui oratorium dicendi genus in concurionibus damnant, affectatum dicendi genus, aut abuſum artis oratoriæ in concionibus cum recto ejus in iisdem uſu damnant, a quo omnis procul abeſt affectatio & oſtentatio.

§. 515.

Quænam in hymnis componendis obſervanda. *In hymnis componendis eadem obſervanda ſunt, quæ de compoſitione formularum precum oſtendimus.* Etenim hymni quoad materiam cum oratione, ſeu precibus conveniunt (§. 1246. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque etiam cum precibus eundem habere debent uſum. Quamobrem cum formulæ precum ita ſint concinnandæ, ut uſus iſte obtineri poſſit; quæ de compoſitione formularum precum oſtendimus (§. 494. & *ſeqq.*), ea quoque in hymnis componendis obſervanda.

Conſultum utique eſt, ut in uſum cultus divini publici componantur hymni a peritis, nec pro lubitu a quovis immutentur, neque ipſorum numerus in infinitum augeatur, ſi quidem utilitate, quam habere debent ac poterant, deſtitui non debent. Quamobrem probare non poſſumus morem illorum, qui præpoſtero pietatis, an vanitatis ſtudio hymnos in cultu divino publico utiliter receptos temere negligunt & alios ſatis incaute iisdem ſubſtituunt, a quibus eandem utilitatem fruſtra expectes, quaſi vero qui ſingularitatem quandam in religione affe-

affectat, novis quoque hymnis sacra magis turbare, quam antiqua conservare debeat; sed ne videar a scopo recedere, gradum sisto, nec plura addo.

§. 516.

De cantationum convenientia cum cultu divino publico.

Cantationes apprime conveniunt cultui divino publico. In publico enim cultu multi conjunctim Deum colere debent (§. 511.). Quamobrem cum omnes simul, quotquot præsentes fuerint, cantare possint, ita ut nemo turbet alterum, sed omnes uno quasi ore Deum celebrent & invocent, eidemque gratias agant (§. 1244. *part. 1. Jur. nat.*); cantationes cultui divino publico apprime conveniunt.

Cantationis hymnorum mira vis est ad commovendum animum, præsertim si multi simul cantent & hymni vi numeri, cui alligantur verba, & rythmorum multo facilius & tenacius memoriæ insigantur, quam preces sermone soluto conceptæ. Atque ita animus ad Deum pie colendum disponitur: id quod in cultu divino publico maxime intenditur. Plurimum quoque ad commovendum animum confert melodia textui consentiens: consentit autem textui, si cum verbis ad concitandum eundem affectum concurrit. Quando itaque posthac verba memoriam subeunt, confusa quoque quædam status illius, qui erat cantantis, perceptio oritur, qualis relinquitur in sedato animo, postquam affectus, quo commovebatur, deflagravit. Atque sic status præteritus in præsentem utiliter influit. Hæc quoque ratio est, cur hymnos in cultu publico receptos non temere immutandos esse voluimus (*not.* §. 515.). Quoniam hymni a precibus non materialiter, sed saltem formaliter differunt (§. 1244. 1246. *par. 1. Jur. nat.*); tot dantur hymnorum species, quot precum (§. 493.), & diversæ species in eodem hymno pro re nata conjungi possunt & in dato casu conjungi debent, quemadmodum diversæ precum species in eadem formula. Condi equidem possunt etiam

iam hymni mere historici, qui sola factorum recensione absolvuntur; sed præterquam quod saltem tacite contineant laudem divinam, quam non satis attendenti minime advertunt, ad cultum tamen divinum scitu necessaria memoriæ firmiter infigunt, ut ideo perperam a nonullis pro inutilibus habeantur, aut cultui divino parum convenire existimentur. Hymnos ad Deum celebrandum compositos cultui divino convenire nemo in dubium vocare potest, cum ad celebrandum nomen divinum obligemur (§. 1205. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque celebratio nominis divini tam mentalis, quam oralis ad cultum divinum pertineat (§. 1234. 1235. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 517.

An cultus divinus, quem requirit religio naturalis, sit rationi conformis.

Cultus divinus, in quo habentur conciones, preces ad Deum funduntur, hymni cantantur & ceremoniæ institutæ observantur, rationi conformis est. Quod in cultu divino publico, quem præscribit religio naturalis, haberi debeant conciones, ad Deum fundendæ sint preces, cantandi hymni & ceremoniæ institutæ observandæ, ex principiis rationis directe demonstravimus (§. 512. *h.* & §. 549. *Log.*). Enimvero quod directe demonstratur, id rationi conforme est (§. 486. *Psych. empir.*). Cultus itaque divinus, in quo habentur conciones, preces ad Deum funduntur, hymni cantantur & ceremoniæ institutæ observantur, qualem præscribit religio naturalis, rationi conformis est.

Non differt cultus divinus, qualem exigit religio naturalis, a cultu publico Christianorum. Quamvis enim accedat sacramentorum administratio, fides quædam superaddit, quæ ratio ignorat. Ceremoniæ signa sunt (§. 442. *part. 2. Phil. pract. univ.*), sunt vero etiam signa sacramenta. Atque hactenus continentur sub ceremoniis institutis. Enimvero signa hæc fiunt sacramenta; quatenus sanctificant hominem, seu Deus

Deus per ea nobis confert gratiam, ut ideo dicantur ſigna exhibitiva, quæ nimirum id exhibent, quod ſignificant. Quamobrem fides ſacramenta elevat ſupra ceremonias, ut non ſint meri ritus ſignificativi. Cultus itaque divinus, quem præſcribit religio naturalis, cum eo, quem exigit revelata, convenit, in quantum illa in hac ſubſiſtit, aſt ampliatur, quatenus fides ſuperaddit rationi impervia. Quod de ceremoniis diximus, idem valet de concionibus, precibus & hymnis, ſi materiam ſpectes, cum ſciendis accedant credenda & per hæc quoque agenda amplientur & augmententur. Atque hinc patent limites inter philoſophiam & Theologiam, & quomodo religio naturalis in concordiam reducatur cum revelata. Ceterum ex iis, quæ de ſacramentis dicta ſunt, liquet poſſe ritum profanum converti in ſacrum & tunc mutari ſpeciem. Novimus enim baptiſmum fuiſſe ritum non divinitus, ſed voluntate humana inſtitutum, quo Judæi proſelytos ſacris ſuis initiabantur. Chriſtus vero eundem convertit in ſacramentum novi fœderis. Hoc probe notandum eſt, non modo contra irreligionarios, qui ſacramenta rident, propterea quod quoad formam externam iidem ſint cum ritibus humanis jam antea uſitatis, quam religio chriſtiana introducta, ſed & contra eos, qui ritus in cultu publico chriſtianorum non tolerandos ſtatuunt, quod ſimiles obſervaverint Gentiles, itemque contra eos, qui religioni revelatæ derogari putant, ſi cultus ceremonialis convenire oſtendatur cum ceremoniis Gentilium, veluti cum cultus ceremonialis Judæorum ab Ægyptiis derivatur a *Spencero* de Legibus Hebræorum. Nimirum ceremonia talis non eſt, niſi in quantum eſt ſignificativa, ſeu ponitur in genere ſigni (§. 442. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo ſignificatio mutetur, non erit amplius eadem ceremonia, ſed prorſus diverſa, & ſi Deus ſuperaddat vim ſanctificandi, ſeu gratiam conferendi, non erit amplius ceremonia, ſed ſacramentum. Aſt ſatis prolixe de ceremoniis jam alias egimus (§. 442. & *ſeqq. part. 2. Phil. pract. univ.*). Videantur inprimis a nobis annotata (*not.* §. 470 *part. 2. Phil. pract. univ.*).

§. 518.

De necessitate ceremoniarum in religione.

Religio ceremoniis carere nequit. Etenim religio est modus colendi Deum (§. 512. *part. 2. Theol. nat.*). Ast quotiescunque verendum, ne aut in præsenti ejus obliviscaris, cujus in cultu divino meminisse debes, aut in posterum propositi alicujus, quod in eodem inculcatur, non recorderis, dum ejusdem memor esse debes, ceremonias in cultu divino externo instituere obligamur (§. 1249. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem religio ceremoniis carere nequit.

Utilitatem ceremoniarum non agnoscunt, qui ad earum significatum animum non attendunt, sine quo tamen ceremoniæ non sunt, sed actus mere physici, sicuti *vocabulum non est*, nisi per significatum, qui ipsi tribuitur, & quo remoto merus quidam sonus est. Omnes mutationes in anima a sensatione originem ducunt (§. 64. *Psych. rat.*). In homine igitur per sensibilia excitandi sunt actus interni. Quamobrem cum ceremoniæ in rebus sensibilibus consistant, quæ vi significatus ipsis attributi actus internos excitant (§. 442. *part. 2. Phil. pract. univ.*); cultus internus, qui actibus internis animæ absolvitur (§. 1230. *part. 1. Jur. nat.*), per ceremonias promovetur. Nec in eo deprehenditur, quod absonum sit, cum sic in cultum divinum omnium facultatum usus impendatur, quemadmodum fieri debet (§. 79. *part. 5. Phil. pract. univ.*). Inepte quidem provocant ad exemplum primorum christianorum, apud quos viguit cultus internus, cum externus omni splendore careret, quem postea nactus est. Status enim ipsorum, quamdiu sub magistratu gentili vivebant, prorsus diversus erat ab eo, qui postea evasit, cum imperatores christianam religionem amplecterentur. Quod tum vexarum metus continuus operabatur, id postea vi ceremoniarum erat obtiendum. Usi tamen & ipsi sunt ceremoniis, in quantum status ipsorum vel permittebat, vel exigebat. Ipsa autem experientia

entia docet, quantum algeat cultus externus in consortium trahens ipsum internum, si fuerit ceremoniis denudatus, nisi calamitates suppleant defectum ceremoniarum, sicuti apud primos Christianos. Accenseri ceremoniis potest Musicæ in cultu divino publico usus, de quo ex notione ceremoniarum statuendum. Musica autem tum ponitur in genere signi non modo artificialis, veluti quando significat magnificationem Dei celebrandi, aut magnitudinem beneficiorum perpendendorum, verum etiam naturalis, quatenus animus disponitur ad suscipiendos affectus, qui vel ad ardorem precandi requiritur, vel quibus commoveri debet animus ad concionem, vel alios actus sacros attendendus. Qui putant animum a cultu interno avocari, dum homines ceremoniis toti inhærent, quasi in his totus cultus divinus consistat; abusum cum usu confundunt & hunc propter illum tollendum esse perperam contendunt. Tollendus abusus, retinendus usus: id quod fiet, si ceremoniarum significatus iis, quorum interest, explicetur & inculcetur, quemadum fieri debet (§. 457. *part. 2. Phil. pract. univ.*), iisdemque recte uti adsvescamus.

§. 519.

Religio est justitia erga Deum. Consistit enim religio in præstatione officiorum erga Deum (§. 505.). Enimvero qui officia erga Deum præstat, id Deo præstat, ad quod præstandum ipsi obligatur (§. 224. 226. *part. 1. Phil. pract. univ.*), consequenter quod suum est (§. 923. *part. 1. Jus. nat.*). Quoniam ea virtus justitia est, qua alteri præstatur, quod suum est (§. 926. *part. 1. Jur. nat.*); religio justitia erga Deum est. *De justitia erga Deum.*

Ostendi etiam potest hoc modo. Religio est modus colendi Deum (§. 512. *part. 2. Theol. nat.*), ut ideo religiosus sit, qui omnia ad cultum Dei pertinentia diligenter pertractat, prouti jam a *Cicerone* observatum est, Vult Deus

ab hominibus coli (§. 1121. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum ipsi competat jus obligandi hominem ad actiones suas juxta voluntatem ipsius determinandas (§. 986. *part. 1. Theol. nat.*); jure suo ab hominibus exigit, ut colatur. Quoniam itaque Deum colens jus suum tribuit (§. 921. *part. 1. Jur. nat.*), justus vero erga Deum est, qui jus suum eidem tribuit (§. 926. *part. 1. Jur. nat.*), religio est justitia erga Deum.

Dixit jam *Cicero* religionem esse justitiam erga Deum. Spectatur autem hic religio subjective, quatenus virtus est, consequenter voluntas constans & perpetua Deum colendi, quemadmodum coli vult (§. 328. *part. Phil. pract. univ.*). Et religionem tanquam virtutem non solum considerat *D. Thomas*, sed etiam virtutem specialem a ceteris distinctam probat, quia est justitia erga Deum. Atque hoc nomine quoque in Ethica de religione agimus, ubi exponimus virtutes, quibus praxis officiorum erga Deum continetur. Non vero obstat, quod singuli habitus præstandi officia erga Deum peculiares virtutes sint. Attendendus enim est respectus, quo officia ista præstantur, nimirum quod considerentur tanquam debitum, quod solvendum Deo est, ut ipsi detur, quod suum est, & ut debitus exhibeatur honor tanquam Deo soli competens.

§. 520.

De injustitia. Quoniam religio justitia erga Deum est (§. 519.); *neglectus & contemtus religionis injustitia erga Deum est*, consequenter *qui religionem tollunt athei & deistæ* (§. 516. 564. *part. 2. Theol. nat.*), *injusti erga Deum sunt.*

Cum fœdum vitium censeatur injustitia erga homines, quam omnes abominantur; fœdissimum utique vitium existimari debet injustitia erga Deum. Ut igitur neglectus & contemtus religionis turpitudo intrinseca agnoscatur, probe considerandum est, quod sit injustitia erga Deum. Atque hoc inprimis

mis

mis perpendere debent, qui cum curæ habeant, ne injuſti ſint erga homines, non tamen verentur injuſti eſſe erga Deum.

§. 521.

Qui ſuperſtitionem vitare vult, ſibi caveat a falſis de Deo & providentia divina opinionibus. Omnis enim ſuperſtitio ex falſis de Deo & providentia divina opinionibus naſcitur (§. 1255. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem ſi quis ſuperſtitionem vitare vult, a falſis de Deo & providentia divina opinionibus ſibi cavere debet. *Medium evitandi ſuperſtitionem.*

Regnavit ſuperſtitio in cultu Deorum apud Gentiles. Ecquis vero eſt, qui neſciat, omnem ipſorum ſuperſtitionem enatam eſſe ex falſis, quas foverunt de Diis & providentia divina opinionibus. Quodſi Deum verum agnoviſſent & recte de eo & providentia ipſius ſentire didiciſſent, in ſuperſtitionem minime incidiſſent. Obſervatur hodienum ſuperſtitio apud gentes barbaras, quæ tanto abſurdior, quanto abſurdiores de Deo fovent opiniones. Quodſi vero error de Deo & providentia ipſius probabilitatem quandam præ ſe fert, ut veritatis ſpeciem mentiatur; a ſuperſtitione quoque alieni non ſunt, qui alias ſatis ſunt prudentes. Maxime autem ſuperſtitionem alunt præjudicia a prima pueritia hauſta, quippe quæ difficillime eradicantur, cum veritates innatæ videantur, quoniam non amplius meminimus, cur iisdem aſſenſum dederimus, & undenam ſit, ut, ſi ea vel convicti rationibus miſſa facere velimus, quandam repugnantiam in nobis percipiamus. Cum innumera ſint iſtiusmodi præjudicia & falſæ de Deo ac providentia ipſius opiniones; actus quoque ſuperſtitioſi tot ſunt, ut infinitum campum ingrederetur, qui omnes recenſere vellet. Quamvis vero ſuperſtio latius extendatur ultra actus ad cultum divinum relatos, conſequenter non directe reſpiciant opiniones, quas de Deo & provi-

dentia divina habemus; si tamen in rationes actuum superstitiosorum inquirimus, eas indirecte ad illas opiniones referendas esse patebit. Superstitiosa omnino est chiromantia. Ratio ejus proxima est, quod lineamenta manuum sint signa fatorum hominis. Cum vero a providentia divina fata hominis dependeant, nec lineamenta esse eorum causas pateat; tacite supponitur Deum per lineamenta significare voluisse, quæ de fatis hominis decrevit; quam esse falsam de Deo opinionem non diffitebitur, qui quod precario sumitur ad errorem alium defendendum, nec ex iis, quæ de Deo vere agnoscuntur, deduci potest, pro vero non admittit. Immo divinantes vulgo res, quas attendunt, non considerant, tanquam signa, sed tanquam principia cognoscendi, quasi a Deo ita facta sint, ut futura contingentia inde agnosci *possint: qui sane* error alios multiplices involvit, quos discutere operæ pretium non existimamus. Extenduntur nimirum istiusmodi prædictiones ultra ordinem naturæ a Deo constitutum. Huc referuntur consultationes per sortem: huc etiam pertinet, si effectus producendus intendatur per causas, quæ talem producendi virtutem naturalem non habent. Quamvis enim in istiusmodi non statim unicuique obvius sit error veritati eorum oppositus, quæ de Deo & providentia ipsius agnoscuntur, accuratius tamen inquirenti apparet, nec circa eandem rem in omnibus idem deprehenditur, prouti hac, vel alia opinione mens fuerit imbuta. Sed nostrum jam non est de omnibus superstitionum speciebus disertius dicere, sive ex errore de Deo & providentia divina satis manifesto, sive occulto fluant.

§. 522.

An superstitio sit vitium.

Superstitio omnis vitium est. Etenim a Deo prohibita (§. 1256. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter superstitiosus actiones suas contraria ratione determinat, quam lege naturali præscribitur. Quamobrem cum habitus actiones suas contra-

traria ratione determinandi, quam lege naturali præscribitur, vitium sit (§. 322. *Part. 1. Phil. pract. univ.*); superstitio omnis vitium est.

Cum superstitionum ingens admodum numerus sit, nec in singulis statim appareat, quomodo honori Dei detrahatur; vitium quoque hoc frequentissimum est. Patet nimirum ex modo dictis (*not.* §. 521.), eodem non saltem infici cultum Dei publicum, sed maxime privatum eumque internum, veluti dum per sortem divinare volumus futura, quorum scientiam Deus sibi solus reservavit, aut ut Deus per sortem nobis manifestet, quid fieri debeat, ad quod perpendendum nobis dedit rationem & quod ratione assequi minime valemus providentiæ suæ relinqui vult.

§. 923.

Quando homines idololatriam committant.

Qui persona quadam, vel re quacunque alia magis delectatur, quam Deo, aut eandem majoris facit, quam Deum vel etiam eidem magis confidit, quam Deo: idololatriam committit. Idem intelligitur etiam de seipso. Cum enim Deum super omnia amare debeamus (§. 1172. *part. 1. Jur. nat.*); nulla quoque persona, nec re quacunque alia magis delectari debemus, quam Deo (§. 1171. *part. 1. Jur. nat.*). Deum quoque maximi facere debemus (§. 1181. *par. 1. Jur. nat.*), consequenter personam nullam, nec rem quamcunque aliam majoris, quam Deum. Similiter Deo confidere debemus (§. 1186. *part. 1. Jur. nat.*), eventus dubios providentiæ ipsius totos relinquentes (§. 1192. *part. 1. Jur. nat.*), nullis vero hominibus, vel rebus aliis nimium confidere (§. 1196. *part. 1. Jur. nat.*), quasi in bonis consequendis, vel malis arcendis nullæ sint providentiæ divinæ partes (§. 1195. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum in præstatione illorum officiorum erga Deum cul-

cultus divinus consistat (§. 1234. *part. 1. Jur. nat.*); qui persona vel re alia quacunque magis delectatur, quam Deo, aut personam, vel rem quamcunque aliam majoris facit, quam Deum, aut denique hominibus, vel rebus aliis magis confidit, quam Deo, cultum divinum exhibet entibus, quæ Deus non sunt. Enimvero idololatriam committit, qui cultum divinum exhibet entibus, quæ Deus non sunt (§. 1258. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem qui persona, vel re quacunque alia magis delectatur, quam Deo, aut personam, vel rem quamcunque aliam majoris facit quam Deum, vel etiam hominibus aliis magis confidit, quam Deo, idololatriam committit. *Quod erat unum.*

Perinde vero esse, sive quis cultum Deo debitum præstet aliis personis, sive sibimetipsi, per se patet, ideoque pars altera ulteriori probatione non indiget. *Quod erat alterum.*

Equidem in significatu strictiori idololatra est, qui falsos Deos, vel idola instar Dei colit (§. 1258.), ea nimirum officia iis præstans, quæ vero Deo debentur; significatus tamen latior facile ad illum reducitur. Etenim si quis cultum Deo debitum præstat homini cuidam, cum eum colat instar Dei, tacite fingit eum esse Deum, qui non est. Quoniam enim officia, quæ Deo debentur, dependent ab attributis ipsius, quæ creaturæ nulli communicari possunt, facile tribuuntur homini, quæ soli Deo propria sunt. Atque ita homo fingitur esse Deus, consequenter qui eum instar Dei colit, falsum Deum colit. Idem eodem modo intelligitur de re quacunque, cui honor exhibetur, qui Deo competit. Immo eodem quoque modo idem intelligitur de nobismetipsis. Nolumus jam hoc docere expressius, cum suo loco de cultu idololatrico sui ipsius & hominum rerumque aliarum quæ tenenda sunt ostensuri sumus, quando praxin officiorum erga nosmetipsos & erga alios demonstrabimus. Ex hisce vero, quæ hic dicuntur, haud obscure intelligitur, non adeo raram esse etiam inter nos, qui verum Deum confitemur, idololatriam.

§. 524.

§. 524.

Medium vitandi idololatriam Gentilium.

Si idololatria Gentilium, seu falsorum Deorum cultus vitandus, verus Deus agnoscendus & pro certo habendum, eum unum esse, a quo mundus est creatus, conservatur ac gubernatur. Etenim si quis agnoscit verum Deum, cum sit incorporeus (§. 83. *part. 1. Theol. nat.*) & invisibilis (§. 89. *part. 1. Theol. nat.*); rem nullam in hoc universo visibilem finget esse Deum. Et quoniam novit Deum esse spiritum perfectissimum (§. 387. *part. 1. Theol. nat.*), intellectu perfectissimo & voluntate perfectissima gaudentem (§. 168. 386. *part. 1. Theol. nat.*), non entia invisibilia finget esse Deos, quæ ad instar hominum concipiuntur. Cum vero etiam pro certo habeat Deum verum esse unum, & ab eo solo mundum esse creatum, & conservari ac gubernari (§. 1106. *part. 1. Theol. nat.*); is non finget entia plura, a quibus mundus factus sit atque conservetur & inter quæ gubernatio mundi sit divisa. Quoniam itaque nec ens ullum, quod in hoc mundo visibili existit, pro vero Deo habet, nec Deos sibi pro lubitu fingit; fieri quoque non potest, ut falsis Diis eum præstet cultum, qui soli Deo vero convenit, consequenter ut idololatriam committat. Quare si idololatria Gentilium, seu falsorum Deorum cultus vitandus, verus Deus agnoscendus & pro certo habendum, eum unum esse, a quo mundus creatus est & conservatur ac gubernatur.

Non est quod excipias, Hebræos habuisse notitiam veri Dei & novisse Deum non esse nisi unum & ab eo solo mundum hunc esse factum & gubernari, hoc tamen non obstante falsos coluisse Deos more gentium vicinarum. Immo ipsum *Solomonem*, qui sapientior cunctis hominibus prædicatur, 1. Reg. IV, 31. jam senem a cultu veri Dei ad idololatriam defecisse. Etenim quod Hebræos in genere attinet, notandum est, aliud omnino esse habere notiam veri Dei, aliud veritatis eorum, quæ de Deo vero agnoscuntur, convictum aut

ad veritatem persuasissimum & unitatis semper memorem esse atque animum ad eam attendere, ne ab ea ad alia, quæ offert occasio, avertatur. Ac inprimis notanda est vesana gentes vicinas imitandi libido, quæ animos eorum ita occupavit, ut quasi in naturam abierit. *Solomo* vero, qui septingentas habuit uxores quasi reginas & concubinas trecentas, easque alienigenas, quæ falsos Deos colebant, & ardentissimo amore iisdem copulatus est, ab ipsis a vero Numinis cultu ad idololatriam Gentilium se abduci passus est. Cum enim mulieribus magis delectaretur, quam Deo, idololatriam committere cœpit mente a Deo ad mulieres conversa (§. 523.). Et cum ex ardentissimo amore, quo iisdem copulabatur, nasceretur studium ipsis placendi (§. 652. *Psych. empir.*); ne displiceret, una cum ipsis deos ipsarum coluit.

§. 525.

Quomodo vitetur idololatria subtilis.

Si quis sibi cavere vult, ne officium soli Deo debitum præstet hominibus, vel rebus aliis; agnoscere tenetur, ea esse talia, quæ soli Deo convenire possunt, & Deum nolle, ut officium sibi debitum præstetur homini cuidam, vel creaturæ cuicunque. Si quis enim novit, quænam officia Deo debeantur, atque agnoscit ea esse talia, quæ soli Deo convenire possunt; is quoque agnoscet absurdum ac vanum esse homini, aut creaturæ cuidam præstare officium, quod Deo debetur. Quamobrem cum nemo absurda velle possit, quæ talia esse agnoscit, neque inanem operam sumere, si eam a se sumi persuasus est, id quod quilibet in seipso experiri poterit, ut demonstrationi ulteriori supersedere possimus; si quis novit, quænam officia Deo debeantur, & agnoscit, ea soli Deo convenire, ea quoque homini, vel creaturæ cuidam alii præstare minime volet, consequenter si præterea novit, Deum nolle ut hoc faciat (§. 1261. *part. 1. Jur. nat.*), tanto facilius ab hac idololatria sese abstinebit. Quodsi ergo quis sibi cavere vult

vult ne officium soli Deo debitum præstet hominibus, vel rebus aliis; agnoscere tenetur, ea esse talia, quæ soli Deo convenire possunt, & Deum nolle, ut officium sibi debitum præstetur homini cuidam, vel creaturæ cuicunque.

Equidem de præcavenda idololatria hac subtili, qua officia Deo debita præstantur hominibus, aut creaturis aliis, multa adhuc dicenda forent, si ex instituto de hoc argumento jam ageremus, præsertim cum sese tacite insinuet in animos hominum, quemadmodum exemplum *Solomonis* docet (*not.* §. 524.); quoniam tamen in tractatione de praxi officiorum erga se atque alios specialia occurrunt, ad hanc idololatriæ speciem referenda, ea suo loco reservanda sunt. Ceterum me vel tacente intelligitur, supponi in præsenti propositione, ut verus Deus & debita officia agnoscantur, & animus in genere dispositus sit ad eadem ipsi præstanda atque inprimis ad obediendum ipsi, seu faciendum, quod ipse vult. Neque enim in quolibet actionum genere omnia deduci possunt a principiis, quasi semper ab ovo sit exordiendum: sed cum in systemate omnia inter se cohæreant, in anterioribus tradita præsupponenda sunt sicuti in theoria, ita etiam in praxi. Et casu sic ferente tacite quoque supponuntur.

§. 526.

Idololatria species superstitionis est. Idololatra enim falsis Deis vel idolis, vel enti cuidam, quod Deum esse non opinatur, cum præstat cultum, qui soli Deo convenit (§. 1258. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum fingat Deos, qui non sunt (§. 1257. *part. 1. Jur. nat.*), vel saltem tacite instar Dei sibi repræsentet hominem, aut creaturam quandam aliam (*not.* §. 523.); idololatria originem ducit ab erroribus de vero Deo & providentia ipsius. Quamobrem cum actiones per erroneas de Deo & providentia divina opiniones determinatæ superstitio sint (§. 1255. *part. 1. Jur. nat.*); idololatria species quædam superstitionis est.

An idololatria sit species superstitionis.

Ideo cultus idololatricus Gentilium vocatur superstitiosus, etiam in quantum consistit in officiis vero Deo debitis, non vero tantummodo in actionibus absurdis, quarum nulla ratio ex attributis divinis reddi potest, sed quæ iisdem potius repugnant. Idololatriam vero, quæ committitur, quando officium quoddam Deo debitum præstatur homini, vel creaturæ cuidam alii, errorem quendam de Deo vel providentia ipsius tacite involvere, acutius inquirenti patebit & suo loco a nobis ostendetur (*not.* §. 525.).

§. 527.

An idololatria vitium sit.

Quoniam idololatria species quædam superstitionis est (§. 526.), superstitio autem omnis vitium est (§. 522.); idololatria quoque *vitium est*. Cum idololatria omnis lege naturali prohibita sit (§. 1262. *part. 1. Jur. nat.*); eam esse vitium *eodem modo* ostenditur, quo superstitionem vitium esse demonstravimus (§. 526.).

Quoniam idololatra in ipsum Deum peccat, facile agnoscitur, idololatriam esse vitium gravissimum, omnesque actus idololatricos peccata gravissima.

§. 528.

Turpitudo intrinseca idololatriæ.

Idololatra Deo invito aufert quod suum est. Etenim cultum Deo debitum defert diis falsis, aut idolis, vel hominibus & creaturis aliis (§. 1258. *part. 1. Jur. nat.*), cum tamen is nolit cultum sibi debitum exhiberi enti cuidam alii non Deo (§. 1260. *part. 1. Jur. nat.*), & ne hoc fiat, ipsa lege naturæ prohibeatur (§. 1259. *part. 1. Jur. nat.*). Aufert igitur Deo invito, quod suum est.

Idololatra Deo aufert honorem, qui ipsi debetur, & dat alii, cui non debetur, similis ei, qui rem furto ablatam domino dat alii, cui dare volupe fuerit. Hinc igitur agnoscitur turpitudo idololatriæ intrinseca. Turpitudinem hanc probe perpendere debemus, ut nobis caveamus ab idololatria subtili, in quam admodum facilis est prolapsio. Eam agnoscere nequit, qui Deum non agnoscit, aut de existentia ipsius dubitat, intime autem non perspicit, nisi

nisi qui officia ipsi debita cognita & perspecta habet, & quod ipsi soli conveniant agnoscit, Deusque jure suo eadem ab homine exigat. Nihil vero horum est, quod non in antecedentibus a nobis luculenter fuerit demonstratum.

§. 529.

Mundo frui dicitur, qui rerum in hoc universo usum in felicitatem suam vertit. Quamobrem cum felicitas sit status, in quo voluptas vera perdurat (§. 636. *Psych. empir.*); *qui mundo fruitur, voluptate perpetua permulcetur.* *Quinam mundo frui dicatur.*

Per animos hominum si non omnium, saltem plerorumque pervasit opinio, se esse in hoc mundo ut eodem fruantur, frui autem se arbitrantur, si ex rerum in hoc universo usu voluptatem percipiant, & tunc se felices arbitrantur, quando voluptate perfunditur animus. Ducit huc ipse appetitus naturalis felicitatis (§. 224. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Ast cum plerique inhient ea, quæ sensus hilarant; se tum mundo frui arbitrantur, si oblectationem a sensibus petant, quamvis non omnes iisdem delectentur. Contingit ideo plurimos habere opinionem, quasi religio obstet, quo minus mundo fruamur, ac propterea religio vel contemnitur, vel in consuetudinem cultus externi vertitur. Nostrum igitur esse arbitramur, hunc errorem evertere, ideoque ostendere, quando mundo revera fruamur.

§. 530.

Qui consideratione rerum in hoc universo Deum agnoscere & officia, quæ nascuntur ex agnitione Dei, eidem præstare studet; mundo fruitur. Cum enim Deus condiderit hoc universum, ut summam perfectionem suam patefaceat (§. 629. *Theol. nat.*); rebus in hoc universo utimur, quemadmodum vult Deus, si earum consideratione ipsum agnoscimus. Enimvero cum ex antea demonstratis pateat, consideratione perfectionum divinarum nos commoveri ad officia erga Deum præstanda, & eorundem præstatione nos reddi felices, ut animo quieto, imper- *Quomodo mundo fruamur.*

turbato & læto constanter simus; qui Deum consideratione rerum in hoc universo agnoscit & officia, quæ ex agnitione Dei viva nascuntur, eidem præstat, usum rerum in hoc universo in felicitatem suam convertit. Quamobrem cum mundo fruatur, qui hoc facit (§. 529.); mundo fruitur, qui consideratione rerum in hoc universo Deum agnoscere & officia, quæ nascuntur ex agnitione Dei viva, eidem præstare studet.

Brevitatis causa ex anterioribus non sigillatim citamus, quæ in demonstratione sumuntur, cum anteriora perspecta habere debeat, qui vi demonstrationis præsentis convinci voluerit Usus primarius rerum in hoc universo animam respicit, quæ felicitatis subjectum est. Corpus enim non sui, sed animæ causa conservandum. Ostendemus autem suo loco *rerum genuinum* usum corporis conservandi causa nobis concessum, & in quantum oblectamenta sensuum sint innoxia, nec repugnent felicitati, de qua jam nobis sermo est.

§. 531.

Quod in religione manens mundo fruatur.

Quoniam mundo fruitur, qui consideratione rerum in hoc universo Deum agnoscere & officia, quæ nascuntur ex agnitione Dei viva, eidem præstare studet (§. 530.), in præstatione autem officiorum erga nos & alios per motiva ab attributis divinis desumta cum animo obediendi Deo religio naturalis consistat (§. 505.); *si in religione naturali manemus, mundo fruimur.*

Paradoxum hoc videbitur plurimis. Ast hi erunt, qui religionis naturalis notionem satis adæquatam minime habent, & præjudiciis occæcatam mentem possident, de quibus apertius dicemus suo loco.

F I N I S.

CON-

CONSPECTUS

TOMI III.

PHILOSOPHIÆ MORALIS,

SIVE

ETHICÆ

DE

VIRTUTIBUS MORALIBUS, QUIBUS PRAXIS OFFICIORUM ERGA DEUM CONTINETUR.

CAP.

FINIS CONSPECTUS.

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM IN QUO NUMERI PARAGRAPHOS DENOTANT.

A.

Atheus

D.

Gloria

Impie-

O.

Ortus

R.

FINIS INDICIS

Tomi III. Ethicæ.